CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

BIBLIOTHECA FRANCISCANA SCHOLASTICA

MEDII AEVI

Tom. IV.

BIBLIOTHECA FRANCISCANA SCHOLASTICA

MEDII AEVI

CURA

PATRUM COLLEGII S. BONAVENTURAE

Tom. IV.

BERNARDUS JANSEN S. I.: FR. PETRUS IOHANNIS OLIVI O. F. M., QUAESTIONES IN SECUNDUM LIBRUM SENTENTIARUM.

VOLUMEN I.

Quaestiones 1-48.



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

—

1922.

FR. PETRUS IOHANNIS OLIVI O. F. M.

QUAESTIONES

IN SECUNDUM LIBRUM SENTENTIARUM

QUAS PRIMUM AD FIDEM CODD. MSS.

EDIDIT

BERNARDUS JANSEN S. I.

VOLUMEN I.

Quaestiones 1-48.



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

1922.

26750

PROPRIETAS LITTERARIA

PRAEFATIO.

Nihil aliud hac in praefatione mihi dicendum est nisi ut omnibus gratias agam quibus iuste debeo. Et primo quidem, Deo O. M. humillime et affectuosissime gratias ago quod suavi et paterna plane providentia mille millia adiunctorum ita direxit ut opus non obstantibus tot tantisque difficultatibus feliciter absolvere potuerim. Secundo, filiali fraternoque amore Societati Iesu eiusque superioribus fratribusque quibus usus sum gratias ago, inter quos prominent provincia Germaniae inferioris Collegiumque S. Ignatii Valkenburgense eiusque professores: gratias ago pro multiplici adiutorio et scientifico et pecuniario. Inter varia autem Societatis membra longe prae omnibus me obligatum sentio erga R. P. Franciscum Ehrle qui et hanc editionem adornare me voluit et per continuos undecim annos invicta constantia et benevolentia sincera hos labores prosecutus est. Sequitur ut commemorem praeclarum illum virum cui inde ex quatuordecim annis variis et magisterii et consiliarii vinculis nexus sum, Clementem Baeumker, illique pro multiplici adiutorio in praeparanda hac editione praestito debitas gratias referam. Demum praeter non paucos viros doctos quos in verificandis praesertim tot tamque difficilibus locis consului, inter quos eminent Germanus Morin O. S. B., Augustus Pelzer, Scriptor Bibliothecae Vaticanae, Livarius Oliger O. F. M., Collaborator eruditissimus Collegii S. Bonaventurae ad Claras Aquas, Martinus Grabmann, egregius ille indagator historiae scholasticae, et praeter

moderatores variarum bibliothecarum, inter quas nominatim commemorandae sunt Vaticana et duae Monacenses, praeter illos, inquam, magnas ago gratias Collegio S. Bonaventurae ad Claras Aquas, et specialiter eius Praefecto, Albano Heysse O. F. M., quod his funestis temporibus doctisque inceptis minime faventibus hoc opus benigne imprimendum curaverunt.

Valkenburg Hollandiae (L.), in Collegio S. Ignatii, mense februarii 1922.

BERNARDUS JANSEN, S. J.

PROLEGOMENA.

Cum rationem quam in edendo hoc opere secutus sum plene et inductive, ut fas est, reddere nequeam nisi toto innixus textu et apparatu critico, lector ad tertium huius editionis tomum benigne remittatur. In quo non solum ea quae ad formam methodumque huius editionis spectant proponentur, sed etiam succincta analysis conspectusque ipsius materiae contentae exhibebitur, ita ut nota characteristica et indoles philosophico-theologica auctoris iuste promineat.

Quapropter in hoc primo volumine ea solum praemittentur quae lectori scitu necessaria sunt, ut rationem editionis plene intelligere possit.

Totus textus super codice Vaticano Latino 1116 (V) fundatur quem Reverendus Pater Franciscus Ehrle S. J. post diuturnam inquisitionem circa annum 1880 feliciter invenit [1]. Hic codex versus annum 1300 super pergameno in folio, ut dicunt, 293 plagis vel foliis conscriptus est. Continet autem ultimam et definitivam formam variarum elucubrationum quas Olivi pro lectionibus, ut videtur, potissimum habendis confecerat. Questiones 118 diligenter dispositae et in varias categorias distributae ad instar Commentarii in secundum librum Sententiarum redactae sunt [2]. Praeter septemdecim quaestiones (qq. 32-48) de angelis et unam alteramve exclusive theologicam omnes aliae versantur circa problemata philosophica, prima quidem pars (qq. 1-31) circa metaphysicam generalem, longe maior graviorque pars media (qq.

---

[1] *Archiv für Litteratur-und Kirchengeschichte des Mittelalters,* herausgegeben von Heinrich Denifle O. Pr. und Franz Ehrle S. J., Freiburg Br., Bd. III, 1887, S. 463 ff.

[2] *Die handschriftliche Ueberlieferung der spekulativen Schriften Olivis* (*Philosophisches Jahrbuch,* Fulda, 31. Bd, 1918, S. 141-164).

49-89) circa psychologiam in qua maximi momenti est theoria illa celeberrima a Concilio Viennensi (1312) damnata de informatione corporis humani per partem animae rationalis intellectivam (qq. 51, 54, 59), ultima denique pars (qq. 90-118) agit de variis problematibus moralibus. Clarum conspectum totius materiae tractatae exhibet index toti operi praemissus. Codex Vaticanus non quidem est autographum auctoris, uti ex variis criteriis luculenter apparet, exhibet tamen generatim incorruptum textum, saltem si varias additiones et multiplices correctiones saepe ab alia manu factas includas; quod non impedit quominus etiam post ultimam hanc polituram sat multis laboret defectibus vel erratis.

Praeter Vaticanum modo laudatum septem alii codices in Bibliotheca quondam Borghesiana quae Leone XIII regnante Vaticanae incorporata est reperiuntur; qui, sive integri sive ex parte, quaestiones ab Olivi tractatas continent. Sunt autem sequentes: 358 (B^7), 322 (B^6) 173 (B^5), 106 (B^4), 88 (B^3), 54 (B^2), 46 (B^1); quos P. Ehrle magna ex parte primo repperit et loco modo citato descripsit.

Quaenam sit exacte eorum relatio inter sese invicem et ad Vaticanum decidi iam nequit, ita ut a statuendo stemmate abstinendum sit. Id autem certo definiri potest eos Vaticano et paululum antiquiores et multum deteriores esse.

Quod Vaticano antiquiores sunt facile inde convincitur quod hic in obiectionibus praemittendis et solvendis, in argumentis afferendis, in auctoritatibus allegandis longe copiosior est et — quod maioris etiam ponderis est — saepius longa et larga additamenta adiungit quibus thesis aut tusius exponitur et probatur aut etiam contra impugnantes defenditur, v. g. in quaestione 50 de pluralitate formarum in homine et in quaestione 51 de relatione inter corpus humanum et partem animae intellectivam.

Valor codicum Borghesianorum et copia quaestionum ibi contentarum fere correspondent scalae propositae: B^7.... B^1. Longe prae omnibus aliis codicibus et puritate textus et multitudine materiae — continet 26 quaestiones Vaticani — praestat B^7; ei affinis est B^6 qui fere easdem quaestiones tractat, sed longe impuriorem textum exhibet. B^5 nonnisisi 7, B^4 10, B^3 11, B^2 14, B^1 3 quaestiones Vaticani continet; quarum

paucae identicae sunt cum quaestionibus aliorum codicum Borghesianorum, v. g. B^7 et B^6. Magnus numerus eorundem defectuum, qui et in prima redactione Vaticani nondum correcta et in aliis codicibus inerant et partim etiam nunc post correctionem Vaticani factam reperiuntur, luculenter inter alia probat Vaticanum sive immediate sive mediate a codicibus Borghesianis vel eorum stirpe dependere. Exactius et determinatius quid de mutua eorum relatione et dependentia statui nequit.

Licet autem Vaticanus Borghesianis longe praecellat, persaepe tamen hi istius errata feliciter corrigunt. Iamvero cum ille, ut iam dictum est, autographum auctoris non exhibeat, ita ut quaestio solvi nequeat num eius defectus iam in primaevo vel originali textu fuerint, ex altera autem parte finis totius editionis is sit ut lector purum textum prae oculis habeat: evidentes Vaticani errores ipse editor correxit, ita tamen ut ratio huius correctionis in apparatu religiose reddita sit; in casibus autem probabilibus vel etiam dubiis editor textum mutare ausus non est, sed coniecturas suas in apparatu annotavit.

Structuram et totius operis et singularum quaestionum si spectes, logica quidem, et clara et architectonica est. Ast eo diffusior et abstractior et minus perspicua est executio huius structurae. Accedit quod stilus linguaque nihil venusti amoenique prae se ferunt, immo trita vulgaritate animum lectoris mirum in modum fatigant et nimis impatientem reddunt.

Quibus difficultatibus ut obviaretur, pauca addere non abs re videbatur.

Et primo quidem, generatim divisionem quaestionum in tres partes, famoso schemati scholastico correspondentem, quasi ad oculos demonstrare iucundum videbatur, praemissis his tribus inscriptionibus idque prominentibus typis: **Videtur quod sic** vel **non**, **Respondeo**, **Solutio Obiectorum**; prima quidem formula semper fere in ipso textu invenitur, secunda rarissime, tertia nunquam.

Secundo, in decursu quaestionum ea, quibus visis conspectus indolis argumenti gignitur, et ea, quae magni ponderis sive systematici sive historici sunt, modo imprimendi magis amplo efferenda esse videbantur.

Tertio, singulis obiectionibus numerus praemissus est qui quidem generatim in ipso textu deest, licet aliquando, forte alia manu, in margine appositus sit. Qua quidem enumeratione id accomode efficitur ut lector in persequendis solutionibus, quae saepissime in longis digressionibus profundas speculationes continent et non raro copia observationum et idearum ibi evolutarum in quadam oppositione se habent ad brevitatem succinctam ieiunamque parcitatem corporis quaestionis, correspondentes obiectiones brevi manu arripiat.

Quarto, verbum « Quaestio » quod capiti inscriptionis additum est in manuscriptis deest.

Et haec quidem sunt quae ob commoditatem lectoris quadam libertate animi vel addere vel mutare praesumpsi.

Interpunctionem generatim eam adhibui quae in modernis linguis quas vocant Romanis fieri solet, quippe quae ingenio linguae Latinae affiniores sunt. Altera ex parte, cum interpunctio id unum spectare debeat ut vim idearum et sensum argumenti quam fortissime et facillime efferat, non servili modo regulas praescriptas mihi sequendas duxi; idque eo etiam minus, cum secus phrases auctoris valde intricatae et complicatae nonnisi aegre enodari possent. Quare si timoratae conscientiae philologus subiectivismum et defectum constantiae suo nixus iure mihi obiecerit, aequo animo haec iurgia sustinebo sperans me graviorum disciplinarum studiosis, philosophis et theologis, hanc ipsam ob libertatem eo gratius fecisse. Praedilectione quadam punctum cum virgula vel semicolon saepius ut mos fert adhibitum est. Cum enim propter immitem auctoris consuetudinem phrasim phrasi fere sine ulla respirandi facultate annectendi saepius maior incisio facienda sit, ut saltem aliquoties maior consistendi locus detur, punctum his ipsis longioribus intervallis reservari debuit. Ita factum est ut semicolon ad breviora intervalla designanda poneretur, licet secundum regulas ordinariae interpunctionis hic saepe saepius punctum ponendum fuerit.

Modum citandi in quo uniformitatis gratia usum a RR. PP. Franciscanis Collegii S. Bonaventurae adhibitum eumque et longa experientia approbatum et a viris spectatis laudatum sequi debui — sicut et modernam orthographiam eadem de causa adhibere debui, licet primitus omnia manuscripta se-

cundum orthographiam medii aevi adornaverim — modum, inquam, citandi quod attinet pauca dicenda sunt. Ut brevitati consulatur, id omne quod in ipso iam textu citatum est, idem in calce non repetitur, ita ut ordinarie mutua inspectio et textus et apparatus totum demum locum prae oculis ponat. Patres, ut fieri solet, secundum collectionem « Migne » verificantur, cum omnibus ubique doctis viris praesto sit; editionem vero Patrum Vindobonensem et Berolinensem, cum minime absoluta sit, addere abs re visum est. Platon citatur, ut moris est, eo modo quem primum Henricus Stephanus Parisiis 1578 introduxit. Aristoteles, ut par est, secundum editionem Academiae Borussiacae ab Immanuele Bekker Berolini 1831 factam allegatur; Averroes porro secundum editionem quae Venetiis 1550-63 apparuit et maiore omnibus aliis in pretio habetur; Avicenna demum secundum editionem Venetiis 1506 impressam.

* * *

Cum summa principalium problematum et idearum dominantium necnon methodorum scientificarum quae philosophiam et theologiam scholasticam medii aevi efficiunt ex classicis operibus ducum illius aetatis, v. g. Anselmi, Hugonis de S. Victore, Bonaventurae, Alberti M., Thomae Aquinatis, Scoti, aliorum iam dudum explorata sit, minime sperandum est fore ut ingens talium editionum labor qualis hic est primario adaperiendis novarum veritatum fundamentalium venis recompensetur. Nihilominus secundario doctrina auctorum secundi vel tertii ordinis qualis Olivi est novam notis iam veritatibus lucem afferre valet. Ita eius theoria informationis corporis humani per partem animae rationalis intellectivam quae hucusque nota nondum erat nunc demum plenum sensum celeberrimae et gravissimae illius et multum inter doctos agitatae definitionis Concilii Viennensis « substantia animae rationalis seu intellectivae vere et per se humani corporis forma est » aperuit [1]. Idem etiam speculationem de im-

[1] *Die Lehre Olibis über das Verhältnis von Leib und Seele* (*Franziskanische Studien*, Münster W., 5. Bd., 1918, S. 153-175, 233-258); *Quonam spectet definitio Concilii Viennensis de anima?* (*Gregorianum*, Roma, I., 1920, p. 78-90).

mortalitate animae feliciter provexit, critice vim singulorum momentorum ponderando et nova argumenta afferendo [1]. Novam etiam viam ab aliis scholasticis minime tritam ingreditur, si libertatem voluntatis non tam ex considerationibus metaphysicis quam ex datis conscientiae et ex introspectione psychologica, prout moderni faciunt, probat [2]. Olivi demum hucusque primus scholasticus est qui, relicta theoria motus quam Aristoteles profitetur quamque generatim scholastici XIII saeculi, v. g. Albertus M., Thomas, Roger Bacon sequuntur, illum conceptum motus, vis, inertiae defendit qui initio illius saeculi per Arabes introductus saeculo XIV passim apud Nominales invenitur [3] et per duces modernae scientiae, praesertim per Galilaeum, quasi fundamentum toti progressui scientiarum mechanicarum, physicarum, astronomicarum substratus est [4].

Valor primarius talium editionum est potius historicus et eatenus maximus. Nisi enim, ut iam anno 1883 Fr. Ehrle in programmatico illo articulo « *Das Studium der Handschriften der mittelalterlichen Scholastik* » [5] monuerat, ipsi etiam auctores secundi vel inferioris ordinis consuluntur, necessaria omnino membra desunt ad efformandam cohaerentem illam catenam organicae evolutionis philosophiae et theologicae scholasticae quam peritissimus quisque tantopere desiderat.

Iamvero opera Olivi propter specialem eius indolem uberes merito quis dixerit fontes esse ex quibus indagator historiae rei scholasticae cum fructu hauriat. Ipse enim primo quidem, multas obiectiones corpori quaestionis praemittere solet easque, ut moris illius aetatis est, magnam partem ex praecedentibus philosophis et theologis depromit.

---

[1] *Die Unsterblichkeitsbeweise bei Olivi und ihre philosophiegeschichtliche Bedeutung* (*Franziskanische Studien*, 9 Bd., 1922, S. 49-69).

[2] *Ein neuzeitlicher Anwalt der menschlichen Freiheit aus dem dreizehnten Jahrhundert: Petrus Joh. Olivi* (*Philosophisches Jahrbuch*, 31. Bd., 1918, S. 230-238, 382-408).

[3] Pierre Duhem, Études sur Léonard de Vinci, 3 voll., Paris, 1906-1913.

[4] *Olivi, der älteste Vertreter des heutigen Bewegungsbegriffs* (*Philosophisches Jahrbuch*, 33. Bd., 1920, S. 137-152).

[5] *Zeitschrift für katholische Theologie*, Innsbruck, 7. Bd., 1883, S. 1-51.

Secundo, solutionem problematis amplo conspectu historico in qua variae sententiae opponuntur introducere solet. Tertio, saepe indulgens ingenio subtili, characteri vivo, indoli criticae, ad instar coaevi et confratris Rogerii Bacon qui certe uber historiae fons est, de quam maxime variis sententiis ab aliis auctoribus prolatis iudicium ferre easque ad trutinam revocare solet.

Quae generalis propositio ut iam paucis exemplis illustretur et corroboretur: Olivi reicit omnem omnino speciem cognitionis, ipsum actum praecedentem, itaque affinem Nominalium, v. g. Aureoli, Occam, sententiam iam saeculum praecedens decimum tertium praeoccupat. Theoriam porro famosam Suaresii colligantiae potentiarum qua ipse transitum difficillimum a cognitione sensitiva ad intellectivam explicare nititur iam multo fusius expositam invenies apud Olivi nostrum idque ingeniosissime (1). Idem ante Scotum eiusque asseclas quam maxime effert momentum activum libertatis voluntatis, immo vult eam adaequatam actuum liberorum causam esse (2). In tractatu de motu (qq. 24, 27–29, praesertim 29) refert de controversiis hac de re tunc temporis obortis. In q. 8 exponit varias sententias quoad celeberrimam illam doctrinam de distinctione essentiam inter et existentiam singularumque argumenta et auctoritates allegatas proponit. In q. 12 amplo instructus apparatu intrat in subtilissimas illas expositiones easque uberrimas quodnam sit principium individuationis; nec minus multus est in exponenda tum historice cum speculative gravissima illa doctrina universalium (q. 13). Q. 28 rarum exhibet exemplum quomodo iam tunc temporis doctrina Aristotelis de decem categoriis admodum critico subiciatur examini, ita ut in moderna plane philosophia versari tibi videaris.

Ne longiore enumeratione animum lectoris teram, sufficiat attentionem eius ad duas quaestiones in hoc primo tomo contentas dirigere quae viri evolutionis historicae philosophiae scholasticae studiosi quam maxime intersunt et quae ab Olivi speciali praedilectione et abundanti copia spe-

---

(1) *Die Erkenntnislehre Olivis,* Berlin, 1921, S. XIII u. 125.

(2) *Ein neuzeitlicher Anwalt der menschlichen Freiheit,* ut supra.

culativa et historica tractantur. Q. 16 agit de compositione spirituum ex materia et forma quam auctor, in hac re fidelis Augustinismi et veteris scholae Franciscanae discipulus, viriliter sustinet; q. 31 tractat de rationibus seminalibus quas reapse cum Aristotele eiusque asseclis, v. g. Thoma, in oppositione ad Augustinum, Alexandrum Halensem, Bonaventuram, alios Ordinis doctores, strenue reicit, nihilominus, ut mos illius aetatis fert, audacter ad Augustinum provocando.

Et his quidem editor quadamtenus monstrasse sibi videtur hunc laborem non solum apud Patrem caelestem meritum aliquando perpetuo fruendum sibi attulisse, sed etiam hic in terra auctoritati, flori, decori almae illius veritatis et scientiae quam philosophiam et theologiam scholasticam vocant et eius praeclaris et eximiis defensoribus aliquod, licet tenue et modestum, officium exhibuisse.

In isto secundo libro continentur quaestiones subscriptae.

Primo quantum ad actum creationis quaeruntur sex.

1. Primo, an potentia creandi possit inesse vel communicari alicui creaturae seu alicui enti alteri a summo Deo.

2. Secundo, an creatio passio addat aliquid realiter diversum super essentiam rerum creatarum.

3. Tertio, an infinita in actu possint aliquo modo fieri a Deo. Ubi etiam tangitur quaestio an Deus sciat infinita et quomodo possit scire.

Post hoc etiam ratione divisibilitatis continui in infinitum subnectitur quaestio an aliquod continuum sit compositum ex indivisibilibus aut solum ex semper in infinitum divisibilibus.

4. Quarto, an mundus factus fuerit ab aeterno.

5. Quinto, an mundus potuerit fieri ab aeterno.

6. Sexto, an sint plures mundi vel solum unus et an sit possibile plures mundos esse.

Deinde quantum ad generales rationes entis et esse creati quaeruntur novem.

7. Primo, an in aliquo ente sint diversae rationes reales nullam habentes inter se differentiam realem.

8. Secundo, an esse et essentia sint idem.

9. Tertio, an esse rerum creatarum, saltem spiritualium, sit successivum vel habeat simul totam suam durationem.

10. Quarto, an durationes rerum creatarum sint solum duae numero et specie.

11. Quinto, an conservatio seu continua permanentia rerum differat a creatione ipsarum.

12. Sexto, an individuatio aliquid addat ad specificam essentiam individui.

13. Septimo, an universalia sint secundum suam universalitatem in individuis.

14. Octavo, an unitas, veritas et bonitas addant aliquid ad ens, et maxime aliquid accidentale.

15. Nono, an suppositum vel persona addant aliquid ad suam naturam in qua et per quam subsistunt.

Deinde quantum ad essentiam substantiae creatae et intrinsecorum ac constitutivorum principiorum eius quaeruntur septem.

16. Primo, an in omnibus substantiis, sive intellectualibus sive corporeis, sit composito materiae et formae. Licet enim specialiter quaestionem hanc scripserim de angelis, est nihilominus generalis ad omnes substantias.

17. Secundo, an potentia materiae aliquid addat realiter diversum ad essentiam eius.

18. Tertio, an materia per se possit principium alicuius esse, id est, an dicat aliquam vim activam.

19. Quarto, an Deus possit facere materiam sine omni forma.

20. Quinto, an materia habeat diversas differentias materiales per quas specificetur.

21. Sexto, an materia per essentiam suam sit una numero in omnibus entibus, saltem in corporalibus.

22. Septimo, an substantia suscipiat magis et minus.

Deinde de generalibus proprietatibus agentium seu actionum et motuum quaeruntur novem.

23. Primo, an omne agens sit semper praesens suo patienti seu suo primo effectui.

24. Secundo, an species seu prima impressio et similitudo agentis educatur de potentia sui subiecti.

25. Tertio, an praedicta similitudo agentis sit idem quod eius actio.

26. Quarto, an primae impressiones omnium agentium fiant ab eis in instanti.

Et in hac subditur additio in qua exponitur regula Aristotelis VI *Physicorum* data, quod si tanta virtus movet tantum in tanto spatio et tempore, dupla movebit aequale super aequali in dimidio tempore.

Ibi etiam dissolvitur et improbatur ratio eius per quam IV *Physicorum* probat quod si (a) aliquid moveretur in vacuo, moveretur in instanti.

27. Quinto, an motus sit idem quod forma quae per motum educitur.

28. Sexto, an motus possit per se terminari ad omnia illa quae possunt de materia educi.

(a) Ex *sit*.

29. Septimo, an motus fiat immediate a motore.

30. Octavo, an agens creatum possit formam iam corruptam eandem numero educere in esse.

31. Nono, an omnia quae educuntur de potentia materiae sint ibi prius secundum suas essentias seu secundum rationes seminales vel secundum potentias activas.

Deinde de angelis communiter quaeruntur sex.

32. Primo, an substantia angeli sit in loco corporali.

Ubi in quadam additione ibi subiuncta probatur quod ubi seu esse in loco addit aliquid ad rem locatam realiter diversum ab ipsa.

33. Secundo, an in quolibet angelo sit tota species sua secundum totum ambitum suum, ita quod extra ipsum non possit esse aliud individuum eiusdem speciei.

34. Tertio, an in angelis sint species seu similitudines rerum universales.

35. Quarto, an intelligere substantiae creatae sit idem cum substantia sui intellectus et an Deus posset facere quod essent idem.

36. Quinto, an angelus intelligat et videat omnia per species innatas.

37. Sexto, an intellectus angeli vel hominis possit per virtutem suae naturae simul cognoscere plura.

Deinde de merito angelorum quaeritur.

38. Primo, an angeli in primo instanti quo meruerunt fuerint glorificati.

39. Secundo, an gloriam prius habitam possint mereri per actus subsequentes.

Deinde de peccato et casu daemonum quaeruntur novem.

40. Primo, an Deus possit facere aliquam potentiam intellectivam vel liberam essentialiter inerrabilem et impeccabilem.

41. Secundo, quaeritur an potentia peccandi sit pars nostrae libertatis.

42. Tertio, an angeli potuerint peccare in primo nunc suae creationis.

43. Quarto, an sit possibile vel credibile quod angeli sic peccaverunt sicut doctrina fidei tradit.

44. Quinto, an daemones possint aliquid addiscere et oblivisci.

45. Sexto, an eorum habitualis malitia usque ad diem iudicii augeatur.

46. Septimo, an citra diem iudicii habeant aliquas (a) complacentias et gaudia in iis quae (b) pro voto volunt et agunt.

(a) Add. interl. al. m. (b) V *qui*.

47. Octavo, an decor et integritas angelicae hierarchiae sic fuerit per casum daemonum immutatus quod omnino eguerit restaurari.

48. Nono, an ruinam ipsorum decuerit ex hominibus reparari.

Plures quaestiones alias de angelis feci in lectura super librum *Angelicae hierarchiae;* non enim in hac ordinatione pono quaestiones quas super lecturas specialium librorum feci.

Deinde de homine quoad eius substantialem formam quaeruntur quatuor communia.

49. Primo, an anima immediate informet omnes partes corporis sui.

50. Secundo, an in corpore humano sit aliqua forma substantialis praeter animam.

Cui magnam additionem adiunxi in qua quaedam rationes positionis adversae plenius dissolvuntur, ac deinde infringuntur et improbantur multae evasiones contra rationes nostras datae.

Et ibi plenius declaratur quomodo positio adversa est contra naturalia principia et experimenta et contra undecim vel duodecim christianae fidei dogmata seu veritates.

51. Tertio, an sensitiva hominis sit a generante vel a solo creatore.

Ubi multipliciter probatur quod pars animae intellectiva non informat corpus immediate, quamvis ei substantialiter uniatur, et quamvis forma intellectiva et libera sit forma hominis.

Cui magnam additionem adiunxi.

52. Quarto, an immortalitas spiritus rationalis possit per rationes probari.

Deinde quoad eius corpus.

53. Quaeritur an aliquid de alimento convertatur in veram speciem carnis et ossis et ceterarum partium corporis.

Deinde de potentiis animae.

54. Quaeritur primo unum commune omnibus potentiis: an scilicet potentiae animae vel angeli sint totaliter eaedem cum substantia eorum aut totaliter diversae aut partim eaedem partim diversae.

Deinde de potentiis intellectualibus quaeruntur quinque.

55. Primo, an in nobis sint plures potentiae intellectivae et volitivae praeter appetitivam sensualem.

56. Secundo, an pars animae rationalis quae dicitur mens sit eiusdem speciei cum parte intellectiva angeli vel an nostrae potentiae intellectuales sint eiusdem speciei cum potentiis intellectualibus angelorum.

57. Tertio, an in homine sit liberum arbitrium.

Et hic, scilicet in responsione ad undevicesimum, tangitur quaestio quomodo in beatis et in purgatorio immobilitetur voluntas ad bonum et in damnatis ad malum.

Et improbantur septem errores circa hoc dictum.

Primus est quod intellectus in statibus alterius vitae nihil apprehendit cum discursu rationis.

Secundus est quod voluntas in omnibus sequitur modum apprehensionis ita quod, si intellectus habet modum immobilem in apprehendendo, voluntas id (a) ipsum habet in volendo.

Tertius quia voluntas angeli suo solo actu acquirit immobilitatem in bono vel in malo, voluntas vero nostra acquirit hoc ex eo quod per mortem datur sibi altitudo consimilis altitudini substantiarum separatarum et simul cum hoc ex defectu divinae influentiae seu gratiae trahentis ipsam ad bonum.

Quartus est quod voluntas totaliter convertitur, quandocunque convertitur, quia est simplex.

Quintus est quod sensitiva habet statum immobilem in omni statu alterius vitae.

Sextus est quod error circa finem non potest emendari nisi per causam superiorem, potentem immediate influere in intellectum et voluntatem.

Septimus est quod error circa finem non potest esse nisi perverso habitu voluntatis acquisito vel innato.

58. Quarto, quaeritur an liberum arbitrium seu voluntas libera sit potentia passiva vel activa.

Et in hac multae quaestiones aliae continentur: nam in responsione ad tertium decimum argumentum tangitur quaestio an corpora sensibilia possint per se generare species simplices et intellectuales in potentia nostrae mentis; et iterum an hoc possint per irradiationem intellectus agentis; et iterum, an quantitas aliquid reale addat ad formas aliorum praedicamentorum.

Item, in responsione ad quartum decimum tangitur quaestio an omnes potentiae apprehensivae sint passivae.

Et ad huius evidentiam pertractantur septem.

Primo scilicet, quod actus potentiarum non sunt immediate ab obiectis.

Secundo, quod non sunt a solis speciebus.

Tertio, quod non partim ab eis et partim a potentiis.

Quarto, quod ipsi actus sunt species seu similitudines obiectorum.

(a) V *ad.*

Quinto, quod anima non potest in se generare species quae sint principia effectiva suorum actuum.

Sexto, quod potentiae non possunt excitari ab (a) obiectis ad generandum huiusmodi species aut ad producendum suos actus.

Septimo, quod potentiae sunt sufficientes ad efficiendum suos actus absque coefficentia facta ab obiectis vel speciebus. Haec tamen clarius et sanius pertractantur in tribus primis quaestionibus de actibus potentiarum animae infra scriptis.

Item, in responsione ad duodecimam supprobationem quarti decimi argumenti tangitur quaestio an species imaginariae sint incorporales et inextensae.

In responsione vero ad tertiam decimam tangitur quadruplex causa quare potentiae sensitivae (b), quamvis sint activae suorum actuum, indigeant organo.

59. Quinto, quaeritur an infantes et dormientes et furiosi possint exercere opera liberi arbitrii.

Deinde de distinctione potentiarum sensitivarum quaeruntur duodecim, nam de apprehensivis quaeruntur octo.

60. Primo, an sensus particulares sint plures potentiae vel una.

61. Secundo, an tactus habeat in se plures potentias tactivas.

62. Tertio, an sensus communis sit potentia differens a sensibus particularibus.

63. Quarto, an sensus communis sit eadem potentia cum imaginativa quae imaginatur absentes formas sensibilium.

64. Quinto, an istae sint eadem potentia cum aestimativa.

65. Sexto, an hae tres sint eadem potentia cum memorativa.

66. Septimo, an cogitativa quae omnium quatuor praedictarum obiecta ad invicem componit et confert sit eadem potentia cum praedictis.

67. Octavo, an potentia intellectiva includat in sua essentia omnes nostras potentias sensitivas, ita quod intellectus noster sit nostra potentia visiva et auditiva et sic de aliis.

Et in hac responsione, scilicet ad tertium, pertractatur quaestio an intellectus angelicus habeat sub se potentias sensitivas vel ipse solus sufficiat ad omnia sensitiva sentienda.

De appetitivis autem quaeruntur tria.

68. Primo, an appetitus sensualis sit alia potentia ab appetitu intellectivo.

69. Secundo, an vis concupiscibilis et irascibilis, prout spectant ad appetitum sensitivum, sint eadem potentia.

(a) V *ad.* (b) In mg.

70. Tertio, an secundum numerum sensitivarum apprehensivarum sint tot potentiae appetitivae (a) sensuales.

71. Duodecimo (b), quaeritur an vegetativa animalium differat ab anima sensitiva eorum.

Deinde de actibus et habitibus potentiarum animae quaeruntur quindecim.

72. Primo, an corpora possint agere in spiritum et in eius potentias apprehensivas et appetitivas.

73. Secundo, an aliqua virtus cognitiva vel quaecunque alia secundum suam essentiam exterius non emissa possit ab extrinseco et distanti medio vel obiecto absque eorum influxu mutari vel pati. Per mutationem autem intelligo protensionem virtutis ad extra vel retractionem sui ad intra vel pertransitionem medii vel fractionem sui incessus aut reflexionem vel diverberationem aut resistentiam vel prohibitionem aut fixionem vel terminationem sui in obiecto.

74. Tertio, an principium effectivum actus cognitivi sit species repraesentativa obiecti aut habitus aut potentia vel omnia tria in simul sumpta.

Circa finem autem huius tangitur

75. Quarta quaestio, an scilicet quando Deus videtur ab intellectu creato, divina essentia teneat locum speciei repraesentantis Deum.

Post quam et subditur

76. Quinta, an scilicet anima sciat se ipsam per speciem sui aut per essentiam suam et an per immediatam reflexionem sui aspectus super se aut primo dirigendo aspectum ad phantastica, id est, ad species imaginarias per actus sensuum exteriorum acceptas.

77. Sexto, quaeritur an habitualis dilectio sui et suae beatitudinis sit accidens.

78. Septimo, an unico simplici actu sciantur plures termini eiusdem propositionis aut plura extrema eiusdem correlationis aut plures partes eiusdem totius.

79. Octavo, an actus scientiae vel amoris possit se ipsum habere pro obiecto, utpote cum scio me scire vel amo me amare seu meum actum amandi.

80. Nono, quaeritur an aspectus beatorum sic feratur super creatorem et creaturas in proprio genere visas quod uno aspectu et uno actu iudicet mutuas correlationes Dei et creaturae.

81. Decimo, an conscientia dicat potentiam unam vel plures aut actum aut habitum et an synderesis sit quaedam pars conscientiae et

---

(a) V add. *apprehensivae*.

(b) Duodecimo, id est, inde a quaestione 60.

iterum in quo differat recta conscientia a prudentia, fide et caritate regulata.

82. Undecimo, an lex naturalis dicat aliquid concreatum in intellectu vel voluntate aut aliquid aliud.

83. Duodecimo, an sit verum quod Aristoteles in *Ethicis* dicit de actu electionis, scilicet quod electio non est de fine sed de iis quae sunt ad finem et quod semper sequitur actum consilii seu deliberationis.

84. Tertiodecimo, an sit falsum dictum quorundam, scilicet quod actus electionis factus propter aliquem finem est idem actus numero cum velle illius finis, quamvis iste cum primo sumptus sit perfectior.

85. Quartodecimo, an sciens actu et in particulari hoc vel illud esse agendum tanquam honestum necessario habeat illud agere et an nesciens actu et in particulari illud esse (a) agendum non possit illud agere, immo necessario habeat illud non agere.

86. Quintodecimo, an habitus scientiae bonorum et honestorum ligetur per passionem pravae conscientiae vel irae, ne scilicet his perdurantibus possit exire in actualem considerationem boni honesti in singulari sumpti et obiecto praefatae concupiscentiae contrarii.

Deinde de corporali motu animalium a se ipsis facto quaeruntur tria.

87. Primo, an motus animalium voluntati vel appetitui sensitivo subiectus causetur immediate ab intrinseco actu appetitus, quo scilicet sufficienter vult et appetit se movere.

88. Secundo, an in motu corporis processivo seu voluntario moveatur ab appetitu aliqua una pars corporis primo et immediate ac postmodum reliquae per primam ut motae ab ea.

89. Tertio, an quandocunque anima movet unam partem corporis, aliqua alia stet fixa, ut a fixa inchoetur motus partis quae movetur.

Deinde de vitiis in communi quaeruntur viginti.

90. Primo, an species et genera vitiorum sumantur a positivo in quo fundantur vel a sua privatione.

91. Secundo, an genus vitii sumatur a suo proximo obiecto.

92. Tertio, an idem actus numero possit esse in duabus speciebus vitiorum et an diversae vitiositates eiusdem actus se habeant sicut genus et differentia speciei eiusdem vitii.

93. Quarto, an omnis circumstantia vitiosa variet speciem vitii.

94. Quinto, an species unius vitii possit esse pars integralis alterius vitii seu an unus actus vitiosus possit integrari ex pluribus actibus vitiosis habentibus vitiositates specie differentes.

(a) V *esset.*

95. Sexto, an omne vitium sit extremitas opposita medio alicuius virtutis et hoc sic quod extremitas illa remisse sumpta sit pars ipsius virtutis tanquam medii ab extremis compositi.

96. Septimo, an morale bonum et malum sint genera omnium moralium virtutum et vitiorum.

97. Octavo, an malus finis sit circumstantia vitii vel potius sit principale vitium.

98. Nono, an distinctio septem capitalium vitiorum data a Gregorio sit solius congruentiae vel necessariae sufficientiae.

99. Decimo, an omnia vitia sint spiritualia vel omnia sint (a) carnalia.

100. Undecimo, an spiritualia sint peiora quam carnalia.

101. Duodecimo, an quaedam vitia sint virtutibus magis similia vel minus contraria quam alia.

102. Tertiodecimo, an ab uno extremo vitiorum sit recedendum ad aliud extremum, ut tandem perveniatur ad virtutis medium.

103. Quartodecimo, an inordinatus amor sui sit primum peccatum cuiuscunque qui primo incidit in peccatum.

104. Quintodecimo, an in omni peccato sit privatio modi, speciei et ordinis.

105. Sextodecimo, an omnis imperfectio moralis seu in moralibus sit peccatum.

106. Septimodecimo, an omne imperfectum ex (b) genere sit imperfectum ex circumstantia et e contrario; an omne perfectum ex circumstantia sit perfectum ex genere et e contrario.

107. Duodevicesimo, utrum peccatum, in quantum malum, possit ab aliquo appeti.

108. Undevicesimo, an peccatum sit poena sui ipsius et ultra hoc aliquando alterius peccati et an, in quantum habet rationem poenae (c), sit a Deo plus quam in quantum habet rationem culpae.

109. Vicesimo, an reatus culpae possit esse in aliquo in quo non est nec fuit aliquis actus vel habitus pravus.

Deinde de peccato originali subditur tractatus in quo principaliter sex quaeruntur.

110. Primo scilicet, quae sit quidditas peccati originalis.

111. Secundo, quae sit causa eius effectiva.

112. Tertio, qua iustitia vel ratione permisit Deus animas a corporibus infici aut quomodo iuste potuit animas talibus corporibus infundere aut quare permisit corpus infectum propagari aut quare genitorem infectum permisit filios propagare.

(a) Al. m. ex *sin.* (b) Al. m. ex *in.* (c) Add. interl. al. m.

Hic autem quaedam aliae duae quaestiones circa opus primae conditionis includuntur; inter quas est quare Deus fecit hominem potentem peccare et quare per intermediam Evam.

113. Quarto, qua iustitia vel ratione huiusmodi infectio imputetur proli ad culpam et ad reatum poenae aeternae.

114. Quinto, an culpa originalis et actualis habeant univocam rationem culpae.

115. Sexto, quomodo originalis culpa probetur per novum et vetus testamentum.

Deinde ad evidentiam praedictorum subduntur duae quaestiones ceteris praedictis communes.

116. Primo scilicet, an Deus sit causa immediata totius entitatis quam realiter ponit peccatum vel culpa.

117. Secundo, an negatio seu deformitas culpae includatur substantialiter in actu vel habitu sibi substrato (a).

Deinde de peccato veniali.

118. Quaeritur an sit contra Dei praeceptum.

Et in hac multae difficultates et quaestiones includuntur.

Inter quas est: an veniale sit contra caritatem et contra virtutum rectitudinem et contra animam et an includat aliquem contemptum Dei et aliquam aversionem ab ipso et aliquam perversionem a fine et aliquam fruitionem boni commutabilis.

Item, in responsione ad duodevicesimum tangitur an peccata venialia in tantum possint augeri vel multiplicari quod faciant mortale.

Item, in responsione ad undecimum tangitur an unus fidelis minus peccet faciendo aliquod veniale quam unus infidelis vel e contrario et an infidelibus non baptizatis omnia venialia sint mortalia vel non.

In responsione ad undevicesimum tangitur an mendacium vel rancor, quae sunt venialia vulgo, sint aliquando mortalia viris perfectis.

In responsione vero ad vicesimum tangitur an originale sit contra praeceptum.

In hac quaestione monstratur quod in statu innocentiae quodcunque peccatum nobis veniale esset ibi mortale.

(a) Al. m. ex *subtrato*.

Quantum ad Secundum Librum

Primo quantum ad actum creationis vel creabilitatis quaeruntur sex.

QUAESTIO I.

Primo quaeritur an Deus alicui creato vel creabili possit communicare potentiam creandi.

Et videtur quod sic.

Et primo ex parte termini ad quem:

1. Omnis effectus finitus potest fieri ab aliqua causa finita, tum quia talis effectus finitus [a] non excedit in infinitum effectus causarum finitarum [b], tum quia causa quae [c] sic potest in illud finitum quod non potest in maius est necessario finita; sed non solum unus, immo et unusquisque effectus creatus est finitus; ergo unusquisque eorum potest creari a causa finita. — Dicebatur quod licet effectus sit finitus, modus tamen faciendi est infinitus. — Contra: aut ille modus est aliquid factum seu aliquid ponens in ipso effectu aut non. Si sic, ergo aliquod infinitum est creatum, et sic omnis creatura esset infinita. Si non, ergo adhuc stat argumentum, quia quicquid est in effectu est finitum.

2. Item, quod in infinitum excediturr a potentia alicuius agentis, nihil inconveniens si fiat ab illo, saltem per speciale [d] donum Dei; sed quicquid est in corporalibus terminus seu per se effectus creationis est in infinitum minus quacunque substantia et potentia intellectuali [e]; ergo et cetera.

---

[a] B[4] om. [b] B[4] *secundarum.* [c] B[4] *qua.* [d] Ex *specialem.* [e] B[4] *spirituali.*

Secundo, ex parte termini a quo, scilicet de nihilo:

3. Ubi enim nulla est distantia nec resistentia, nulla est realis magnitudo aut infinitas distantiae et resistentiae; sed inter nihilitatem praecedentem rem creatam et inter eius entitatem vel esse nulla est realis distantia intermedia, nec praefata nihilitas potest realiter resistere causae activae illius esse; ergo videtur quod longe minoris potentiae sit facere rem [a] de nihilo quam facere illud de contrario seu de subiecto eius contrarium in se habente.

Tertio, ex parte subiecti passivi actionum creatarum:

4. Patiens enim, in quantum patiens, nihil agit; ergo, in quantum tale, in nullo coadiuvat actionem potentiae activae, in quantum est agens; ergo absque omni patiente [b] et absque omni ordine ad patiens potentia activa creata poterit suam actionem agere [c] et maxime cum supernaturali dono vel auxilio Dei; sed hoc non est aliud quam de nihilo creare; ergo et cetera.

Quarto, ex praecellentia formae ad materiam:

5. Ex qua videtur quod maius sit facere formam quam materiam; sed multa agentia efficiunt formas; ergo multo magis possunt efficere essentiam materiae, saltem per singulare donum Dei; sed hoc est creare; ergo et cetera.

Quinto, ex factione primarum influentiarum cuiuscunque agentis:

6. Quae, ut videtur, necessario fiunt de nihilo, cum naturaliter praecedant eductionem quae fit de materia seu de aliquo.

Sexto, ex parte divini posse et sui possibilis:

7. Deus enim potest omne illud in quo non cadit [d] contradictio; sed in hoc quod creatura creet non includitur contradictio, tum quia ex hoc creatura non ponitur esse infinita, immo potius limitata a Deo ad certa creabilia et ad terminatum modum sic vel sic creandi — utpote dato quod non possit creare nisi capras, et hoc nisi centum, et hoc tantum per decem dies —; tum quia ex hoc multo minus [e] ponitur esse Deo aequalis, immo ponitur esse sub Deo, et in hoc ipso est dependens a Deo, et hoc ipsum accipiens a Deo; tum quia ex hoc creaturae sic creanti non debetur illud genus latriae seu adorationis quod competit [f] soli uni et summo

---

[a] B[4] *aliquid.* [b] Ex *pastiente.* [c] B[4] *facere.* [d] B[4] *includitur.* [e] B[4] *non* pro *m. m.* [f] B[4] *debetur.*

Deo, quia ex hoc non habet nec dicitur habere rationem summi creatoris, sed solum subsecundarii [a] et instrumentalis.

Septimo, ex praecellentia actuum liberorum seu libertatis creatae:

8. Si enim naturae corporales vel naturae non liberae potuerunt hanc potestatem a Deo accipere quod ad earum actus sequantur in rebus aliis mirabiles effectus, utpote quod de aere [b] fiat ignis vel productiones arborum et [c] animalium: multo magis, ut videtur, potuit ipsam a Deo accipere [d] voluntas angelica et eius imperiosum velle; sed perinde [e] est quod ad solum imperium sui velle arbor vel animal de nihilo producatur sicut et si de aliquo producatur, quia illud de quo educeretur in nullo iuvat velle, et quia ita fit [f] in instanti, et quia illud velle non oportet quod plus contingat illam materiam de qua fiet [g] arbor quam ipsum nihil de quo fieri dicitur; unde et videmus quod apud Deum aequalia sunt suo solo velle facere aliquid de aliquo et facere aliquid de nihilo.

9. Item, ratio cui quidam innituntur non [h] videtur valere. Dicunt enim quod si aliqua creatura crearet aliquod ens, tunc eo ipso posset creare omne ens; quia creans non dat solum esse in hoc particulari, sed etiam dat seu facit ipsum esse absolute. — Contra hoc enim [i] arguo: quia videmus quod lux generans radium dat sibi totam essentiam et tamen non propter hoc potest generare omnem radium eiusdem generis nec etiam eiusdem speciei, quia non potest generare radium genitum vel generabilem ab alia [k] luce sibi consimili. — Praeterea, unde sequitur: potest creare hoc esse vel esse in hoc, ergo potest creare omne esse? hic enim ex singulari infertur universalis; et ita est ibi, ut videtur, fallacia consequentis.

10. Item, non videtur valere quaedam alia ratio qua dicitur quod illud quod non agit se toto non potest facere totum; non enim agit per id quod est in eo materiale seu passivum vel potentiale, sed solum per id [l] quod est in eo activum et formale. Ex quo videtur quod non possit agere nisi formam, non autem materiam, et praecipue quia nihil agit nisi sibi simile. — Contra hanc enim rationem arguitur:

---

[a] B^4 *subsidiarii.* [b] Ex *aree.* [c] B^4 *vel.* [d] Ita B^4, V *recipere;* B^4 om. *a Deo.* [e] B^4 *idem.* [f] Ex *fuit.* [g] B^4 add. *illa.* [h] B^4 *nihil.* [i] B^4 *autem.* [k] Ex *aliqua.* [l] B^4 *illud.*

primo, quia dato quod forma miraculose fiat sine materia, sicut de formis accidentium fit in sacramento altaris, tunc ad minus forma illa aget se tota; ergo saltem tunc poterit creare; constat autem quod forma non est minus potens in sua materia quam existens extra suam materiam; ergo et cetera. — Secundo, quia ex hoc non probatur quin saltem forma possit creare formam, sicut creatur forma gratiae a Deo in mentibus nostris. — Tertio, quia non omnibus constat quin a Deo possit fieri aliqua pura [a] forma, nulla egens materia; et tunc videtur [b] quod videtur quod illa ageret se tota [c]. — Quarto, quia nullum agens agit se toto, id est, secundum totalem ambitum suae virtutis, nisi quando in uno actu facit totum illud quod facere potest; sicut dicimus quod fit [d] in productionibus Dei personalibus; unde Deus in creando hanc vel illam rem non explicat totum ambitum sui posse; non [e] videtur ergo quod ad actum creandi exigatur quod creans agat se toto.

11. Item, actio quae fit in speciebus sacramenti altaris nullum penitus habet recipiens, quia nulla est ibi materia ac per consequens nec potentia materialis; ergo illa fit penitus de nihilo et per modum creationis; sed illa fit ab agente creato; ergo et cetera. — Dicebatur quod agens illud [f] exigit certum aspectum ad locum specierum et ad species ipsas et quod aspiciendo eas quodam modo habet aspectum ad materiam speciebus debitam. — Contra: quia quod non eget patiente propter receptionem suae actionis non eget loco vel forma patientis, in quantum est patiens; cum etiam materia specierum sacramentalium non sit ibi secundum se [g], idem est aspicere ad eam quod aspicere ad omnino nihil. — Praeterea, ad quid oportet quod aspiciat species, nisi dicatur quod ipsae recipiunt actionem eius et ita quod vere habeant rationem materiae et subiecti primi?

12. Item, quicquid potest Deus velle potest facere; sed potest velle dari alicui potentiam creandi, immo et [h] potest velle quaecumque contradictoria, ut probabo; ergo et cetera. — Probatio minoris: quia Dei velle est tanti ambitus quanti est suum scire seu cogitare; sed ipse cogitat omnes contradictiones et optime novit eas et earum compositiones; ergo non solum potest eas velle, sed et vult eas. — Dicebatur quod Dei velle et scire sunt aequalis ambitus respectu eius

[a] B^4 om. [b] B^4 *arguitur*. [c] Ex *totam*. [d] Ita B^4, V *fuit*. [e] B^4 *unde*. [f] B^4 *ita*. [g] B^4 *esse*. [h] B^4 om.

in quo sunt seu respectu suae essentiae, non autem respectu eius ad quod sunt seu respectu obiectorum suorum. — Contra: maius est illud quod respectu sui et respectu obiecti est maioris ambitus quam illud quod altero modo solum. — Praeterea, infinitum non potest excedi, quia eo ipso esset finitum; si ergo Dei voluntas habet obiecta infinita, ergo non potest excedi ab obiecto scientiae Dei. — Dicebatur aliter ad primum, scilicet quod Dei scientia respicit quaedam per modum quidditatis, sciendo scilicet rationes seu quidditates eorum, in quibusdam vero ultra hoc scit eorum existere, utpote scit quod sunt vel erunt [a] seu fient vel fuerunt et quod consimiliter divinum velle se habet ita quod illa quae Deus scit ut quidditates solum, non autem eorum existere nec eorum fieri vult solum ut quidditates, quorum autem scit existentiam vult et eam. — Contra: Deus scit peccatum aliquod esse futurum et fiendum vel [b] factum et tamen non vult nec potest velle quod illud fiat vel sit vel fuerit. — Dicebatur et aliter quod illa quae Deus cogitat ut vera potest velle, quia illa sola cogitat cum assensu, illa vero quae cogitat ut falsa et cum dissensu non potest velle. — Contra: Nulla Deus cogitat ut falsa, quin apud se cernat compositionem praedicati cum subiecto, utpote cum cogitat falsum esse vel a me dictum esse quod homo non est homo; sed quoscunque terminos potest divinus intellectus componere tot potest et suum velle; ergo et cetera.

[Respondeo]

Circa quaestionem hanc fuit opinio Magistri Sententiarum quod Deus posset alicui communicare potentiam creandi, non tamen suam propriam quae est increata, sed aliam factam ab eo. Unde libro IV, distinctione V [1], ubi quaerit an Christus potestatem remittendi peccata interius, scilicet emundando vitia a cordibus, potuerit dare alicui, dicit quod « potuit, non quidem ipsam eandem qua ipse potens est, sed creatam, ita quod quicquid operaretur faceret Deo auctore [c] ». Et subdit: « Quod ita etiam posset Deus per aliquem creare aliqua [d], non tanquam per auctorem

---

[a] B[4] *essent.* [b] B[4] *et.* [c] Al. m. ex *auctore;* B[4] *Deo auctoritate* pro *D. a.* [d] B[4] *alicam.*

---

[1] Cap. 3, t. II, p. 776.

principalem, sed tanquam per ministrum cum quo et in quo operaretur ». Subdit tamen quod « si quis melius aperire possit, non invideo ».

Haec autem opinio communiter non tenetur nec est, ut credo, aliquo modo tenenda. Unde Damascenus, libro II, capitulo *De Angelis*, dicit [1]: « Quicunque aiunt angelos conditores cuiuscunque esse [a] substantiae, hi sunt patris sui diaboli; creaturae enim [b] existentes non sunt conditores ». Item Augustinus, libro III *De Trinitate*, capitulo 7, dicit [2]: « Nec sane illi mali angeli dicendi sunt creatores, quia per illos magi ranas et serpentes fecerunt; non enim eos ipsi [c] creaverunt, sed ex occultis seminibus rebus a creatore inditis illos eduxerunt ». Et post hoc subdit [3]: « Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum nec agricolas creatores frugum, ita non solum malos sed nec bonos angelos fas est putare creatores ». Et post [4]: « Itaque Apostolus discernens interius Deum creatorem atque formantem ab operibus creaturae quae admoventur extrinsecus et de agricultura similitudinem assumens [d] ait [5]: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed* [e] *Deus incrementum dedit.* Sicut ergo mentem nostram iustificando formare non potest nisi Deus, praedicare autem extrinsecus evangelium et homines possunt, ita creationem rerum visibilium Deus interius operatur, exteriores autem operationes per alios revera adhibet. Quapropter ita non possum [f] dicere angelos malos creatores fuisse ranarum, sicut non possum dicere homines malos esse creatores segetum. Et plura de hoc dicit per totum capitulum illud et sequens. Ubi notandum [g] quod utramque opinionem Magistri, de creatione scilicet et de iustificatione, simpliciter negat.

Ad videndum autem, quare in creatura nullo modo [h] possit talis potentia recipi nec esse, ex actione actus creationis et concomitantium aut consequentium ipsam oportet nos deduci seu manuduci. Creatio enim proprie sumpta, quantum est ex [i] se et ex parte creantis, non eget aliquo recipiente aut sustentante vel terminante actionem eius; et

---

[a] B^4 om. [b] B^4 om. [c] B^4 *ipsos*. [d] B^4 om. [e] B^4 *autem*. [f] B^4 *possumus;* idem subinde. [g] B^4 *notatur*. [h] B^4 *non* pro *n. m.* [i] B^4 *de*.

---

[1] *De fide orth.*, II, 3 (PG 94, 874). [2] PL 42, 875. [3] L. c. (PL 42, 876). [4] L. c. (PL 42, 876 sq.). [5] I Cor. 3, 6.

multo minus, quantum est ex se, eget aliqua materia de qua vel ex qua faciat illud quod facit. De ratione etiam eius est quod creans possit in totum esse et existere sive in totam essentiam, existentiam et subsistentiam eius quod creatur.

Ex his autem probatur quod omne creans habet perfectiones soli summo Deo competentes ac per consequens quod est summus Deus. Constat autem quod Deus nulli alii a se potest dare aliquid in quo includatur quod faciat eum summum Deum et idem quod ipsum.

Quod autem omne creans habeat huiusmodi perfectiones divinas, utpote, summam absolutionem, summam immensitatem et illimitationem [a], omnipotentiam, simplicitatem, summam dominationem et imperiositatem, summam independentiam et causalissimam ac radicalissimam in omnibus intimitatem et consimilia sic probo.

Et primo de summa absolutione:

Quod enim nullo patiente aut obiecto terminante nec aliquo materiali ad suam actionem eget potest agere et agit absque omni aspectu, id est, absque virtuali protensione et conversione seu determinata [b] sui applicatione ad quemcunque locum vel ad quodcunque forinsecum vel ad quemcunque realem terminum sui virtualis aspectus terminativum [c]. Patens est autem quod iste est modus absolutissimus [d], ita quod ex parte obiecti vel effectus non potest absolutior dari. Constat autem quod [e] absolutissimus modus agendi et virtutis activae respectu eius exigit absolutissimum modum existendi ac per consequens et absolutissimam essentiam. — Rursus, quod est absolutum ab omni aspectu ad quodcunque extrinsecum nullam habet partialem colligantiam cum aliqua parte universi, sed potius ad omnia se habet, quantum est ex se, uniformiter et absolutissime; ergo oportet quod vel ad ipsa se habeat ut omnia modo divino absolutissime circumplectens aut quod nec per modum totius nec per modum partis [f] aliquam coordinationem habeat cum partibus universi. Quocunque autem horum dato, licet

---

[a] Al. m. corr. [b] B⁴ *determinate.* [c] B⁴ *terminatum.* [d] Ex *solutissimus.* [e] In mg. [f] Al. m. ex *partis per modum.*

utrumque sit impossibile, oportet quod sit abstractissimum [a] ab omni conditione particulari seu partiali ac per consequens quod sit universalissimum ac per consequens et [b] imparticipatum.

De immensitate etiam, praeter [c] hoc quod iam dictum est, secundario probo:

Quod enim in agendo ad nullum locum est conversum seu applicatum ita potest agere in uno sicut in alio, et qua ratione in uno eadem ratione in omnibus, et qua ratione in locis actu existentibus eadem ratione in cunctis locis possibilibus; ergo eius potentia actu se extendit ad omnem locum possibilem esse et ita habet potentiam immensam. — Praeterea, cum omne agens sit immediate praesens suo effectui immediato et omni suo effectui, dum fit, sit [d] praesens mediate vel immediate: oportet quod omne agens, absolutissime potens in omnia loca actualia et possibilia, omnibus absolutissime sit praesens et in illo nunc in quo potest in quolibet immediate agere oportet quod sit immediate; et cum nulli possit adesse mediate, nisi ipsum determinate aspiciat per aliqua intermedia — cuius contrarium datur in proposito —: praedictum [e] agens seu creans oportet quod omnibus quibus est praesens sit praesens immediate. — Rursus, cum agens prius naturaliter sit quam suus effectus: qua ratione oportet quod agens sit praesens loco in quo aliquid creat oportet quod prius naturaliter sit ibi praesens quam ibi aliquid ab eo fiat. Ex hoc autem sequitur quod creans praefatum sit in omnibus locis possibilibus, antequam aliquid sit actu factum in eis ac per consequens et antequam ipsa sint actu, quia ipsa loca nihil reale ponunt praeter illa quae sunt in eis. Quis autem dubitet quin talis modus praesentialitatis et immensitatis competat soli Deo? — Amplius, effectus totam suam essentiam et existentiam praedicto modo accipiens a sua causa semper eget praesentia suae causae; ergo quocunque transferatur, habet suam causam immediate praesentem nec ex ratione suae localis translationis [f] variabitur habitudo eius ad praefatam causam essentiae suae; ergo, nulla locali mutatione facta in creante, oportet ipsum esse ubicunque sua creatura feretur [g] aut poterit ferri. Ex quo iterum sequitur quod creans sit simul ubique, non solum in locis actualibus, sed in omnibus ad

---

(a) B⁴ *absolutissimum.* (b) B⁴ om. (c) Ita B⁴, V *principaliter.* (d) B⁴ om. (e) B⁴ praemittit *si.* (f) B⁴ *transitionis.* (g) B⁴ *fertur.*

quae sua creatura poterit quomodocunque transferri. Et ultra hoc sequitur quod non solum aspectus eius ad creaturam suam sit abstractus ab omni respectu situali et locali, sed etiam quod eius effectus ad ipsum habeat respectum abstractum ab omni lege situali et locali. — Praeterea, omne quod dat totam essentiam et existentiam sui effectus et quicquid est reale in ipso oportet quod det sibi omnes reales respectus qui in ipso inveniri possunt; sed omne dans respectus reales oportet quod attingat terminos illorum respectuum; ergo omne creans oportet quod attingat omnes illos terminos qui realiter possunt inesse suo effectui; sed illi sunt infiniti; si enim creat materiam vel quamcunque potentiam passivam, tunc oportet quod attingat ad omnes formas modosque formales quos illa potest recipere. Et multo fortius oportet quod non solum praesentialiter sed etiam causaliter attingat omnia quae ex ipsa possunt educi, ac per consequens quod [a] causaliter attingat omnem virtutem activam cuiuscunque agentis quod [b] de re ab ipso creata potest aliquid [c] educere. Si autem creat formam, tunc oportet quod attingat omnes materias quas illa quomodocunque posset informare; et cum forma sit causa formalis suae materiae et materia sit causa materialis seu supportativa [d] suae formae, tunc oportet quod non solum praesentialiter sed etiam causaliter attingat omnes materias donabiles suo formali effectui et omnes formas donabiles suo materiali effectui. Constat autem quod omne tale est immensae causalitatis ac immensae potentiae et essentiae. — Praeterea, si creans, sicut iam probatum est, potest in omni loco creare, ergo quando creat aliquid in hoc loco, potest simul [e] aliquid eiusdem speciei facere in alio, et ita in infinitis locis possibilibus potest facere infinita eiusdem speciei; nec curo quod fiant simul, sed quod [f] ipse habet simul totum illud posse. Videtur ergo quod non solum habet potentiam infinitam ad individua eiusdem speciei, sed etiam quod habet posse super totam speciem, quia sub specie illa non possunt plura dari aut intelligi quam illa quae ponuntur ab isto posse fieri. Ex hoc autem ulterius arguo: quia secundum hoc totam speciem cuiuscunque materiae vel formae ab ipso creabilis vel creatae [g] habet sub sua potentia et causalitate;

---

[a] B^4 om. *causaliter... quod.* [b] Ita B^4, V *qui.* [c] B^4 om. [d] B^4 *subpositiva.* [e] Ex *similis.* [f] B^4 om. [g] B^4 *creabili vel creante*- pro *c. v. c.*

sed species primae materiae vel priorum formarum continet sub se innumeras species formarum seu differentiarum sequentium; ergo et creator eius continebit sub sua potentia omnia illa. Loquor autem [a] hic de specie quae competit materiae vel prioribus formis ex sola ratione suae simplicis essentiae per quam essentialiter et realiter differt ab omni essentia aliarum formarum sibi annexa. — Praeterea, creans secundum praedicta non limitatur in agendo ex parte patientis aut alicuius forinseci nec ex effectu quem fecerit limitatur ad simile peragendum, cum eadem potentia creativa remaneat sibi nec illa quae facit in se recipiat tanquam in materiam vel subiecto ipsorum, et ita nunquam plus vel minus in se repleatur per plurificationem illorum; ergo stante primo effectu ut iam facto potest in secundum; ambobusque stantibus potest in tertium; tribusque stantibus potest in quartum et sic infinitum; ergo omne [b] creans habet potentiam infinitam. — Praeterea, omne creans est exemplar sui effectus, non enim potest facere nisi sibi simile; si ergo creat materiam et formam et varias proprietates sui effectus, oportet quod omnium sit exemplar; sed constat quod materia non potuit creari a materia aut a potentia passiva, in quantum passiva, ergo oportet quod forma seu potentia creativa ipsius creantis sit talis et tanta quod possit esse exemplar materiae et omnium proprietatum materialium et universaliter omnium quae sunt in effectu; sed talis forma est immensa et supra omne [c] genus et ad nullam speciem determinati generis limitata; ergo et cetera. Intellige autem quod ipsa potentia creativa erit necessario hoc exemplar, quia ipsa est principium formale et activum creandorum vel creatorum ab ea. — Praeterea, nullum creans potest creare aliquid sibi univocum, quia nulla essentia ab altero totaliter [d] exiens et dependens est eiusdem speciei aut generis cum illa, cum in infinitum transcendatur ab illa et cum sit quaedam participatio et quaedam influentia seu [e] influxa similitudo illius, ita quod eius [f] esse est umbratile et volatile respectu esse suae causae; ergo creans habet transcendentiam analogam super omnia genera entis ab eo creati vel creabilis; sed omne tale est immensissimum et omnipotentissimum et ens summe supremum; ergo et cetera. — Rursus, cum naturaliter non

---

(a) B⁴ om. (b) B⁴ om. (c) B⁴ om. (d) B⁴ om. (e) B⁴ om. *i. s.* (f) Ex *est.*

determinetur [a] ad illud genus creandum plus quam ad aliud, ergo sicut potest [b] in illud analogum, sic et in [c] alia.

Tertio probo hoc ipsum de omnipotentia:

Omne enim agens naturale seu naturaliter et necessario est ab altero applicatum et inclinatum et, ut ita dicam, impulsum ad agendum suos effectus; sed, ut iam dictum est [d], talis modus agendi differt a creatione et a modo creandi; ergo impossibile est actum creationis esse ab aliquo naturaliter et necessario suum effectum agente; ergo oportet quod sit a solo imperio alicuius liberae voluntatis; ergo omne creans [e] creat per solum liberum imperium sui velle; sed omne tale potest creare quaecunque potest velle creare et quaecunque potest libere disponere et cogitare creanda potest etiam illa facere sub omni mensura et modo quam eis taxare voluerit; omne autem tale est omnipotentissimum; ergo et cetera. — Praeterea, potentia quae omnino eadem manens potest in opposita [f] est potentia liberrima; sed omnis potentia creans est huiusmodi, quia absque sui variatione potest effectum quem creat annihilare: alias nihil posset creare nisi sibi coaevum et etiam vehementer esset arctata ad agendum, si nunquam posset illud non agere; constat autem quod non potest fieri potens ad agere et non agere per successivam variationem sui aspectus, cum ponatur agere sine omni protensivo et [g] applicativo aspectu. — Praeterea, potentia creans non potest esse mota aut applicata ab aliqua potentia superiori, sicut nostrae potentiae inferiores moventur et applicantur a voluntate, quia omnis talis potentia agit sub determinato aspectu et impulsu sibi ab altero dato; ergo omnis potentia creans est necessario potentia libera et suprema et nulli alii potentiae subiectibilis vel subiecta. — Praeterea, quod creat et conservat in aliis per se existentiam summam et firmissimam debet in se habere per se [h] existentiam tanquam causalem et exemplarem illarum rerum [i] quas facit et facere potest; sed omnis existentia non libera nec personalis est incomparabiliter minor quacumque libera vel personali, et omnis libera quae non potest alteri dare vel dare per se existentiam est incomparabiliter minor illa quae hoc potest; ergo omnis potentia creans est quaedam personalis et libera per se existentia [k] in infinitum transcendens nostram perso-

---

[a] B^4 *determinentur.* [b] B^4 om. [c] Corr. interl. [d] B^4 om. [e] B^4 *creas.* [f] B^4 *oppositis.* [g] B^4 om. [h] B^4 om. *p. s.* [i] Ita B^4, V om. [k] B^4 *existentis.*

nalitatem et libertatem. — Praeterea, constat quod omnis forma corporalis aut sequens leges corporis nihil potest agere nisi sub certo aspectu, aliquo modo respiciendo determinatum situm et locum; ergo impossibile est quod potentia creans sit aliqua talis aut quod insit alicui tali formae; ergo potentia creans est necessario potentia intellectiva et libera. Ex quo ulterius arguo: Omnis potentia intellectiva vel volitiva cuius actus differt ab ipsa nunquam potest operari suos actus nisi sub determinato aspectu ad immediata obiecta suorum actuum; oportet enim quod tam potentia quam eius actus fortissime applicentur alicui rationi obiectivae; si autem respectu actus intrinseci oportet eam per certos aspectus protendi, ergo multo magis hoc oportebit respectu vel effectus extrinseci; sed talis modus repugnat modo creationis et rationi eius; ergo oportet quod omnis potentia creativa sit talis potentia intellectualis quod ipsa sit suus actus, ita quod sit suum intelligere et suum velle; sed sicut alibi est probatum, omne tale est summus Deus; talis etiam potentia nihil operatur extra nisi per suum liberum velle et per suam liberam excogitationem et dispositionem fiendorum seu creandorum; ergo et cetera. — Praeterea, potentia ([a]) creans est in infinitum altior quacunque potentia quae eget patiente vel obiecto terminante ad hoc quod aliquid agat; ergo omnis potentia creans est in infinitum altior omni intelligentia et voluntate creata quae utique eget tam obiecto terminante quam intrinseco patiente, in quo scilicet sua actio recipiatur; sed nulla potest has potentias in infinitum excedere nisi sola potentia omnipotens quae est Deus; ergo et cetera.

Quarto de ([b]) summa simplicitate hoc probo:

Primo, quia omne compositum ex partibus est limitatum ad certum locum et agit ([c]) sub certo aspectu, quia si partes intra se per aspectus mutuos sibi invicem applicantur, multo magis ad exteriora ferri non possunt sine determinato et ([d]) speciali aspectu. — Secundo, quia omnis potentia habens partes aliam partem sui effectus agit per unam partem et aliam per aliam et alium aspectum habet una quam alia ([e]); quae omnia repugnant modo creationis et potentiae creantis. — Tertio, quia quod omnibus locis et suis effectibus simul adest et cuilibet parti ([f]) eorum oportet quod sit simplicissimum. — Quarto, quia potentia creandi est necessario idem quod

([a]) B[4] om. ([b]) B[4] *ex*. ([c]) In rasura. ([d]) Al. m. ex *in*. ([e]) Al. m. marg. ([f]) Ita B[4], V om.

tota essentia creantis: si enim esset eius pars formalis [a] aut eius accidens, tunc necessario haberet respectum partialem ad alias partes vel accidentalem ad principalem existentiam seu subsistentiam sui subiecti; et tunc non posset operari modo absolutissimo; tunc etiam non posset creare aliquam per se existentiam, ex quo ipsa per se et in se non haberet eam; tunc etiam non posset creare materiam nec aliquid quod non esset similitudo suae partialis vel accidentalis quidditatis. Ex hoc autem et etiam ex omnibus praecedentibus potes videre qualiter et quare est verum verbum dicentium quod omne creans agit per se toto et quod illud quod non agit se toto non potest creare.

Quinto de summa dominatione hoc probo, licet ex praemissis de omnipotentia et immensitate hoc satis elucescat:

Summum enim dominium super res est solo nutu eas [b] facere et annihilare et in quodcunque res est vertibilis subito eam vertere; tale autem est creans super suum effectum; quod ex praemissis diligenter animadversis aperte probari potest: omnis enim variatio et variabilitas possibilis in esse creaturae subiacet plenarie potentiae ipsius creantis, et si [c] potuit facere eam de nihilo absque alicuius materiae auxilio, multo magis de ipsa iam facta poterit facere omnia illa quorum ipsa est quomodocunque susceptibilis. — Rursus, si omne creans, ut iam dictum est, est necessario ens intellectuale et [d] liberum, multo magis aut saltem aeque poterit creare entia participantia suam intellectualitatem et libertatem sicut et corporalia; et tunc habebit omnipotens dominium in illa. Cum enim formalis et finalis perfectio creaturarum dependeat a suo creante, non solum sub ratione causae efficientis sed etiam sub ratione causae exemplaris et finalis, quia omne totaliter originatum et substantificatum ab altero perficitur in continuatione et immediata coniunctione sui ad illud, ut, sicut ab illo totaliter exit, sic illi totaliter cohaereat et in illum totaliter redeat: oportebit quod illorum finalis et totalis perfectio sit in unione immediata sui ad illum et ita eorum finalis beatitudo et formalis iustificatio erit illi subiecta sub ratione triplicis causae. Et si dicatur [e] quod per hoc uniuntur illi, scilicet creanti, secundum quod uniuntur [f] et Deo: nihilominus

---

([a]) B[4] *corporalis.* ([b]) B[4] *solo eas,* V *solo nutu ea* pro *s. n. e.* ([c]) B[4] *sic.* ([d]) Ita B[4], V om. ([e]) B[4] add. *hoc.* ([f]) B[4] om. *scilicet... uniuntur;* quod al. m. mg. add.

tanta dominatio cuiuscunque creaturae super quamcunque naturam vel personam intellectualem nullatenus est ponenda, et maxime quia soli illi essentiae quam ponet eius potentia creativa competet totaliter praedicta dominatio et dominativa perfectio et triplex causalis habitudo paulo ante praemissa. Et tunc oportebit quod essentia suae potentiae creativae sit caritas et iustitia et gloria talis ac tanta quod suae creaturae (a) possint per eam iustificari et beatificari et summo Deo tanquam obiecto beatifico uniri; quae nullatenus stare possunt.

Ulterius quaero an aliquod (b) aliud creatum poterit aliquid agere vel destruere in re creata ab illo. Si non, ergo omnis eius effectus est sibi in tantum summe subiectus quod nullum creatum praeter ipsum potest aliquid in illud; et praeter hoc sequitur quod res ab eo creatae nullam penitus connexionem habeant cum aliis rebus. Si sic, tunc duo inconvenientia sequuntur. Quorum primum est superius tactum, scilicet quod omnia quae agent in rem ab ipso creatam erunt eo ipso subiecta potentiae illius creantis, ita quod erunt tanquam illius instrumenta ab ipso intime possessa et mota. Secundum est quod potentia omnium talium agentium erit in infinitum minor potentia illius creantis, quia illa in agendo super rem ab illo creatam egent patiente et determinato aspectu super rem illam et immutando illam invenient aliquam contrarietatem et resistentiam; quorum nullum potest dari in creante respectu suae creaturae, unde nec ab ea nec ab aliquo altero potest vel ad modicum impediri quin facillime de ea faciat quicquid vult aut quicquid inde quomodocunque facere potest; si autem habet potentiam in infinitum maiorem potentiis aliorum agentium, tunc non solum est infinitum, sed in (c) infinitum praevalens (d) super illa. — Praeterea, si res ab eo creatae possunt agere in alia quaevis non creata ab illo, eo ipso sequitur quod sint ea subiecta, ita quod longe altiori modo potest in illa quam possint (e) res ab eo creatae, quia illae nihil agunt aut agere possunt nisi ut instrumenta illius ab ipso intime possessa et acta.

Sexto de summa independentia hoc ipsum probo:

Omne enim cuius esse est essentialiter purum et summum necesse (f) et summe indefectibile et invariabile nullo

---

(a) Al. m. ex *creatus* (?). (b) B⁴ *aliquid.* (c) Corr. interl.. (d) B⁴ *infinita praevalent,* pro *i. i. p.* (e) B⁴ *faciant.* (f) B⁴ *necessario.*

modo potest ab aliquo alio dependere, saltem sicut a creante vel conservante; sed omne creans est huiusmodi, cuius probatio ex omnibus [a] praecedentibus patet: quia omne cuius esse est immensum et imparticipatum et absolutissimum et omnipotentissimum [b] oportet quod sit in essendo [c] actualissimum et validissimum. — Praeterea, cuius essentia et esse habet firmitatem in infinitum stabiliorem esse creato oportet quod sit in infinitum distans a possibilitate non essendi; constat autem quod esse creantis est in infinitum firmius quam esse cuiuscunque rei ab eo creatae vel creabilis [d] ac per consequens et quam esse cuiuscumque rei eiusdem generis vel praedicamenti cum rebus ab eo creabilibus vel creatis aut quam quodcumque esse quod [e] non est in infinitum firmius quam sit [f] esse rerum ab eo creatarum; ergo et cetera. — Praeterea, cuius essentia et esse et posse simul et praesentialiter attingit omnia praeterita et futura, praesentia et totam possibilitatem temporum in ante et post ipsum est essentialiter aeternum ac per consequens et essentialiter increabile et increatum et est in essendo summe necessarium; sed. ut ex praedictis et specialiter ex dictis de immensitate et de omnipotentia et praedominatione patet, omne creans est huiusmodi; non enim eius potentia aliter est omnipotenter [g] et in immensum potens super omnia eiusdem generis vel speciei cum suis creatis nec aliter posset in immensum super omnem locum possibilem fore. — Praeterea, detur quod Deus iam diu ante creaverit aliquam rem cuius species est subiecta potentiae huius secundi creantis: constat quod eo ipso quod habet nunc talem creatricem potentiam potest in creationem et conservationem illius rei a Deo iam diu [h] creatae; sed hoc est impossibile, nisi eius potentia [i] praesentialiter attigerit eam in praeterito tempore quo fuit creata; ergo et cetera. — Praeterea, si omne creans, ut probatum est, creat per solum imperium sui velle, constat autem quod suum [k] velle ita libere potest ferri super praeterita et futura sicut et [l] super praesentia: ergo eius creatrix potentia ita praesentialiter attingit praeterita et futura sicut et praesentia.

---

[a] B^4 om. [b] Al. m. mg. add. *e. o.* [c] B^4 *agendo.* [d] B^4 *creabili.* [e] Add. interl. al. m. [f] B^4 om. *esse... sit.* [g] B^4 *omnipotens.* [h] Ita B^5, V B^4 add. *et.* [i] B^4 *praesentia.* [k] B^4 om. *velle... suum.* [l] B^4 om.

Septimo probo hoc [a] de causalissimo et radicalissimo et [b] intimissimo illapsu eius in omnia:

Et primo patet hoc de his quae ponuntur ab eo creata; cum enim ab eo fiant absque omni protensione ad extra, oportet quod [c] absolutissime faciat omnia intra se, sicut facit Deus; oportet etiam quod absolutissime adsit toti suo effectui et cuilibet parti eius et quod adsit ei tanquam causa statuens et intime tenens totam radicem suae essentiae et sui esse et suae per se existentiae [d] sive subsistentiae [e]. Ex praedictis autem de immensitate et omnipotentia patet quod etiam [f] praedicto illapsu sit praesens universaliter omnibus.

Ex praedictis igitur satis, ut puto, patet et, si ab aliquo plenius pertractentur, poterit copiosius apparere quam impossibilis est positio praedicta et quantum derogat honori divino et omnium creaturarum quae potentiae secundi creantis subicerentur. Praeiudicat etiam omnibus quae secundum fidem tenentur de causalitate gratiae et gloriae, quod ad praesens in speciali pertranseo, quia ex tactis in materiis de gratia et gloria faciliter patere potest impugnatio praedictae positionis quoad hoc quod ponit potentiam iustificativam mentium [g], id est, potentiam infusivam internae iustitiae mentium, posse [h] communicari creaturae.

[Solutio Obiectorum]

1. Ad primum igitur in contrarium dicendum quod prima [i] est falsa. Ad id ergo quod in eius probatione primo affertur, scilicet quod nullus effectus finitus excedit in infinitum effectus causarum finitarum, patet: quia hoc dupliciter est falsum, primo, loquendo de effectu non secundum id quod ponit in se, sed secundum hoc quod necessario exigit fieri a sola causa infinita et per modum agendi infinitum; secundo, quia plura [k] sunt finita quae excedunt in infinitum plura finita [l], ut linea cubitalis est in [m] infinitum maior puncto et punctus in infinitum simplicior ipsa et substantia intellectualis est in infinitum nobilior omni corpore. Sic etiam creatio passio et omnis creatura, in quantum est terminus creationis, excedit

---

[a] B^4 om. *p. h.* [b] Add. interl. al. m. [c] Add. interl. al. m. [d] B^4 *existenti;* al. m. mg. add. *suae existentiae.* [e] Al. m. mg. add. *s. s.* [f] B^4 *et in modo.* [g] Hic in B^4 adest lacuna; idem subinde. [h] Ita al. m. mg. [i] B^4 add. *propositio.* [k] B^7 om. [l] Ex *infinita.* [m] In mg.

in infinitum omnem effectum agentis creati quantum ad suum fieri, in quantum illud accipit ab agente creato. — Ad id etiam quod secundo affertur patet: quia licet potentia creans non possit in aliquem unum effectum infinitum propter contradictionem implicatam [a] ex parte talis effectus, potest tamen in infinita numero. Et licet illa infinita non possint fieri simul, Dei tamen posse quo in illa potest est totum simul. — Ad minorem etiam potest dici quod licet uno modo sit [b] vera, loquendo scilicet de absoluta entitate creaturae, non tamen loquendo de ea in respectu ad causam et ad modum agendi suae causae. Sicut enim dicimus culpam esse infinitam, non quia habet essentiam infinitam, sed quia meretur poenam infinitam et quia offendit infinitum bonum, scilicet Deum: sic effectus creationis potest dici infinitus, pro quanto non potest fieri nisi per causam infinitam et per modum agendi infinitum. Et pro tanto potest concedi ille modus respondendi qui subdebatur; quamvis enim modus faciendi nihil ponat [c] absolute infinitum in creatura, nihilominus ponit ibi quendam respectivum ordinem ad causam infinitam, scilicet ad ipsum creans et ad suum modum agendi infinitum, qui pro tanto potest dici et dicitur infinitus, pro quanto ex parte termini a quo non potest habere nisi terminum infinitum.

2. Ad secundum dicendum quod prima propositio [d] non est universaliter vera, quia ad hoc ut aliquid possit fieri ab altero et maxime per modum creationis non sufficit quod illud excedat eum, sed oportet quod hoc sit aptum [e] fieri ab illo et tali vel tali modo; unde licet corpus brutale vel lapideum sit incomparabiliter vilius angelo vel anima rationali, non tamen potest informari ab eis nec voluntas posset in se generare actum oculi nec illum immediate elicere, quamvis sit incomparabiliter dignior oculo et eius visu.

3. Ad tertium dicendum quod quando dicitur quod inter ens et omnino nihil est infinita distantia, non [f] est intellectus quod inter illa sit aliqua quantitas infinita, sed quod per nullum gradatum ascensum [g] agentium creatorum vel finitorum potest uterque terminus sic attingi quod ens de omnino nihilo educere possit. Unde nulla magnitudo potentiae finitae attingit ens vel factibile in relatione ad omnino

---

(a) B^4 *implicitam*. (b) B^4 *si*. (c) B^4 *ponit;* et infra om. *infinitum*. (d) B^4 om. (e) B^4 add. *natum*. (f) B^4 repetit. (g) B^4 *graduum accesum*, pro *g. a.*

nihil nec è contrario. — Rursus, falsum est quod subditur, scilicet quod facilius est facere rem de termino realiter non distanti nec repugnanti quam de termino realiter non distanti et repugnanti, nisi hoc intelligatur ceteris paribus. Plus enim importat subsidii sola praesentia passiva vel mobilis quam afferat impedimenti contraria forma vel dispositio ipsius mobilis. Plus etiam est nullo egere passivo [a] subiecto nec posse habere aliquod vel modice resistens quam posse vincere sibi resistens; unde Dei omnipotentia tanta est quod nihil eam impedire vel sibi difficultatem resistentiae aut violentiae dare potest. Licet enim dicamus quod voluntas mala sibi resistit, hoc non est per hoc quod Dei potentiam retundat aut quod in iis quae illa in omnem eventum vult fieri sibi aliquo modo resistere possit.

4. Ad quartum dicendum quod licet patiens, in quantum patiens, nihil agat, proprie sumendo agere, scilicet pro efficere: nihilominus vere cooperatur seu coadiuvat, et hoc in tantum quod agens creatum nullo modo est potens vel aptum agere nisi cum aliquo et in aliquo patiente quod terminet aspectum virtutis activae ipsius agentis et recipiat ac substantificet influxum ipsius.

5. Ad quintum dicendum quod agens creatum nullam formam potest de materia facere seu educere tanquam de omnino nihilo nec eo modo quo fit, quando creatur a Deo de omnino nihilo. Et hoc duplici ex causa: primo scilicet, quia magnum subsidium dat materia agenti ex hoc solo quod terminat eius aspectum et suscipit ac supportat eius influxum; secundo, quia formae de materia educibiles pro tanto sunt a Deo in creatione materiae concreatae, pro quanto ipsa est creata mobilis ad illas. Unde agens creatum nihil facit in eductione huiusmodi formarum nisi solum quod movet materiam ad illas, ipsam autem movere non posset, nisi ipsa esset mobilis ad illas. Et ideo Augustinus, III *De Trinitate*, capitulo 7, optime dicit [1] quod creationem rerum visibilium Deus interius operatur, exteriores autem operationes ceterorum agentium rerum natura adhibet, quemadmodum agriculturam agri vel terrae. Ideo etiam praemisit [2] quod « Apostolus Deum interius creantem atque formantem discernens ab operibus creaturae quae admoventur extrin-

[a] Al. m. mg. add. *ipsius... passivo.*

[1] Capp. 8 et 9 (PL 42, 875 sqq.). [2] L. c., n. 14 (PL 42, 876).

secus assumpsit similitudinem de agricultura, quando ait [1]: *Ego plantavi*, et cetera » Et tamen [a] rationabiliter tenetur quod formas naturales Deus facit utens ad hoc natura creata tanquam instrumento; et sic facit naturale incrementum plantarum. — Rursus, sciendum quod licet forma quantum ad determinatum modum entis et esse sit nobilior materia, non tamen quantum ad esse radicale seu quantum ad subsistentiam et continentiam potentialem. Ex quo ulterius sequitur quod factio materiae non potuit aliquo modo includi in aliqua potentia praeiacenti [b], sicut potuit forma. Non est etiam universaliter verum quod omne vilius possit fieri [c] a viliori vel aeque ignobili causa, utpote quando illud vilius in se includit defectum omnis subsidii vel auxili creati aut cuiuscunque subsidii necessarii ad agendum talem vel talem effectum.

6. Ad sextum dicendum quod illae influentiae non fiunt simpliciter de nihilo nec unquam agens intendit [d] earum factionem absolutam, ut scilicet det eis esse in se ipsis; sed potius intendit suum patiens afficere et afficiendo sibi assimilare; unde lux proprie non facit lucem, sed potius ipsam patiens facit esse lucidum. Et intellige quod non sufficeret quod patiens solum se haberet ut locus influentiae fiendae, immo oportet quod se habeat ut formabile et quod tandem sit ut formatum. Et pro tanto potest vere dici quod lux fit de ipso illuminabili, sicut et vere dicimus quod de non lucido fit lucidum et de illuminabili illuminatum [e]. Unde et Augustinus vult formas primas, in primo nunc creationis mundi materiae datas, factas fuisse de materia. Ait enim, libro XIII *Confessionum*, capitulo ultimo [2]: « Opera tua a te facta [f] sunt de concreata, id est, simul a te creata materia; quia eius informitatem [g] sine ulla temporis interpositione formasti. Nam cum aliud sit caeli et terrae materies, aliud caeli et terrae species: materiem quidem de [h] omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia, simul tamen utramque fecisti, ut materiam forma [i] nulla morae intercapedine sequeretur ».

---

[a] Al. m. mg. add. *E. t.* [b] B⁴ *patienti.* [c] B⁵ *fieri possit.* [d] B⁴ add. *aut insistit.* [e] B⁵ B⁴ *luminatum.* [f] Corr. interl. ex *factas;* B⁵ om. *sunt.* [g] Ex *infirmitatem.* [h] Add. interl. al. m. [i] B⁴ om., al. m. mg. add.

---

[1] I Cor. 3, 6. [2] Cap. 33 (PL 32, 866).

7. Ad septimum patet ex praedictis in quibus ostensum est quam multiplex contradictio et in Deum contumelia et contumeliosa aequalitas ibi includatur. Et patet etiam ex praemissis quod potentia creatrix non potest in aliquo poni ut limitata ad certum numerum vel ad certam speciem creandorum.

8. Ad octavum dicendum quod velle nostrum alium habet ordinem ad obiectum seu ad volitum, in quantum volitum, et alium [a] ad suum effectum; effectus enim sui non possunt ab eo fieri nisi sub determinato aspectu ad aliquod patiens, sive illud patiens sit extrinsecum sive [b] intrinsecum. Et tamen hi non possunt ab eo fieri quomodocunque vel quanticunque [c], sed solum iuxta limitem suae naturalis seu formalis efficaciae. Et ideo, si vult obiecta sua fieri ultra mensuram suae naturalis efficaciae aut sine mediato vel immediato aspectu sui ad idoneum et determinatum patiens, nihil per hoc penitus efficiet aut efficere potest. Verumtamen praesupposito hoc ordine potest a Deo recipere longe maiores efficacias quam sol modo habeat. Unde voluntas Angelorum vel animae Christi per efficacem motum sui et suarum potentiarum motivarum mirabilia possunt in universo, plus quam nos comprehendere vel extimare [d] possemus. Recipere autem sub primo ordine esset idem quod recipere potentiam creatricem, quia tunc quicquid posset velle et quomodocunque, totum pro libitu posset mox efficere.

9. Ad nonum dicendum quod illa quidem ratio realiter bona est, sed tamen vis suae consequentiae eget clarificatione ulteriori; quam pro posse tetigi in rationibus supra scriptis et specialiter in quibusdam de immensitate.

10. Ad decimum consimiliter patet et specialiter per illud quod tactum est in rationibus de simplicitate. Cum enim dicitur quod creans agit se toto, sensus est quod agit per potentiam simplicissimam quae est ipsum totum et perfectum ens. Forma autem creata, quomodocunque ponatur in esse, non agit hoc modo se tota; quia nec ipsa est simplicissima [e] nec ipsa vel eius potentia est ens totum et perfectum, in se comprehendens totales rationes omnium factibilium et creandorum.

11. Ad undecimum dicendum quod sicut tangebatur, agens creatum non potest agere nisi sub certo aspectu ad

---

[a] Corr. interl. al. m., B^5 B^4 *aliud*. [b] Ita B^4, V B^5 *aut*. [c] Corr. interl. al. m. ex *quantique*. [d] Ita in ras. [e] B^4 add. *quia*.

aliquod determinatum obiectum et, quantum est ex parte sua, semper in agendo aspicit determinatum patiens; quod vero eius aspectui et actioni aliquando de facto non subsit, fit [a] per supernaturalem potentiam Dei. — Quod vero subinducitur quod si potest agere sine patiente, multo magis sine aspectu ad locum vel ad species vini vel panis quae per actiones huiusmodi variantur: dicendum quod duplici ex causa potius eget loco vel speciebus quam patiente. Prima est, quia ablato omni loco eo ipso aufertur aspectus ad quodcunque locale obiectum; ablato autem patiente, remanente tamen loco vel aliquo quod possit obici aspectui agentis non aufertur aspectus ad locum vel ad obiectum. Secunda est, quia in actionibus variativis [b] transmutationi formarum coniunctis praeexigitur [c] necessario forma quae corrumpitur seu variatur et cum hoc subexigitur forma quae per actionem huiusmodi generatur; et ideo quando per actionem ignis sacramentales species variantur, oportet ipsas species ibi adesse. Potest etiam dici quod licet forma non habeat proprie rationem patientis, ut scilicet tanquam materia ab eo quod recipit [d] informetur, quasi prius esset informis: pro tanto tamen potest esse patiens, pro quanto quaedam formae vel accidentia non possunt in materiam [e] recipi aut fieri, nisi convertantur ad quasdam formas priores, tanquam ad sibi quodam ordine formali substratas et substernendas. Non est etiam verum quod idem sit referri ad materiam quae actu non subest quod referri ad nihil, quia ex parte eius quod refertur ad illam est quasi subsistens. Unde et per miraculum posset Deus facere quod ignis ageret in loca quae sunt post se, quamquam essent omnino annihilata, ita [f] quod nihil esset ibi nisi solus influxus ignis; sicut et Deus posset movere supremum caelum supra vel infra, ac si esset ibi ulterior locus; quia tunc aspectus agentium et mobilium ita dirigitur ad extra sicut si ibi [g] essent determinata patientia et obiecta.

12. Ad duodecimum dicendum quod in Dei voluntate non solum includitur velle sed etiam nolle, id est, velle affirmationis unius et negationis alterius. Et iterum haec duo includunt in se alia duo, quia est velle simplicis approbationis et nolle simplicis odii, quod tamen non obsistit existentiae aut [h] factioni eius quod odit. Et potest sumi sic

---

(a) B⁴ add. *sic.* (b) B⁴ *variatis.* (c) B⁴ *praeexigit.* (d) B⁵ *recipitur.* (e) B⁴ *materia.* (f) B⁴ *et.* (g) B⁴ add. *esset.* (h) B⁴ *vel.*

quod obsistat ei quod non vult et quod omnino esse faciat id quod vult. Voluntas igitur Dei, prout haec omnia in se includit, aequatur suae scientiae, non solum in essentia [a] sed etiam in obiectis. — Ulterius, sciendum quod quando paucitas obiectorum non provenit ex aliquo defectu aut coarctatione actus vel potentiae, tunc nullam minoritatem ponit in actu vel potentia, sed solum in ipsis obiectis. Quod ergo Dei velle, prout fertur super affirmationem, non habet tot obiecta sicut Dei scire, quia hoc non provenit ex coarctatione divini velle, sed potius [b] ex eius amplissima libertate et bonitate [c]: idcirco suorum obiectorum paucitas non minus attestatur eius magnitudini quam pluralitas obiectorum attestetur [d] magnitudini scientiae Dei. — Amplius, sciendum quod licet infinitum non sit maius infinito, secundum quod est infinitum, est tamen secundum quod est finitum. Obiecta autem divini velle sunt finita secundum illum respectum secundum quem exceduntur ab obiectis scientiae Dei, eo modo quo et dicimus quod infiniti binarii respectu latitudinis secundum quam possent excrescere in ternarios vel quaternarios [e] exceduntur ab infinitis ternariis, quamvis non excedantur ab eis secundum linearem sui protensionem in longum. — Quarto, sciendum quod quaedam compositio terminorum potest in ratione divinae scientiae includi quae non posset in divino velle, nisi pro quanto Deus vult illam compositionem esse per modum obiecti in scientia sua; scire enim istum peccare est verum et bonum et tamen velle ipsum peccare est malum. Si tamen compositio terminorum sumatur sive sub negatione sive sub affirmatione, sic in tot potest Dei voluntas per suum velle et nolle sicut potest scientia Dei per scire compositiones terminorum esse veras vel falsas.

---

[a] Al. m. mg. ex *scientia*, quod habent B^5 B^4. [b] B^4 *solum*. [c] Al. m. mg. add. [d] B^4 om. *magnitudini... attestetur*. [e] Al. m. add. *v. q.*

QUAESTIO II.

Secundo quaeritur an creatio passio, id est, an creari addat aliquid realiter diversum super essentias rerum creatarum.

Et quod sic videtur.

1. Quandocunque alterum duorum positivorum potest tolli vel transire ab altero illo remanente, illa necessario differunt realiter et unum addit ad alterum aliquid realiter differens ab illo; sed nunc creari transiit et praeteriit remanente essentia rei creatae; ergo et cetera.

2. Item, id quod permanet in tota successione differt realiter ab ipsa successione et a partibus eius, quia illud est totum simul, haec vero sunt solum in successione; sed creatio et conservatio sunt in transitu successivo, essentia vero rei est semper tota simul; ergo et cetera.

3. Item, si essent idem, unum praedicaretur de altero; sed non bene dicitur: creatura est creatio; ergo et cetera.

4. Item, rerum non [a] creandarum videt Deus totam quidditatem et essentiam et tamen non videt eius creationem, cum non sit creanda; sed si essent omnino id ipsum, non posset [b] unum videre sine altera; ergo et cetera.

5. Item, nulla res est causa suae existentiae; sed creari est causa existentiae creaturae; non enim ideo creatur, quia est, sed potius ideo est, quia creatur; sed omnis causa differt realiter a suo causato; ergo et cetera. — Item [c], Avicenna, III *Metaphysicae*, dicit [1] quod relativa referuntur per relationes, ipsae vero relationes [d] se ipsis referuntur; ergo relativa realiter differunt a relationibus suis, alias relativa referuntur se ipsis, sicut et ipsae relationes; ergo et cetera.

---

[a] Al. m. mg. add., B^5 B^4 om.; *creandarum* ex *reandarum*. [b] B^4 add. *videre*. [c] Haec obiectio in solutionibus non tangitur; al. m. mg. notat *vacat*. [d] B^5 om. *i. v. r.*

---

[1] Cap. 10, fol. 83rv.

6. Item, absurdum est dicere quod creatio sit composita ex materia et forma; sed hoc oportet dici, si ipsa est [a] omnino idem quod substantia rei creatae; ergo et cetera.

7. Item, mutatio differt a mutato sicut receptum a recipiente vel a subiecto; sed creatio est mutatio creaturae de non esse in esse et creatura est per eam mutata; quod patet, quia habet se aliter nunc quam prius; ergo et cetera.

Respondeo

Quod nihil addit realiter diversum, dicit tamen quandam rationem respectivam in essentia rei creatae realiter inclusam, ita quod essentia creaturae habet in se absolutam rationem [b] suae essentiae et hanc [c] rationem respectivam qua vere est et fuit a Deo absque aliqua diversitate essentiali.

Hoc autem probatur primo ex hoc quod creatio non potest addere ad rem creatam aliquid accidentale nec partiale quod dicat aliquam specialem partem essentiae.

Primum autem, quod scilicet non addat accidens, probatur per quatuor principia per se nota. Primum est quod omne accidens est naturaliter posterius [d] suo subiecto; secundum est quod impossibile est quod aliquod accidens sit naturaliter prius suo subiecto; tertium est quod impossibile est quod aliquod accidens sit causa esse et essentiae sui subiecti, et praecipue quod sit causa effectiva; quartum est quod impossibile est quod aliquod accidens sit per se existens. Sed haec quatuor aperte et necessario ponuntur, si creatio est accidens. Nam eo ipso quod erit accidens erit naturaliter posterior suo subiecto et ita essentia creaturae erit naturaliter prius actu quam sit sua creatio; quod est expressa [e] contradictio. Si autem est naturaliter prior, tunc accidens est naturaliter prius [f] suo subiecto; et tunc sequuntur etiam duo ultima, sicut de se patet.

Praeterea, si creatio est accidens, tunc aut est accidentalis relatio aut factio aut receptio seu recepta passio aut aliqua qualitas. Si solum [g] accidentalis relatio, tunc tria [h] impossibilia sequuntur: primo scilicet, quod suum subiectum quod per eam refertur et in quo ipsa fundatur erit naturaliter prius quam ipsa. Secundo, quod ipsa non erit fieri ipsius

---

[a] B⁴ *sit.* [b] B⁴ *rationem absolutam.* [c] B⁴ *habet.* [d] B⁴ *posterior.* [e] B⁵ *expresse.* [f] B⁵ B⁴ *prior.* [g] B⁴ om. [h] B⁴ om.

creaturae, sed solum quoddam referri seu quidam respectus rei ut iam existentis in actu. Tertio, quod creatura poterit esse actu aut intelligi esse actu absque creatione, id est, absque eo quod sit creata; ex quo enim nec in essentia nec in substantiali esse creaturae essentialiter [a] includitur creatio, absque contradictione poterit essentia et esse creaturae poni non posita creatione. Quarto, quia omnis relatio accidentalis exigit aliquam essèntiam accidentalem absolutam seu alterius generis in qua fundetur, sicut alibi est probatum. — Si autem est factio, tunc creatura vere fiet et creabitur ab ipsa et ita ipsa erit creator [b] et habebit in se vim creativam creaturae. Tunc etiam non exiget patiens nec subiectum, et tamen haec erit factio creata; quod est impossibile. — Si autem est passio recepta, tunc praeexigit subiectum patiens et ipsum recipiens, tunc etiam non erit creatio, sed aliqua alio mutatio. — Quartum de qualitate non prosequor, quia eius absurditas nimis patet.

Praeterea, si est accidens, tunc erit accidens separabile, quia creatio qua res in [c] primo nunc fuit creata iam transiit; dato autem quod sit accidens separabile, tunc sicut nunc res potest esse sine ea, potuit et antea semper. Si dicas quod respectu initii creaturae est eius accidens inseparabile, tunc saltem aut erit propria passio manans ab essentia creaturae pro illo tunc aut erit [d] per essentiam suam determinata [e] ad illud recipiendum; quorum absurditas de se patet. — Praeterea hoc accidens in subiecto extenso et corporali erit extensum [f] et corporale et in simplici et intellectuali erit simplex et intellectuale. — Praeterea, cum formae ita creentur sicut et materiae, ergo creatio formarum erit quoddam accidens per se et primo fundatum in forma tanquam in subiecto primo, ita quod illa creatio non erit in materia; quia creatio formae, in quantum formae [g], non est creatio materiae nec e contrario. — Praeterea, omne accidens gratuitum est separabile a subiecto, cum [h] ex mera gratia detur [i]; sed si creatio est accidens, erit accidens gratuitum et supernaturale suo subieto, alias esset sibi accidens naturale et debitum; et tunc contra legem naturae et debiti rerum faceret Deus eas non creando.

([a]) B^4 add. *non.* ([b]) Al. m. ex *creato.* ([c]) B^5 om. ([d]) B^5 B^4 om. ([e]) B^5 B^4 *determinatam.* ([f]) B^2 *extensum esset,* pro *e. e.* ([g]) B^5 om. *i. q. f.* ([h]) Ita B^5, V B^4 *cui.* ([i]) Ita B^5, V B^4 *datur.*

Quod autem non sit pars creaturae aut aliquid partiale probatur: Primo, quia tunc reliquae partes non essent creatae nisi forte solum denominative seu adiunctive, eo modo quo materia [a] dicitur formata [b] per formam sibi adiunctam. — Secundo, quia tunc erit de absoluta ratione [c] quidditatis rerum creabilium, quamvis nunquam creentur. — Tertio, quia secundum hoc nunc [d] primo creari non poterit transire sine partiali diminutione essentiae creatae. — Quarto, quia aut erit pars materialis aut formalis, et si formalis, tunc praeexiget materiam. — Quinto, quia tunc ex essentia et esse rei creatae et ex creatione eorum simul sumptis constituetur una tertia essentia et natura tanquam ex partibus suis.

Forte dicetur quod non addit aliquid accidentale nec aliquid partiale, sed addit essentiale quod non est pars. — Sed contra hoc arguitur: primo, quia omne essentiale alicui aut est pars essentiae eius aut tota essentia; et si non pars nec totum, nihil est eius, nisi sit accidentale. — Secundo, quia aut est omnino idem cum essentia aut omnino per essentiam diversum ab ea aut partim idem partim diversum. Si omnino idem, tunc habeo intentum; si omnino per essentiam diversum, ergo nullo modo sunt sibi coessentialia; si partim idem, partim diversum, hoc non potest esse nisi dupliciter: aut scilicet quia est eius pars quae in hoc solum differt a toto, quia non est ipsum totum nec ceterae partes eius, aut quia dicit partem eius et ultra hoc aliquid aliud quod non est pars illius totius nec ipsum totum, et tunc illud aliquid additum erit necessario quoddam accidens. — Tertio, quia aut illud essentiale erit naturaliter prius quam essentia creaturae aut naturaliter posterius aut nec naturaliter [e] prius nec posterius. Si naturaliter prius, ergo prius est naturaliter per se ipsum et in se ipso et, quamvis sit quid creatum, erit tamen causa effectiva totius creaturae; quod non solum est impossibile, sed etiam [f] contra fidem. Si posterius, tunc non est creatio creaturae, sed potius subsequens eam. Si neque prius neque posterius, ergo saltem nullum ordinem causalitatis habet ad creaturam nec creatura ad eam; tunc etiam neutrum dependet ab altero nisi solum sicut duo correlativa; et tunc non poterunt ab invicem separari nec secundum rem nec secundum intellectum.

---

[a] Al. m. mg. add. *q. m.* [b] B^4 *formalis.* [c] Al. m. ex *ratio.*
[d] Ita al. m. mg., del. *nec.* [e] B^5 B^4 add. *est.* [f] Ita B^4, V B^5 *est.*

Secundo probatur principale ex respectu ad Deum creantem [a]. Et primo, quia nimis derogat divinae potentiae qui dicit quod ipse [b] non possit creaturam immediate creare, ita quod ipsa sit eius immediatus effectus; sed hoc ponitur, si suum creari necessario differt per essentiam ab ea. — Secundo, quia constat quod Deus creat volendo; sed suum velle ita immediate potest ferri super essentiam creaturae et super suum esse sicut super quamcunque aliam essentiam; ergo ita potest eam immediate creare sicut et essentiam creationis. — Tertio, quia multum derogat Deo qui dicit quod ipse non creare possit [c] creaturam sine causa intermedia sibi cooperante; sed hoc ponitur hic, quia hic ponitur creatio passio tanquam quiddam [d] realiter et causaliter medium inter creatorem et creaturam.

Tertio probatur principale ex respectu Creatoris ad ipsam creationem. Constat enim quod omnis essentia alia a Deo est facta a Deo; si ergo creatio passio est essentia differens ab essentia creaturae et ab essentia Dei, ergo ipsa est creata a Deo. Aut igitur suum creari differt realiter ab ea aut non. Si sic, tunc ibitur in infinitum, quia suum creari habebit aliud creari et illud iterum aliud usque in infinitum. Si non, tunc eadem ratione poterit fieri quod creari ipsius creaturae non differat ab ea. — Praeterea, si creatura creatur per creari realiter differens ab ea [e], tunc saltem ipsa immediate fit ab illo creari; ergo saltem illud suum fieri quo ipsa fit ab illo creari nihil addit ad ipsam aut ibitur in infinitum; sed qua ratione hoc potest poni sine additione, eadem ratione et primum; ergo et cetera.

Quarto probatur ex respectu ad ceteras habitudines creaturae ad Creatorem [f]. Ipsa enim essentia creaturae secundum se ipsam nullo sibi addito est similitudo divini exemplaris et divinae ideae, ipsa etiam per essentiam suam, nullo alio sibi addito est immediatus terminus et effectus Dei. Et dato quod esset mediatus, saltem istam habitudinem secundam habet [g] nullo alio sibi addito, alias enim iretur usque in infinitum. Ipsa etiam [h], nullo alio sibi addito, habet Deum pro fine ultimo: essentia enim entis et potentiarum eius, nullo alio sibi addito, est imago Dei, et saltem essentia gratiae et gloriae, nullo alio sibi [i] addito, est similitudo Dei.

---

[a] B^5 B^4 *terminantem.* [b] Al. m. mg. add. *d. q. i.* [c] Al. m.; B^5 B^4 *possit creare.* [d] Al. m. ex *quidam.* [e] Ex *a.* [f] Al. m. ex *creatoem.* [g] Al. m. mg. [h] Al. m. mg. [i] Ex *sibi alio.*

Nec mirum, quia radius lucis vel coloris et omnes primae impressiones agentium sunt per se similitudo sui agentis.

Quinto probatur ex reali quidditate seu ratione ipsius creari, quod quidem non est aliud quam esse immediate a Deo et non de alio. Sed esse immediate a Deo nihil addit super esse nisi solum significatum huius quod [a] dico a Deo, quod solum significat Deum ut causam. Sicut ergo cum dicitur: Deus est causa creaturae, nihil additur ad Deum nisi creatura, ita, cum dicitur: hoc est immediate a Deo, nihil additur ad illud ens vel ad illud esse nisi Deus vel causa increata. — Si dicas quod creari non est idem quod esse a Deo, sed idem quod fieri a Deo: contra, quia illud fieri non est aliud quam esse a Deo; alias prius fieret res quam esset.

[Solutio obiectorum].

Ad primum igitur in contrarium dicendum quod prima est vera [b], quando realis entitas unius positivi tollitur a entitate alterius remanente, non autem, quando aufertur secundum solam rationem secundum quam differt a ratione alterius positivi. Et hoc modo est in [c] proposito, sicut in fine quaestionis de aevo est plenius recitatum. Quando enim idem ens semper manet idem secundum rem, sic quod [d] permanendo continue acquirit novam rationem permanendi seu essendi et continue aliam [e] amittit, sicut si Deus rem quam creavit annihilaret et iterum eandem penitus recrearet: tunc suum prius esse non differret a sequenti secundum suam realem entitatem, sed solum secundum rationem secundum quam dicitur prius fuisse.

2. Ad secundum dicendum quod quando idem sibi ipsi succedit et sibi succedendo permanet idem quod prius, tunc successivum et permanens non differunt realiter, quin potius ex primo datis convincuntur [f] esse id [g] ipsum. Et sic est in proposito. Unde prima ratio permanentiae quae dicitur praeteriisse non est aliud quam ipsum ens, in quantum primo extitit. Et consimiliter secunda non est aliud quam idem ens, in quantum nunc post primam permanentiam exstat. Licet autem ens sic permanens sit semper [h] totum simul respectu partium suae essentiae, non est tamen totum simul respectu suae continuatae permanentiae; quia ipsum-

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Al. m. ex *una*. [c] B⁴ om. [d] B⁵ B⁴ om. [e] B⁵ B⁴ *alias*. [f] B⁴ *convincitur*. [g] B⁴ *totum*. [h] B⁴ om.

met, in quantum primo extitit, non fuit simul cum se ipso, in quantum est secundo exstans.

3. Ad tertium dicendum quod praedicatio potius respicit rationem et modum significandi quam identitatem rei. Quia ergo hic est diversus modus significandi, quia creatura significat rem creatam per modum termini vel per modum substantiae, creatio vero per modum actionis seu exitus: idcirco unum non dicitur proprie de altero, dicitur tamen vere propter veram identitatem realem; multa enim improprie dicta sunt vera.

4. Ad quartum dicendum quod licet Deus videat totam essentiam creabilium respectu totalitatis partium suae essentiae, non tamen respectu totalitatis rationum fiendi et existendi quas possunt habere. Unde loquendo proprie totam videt essentiam, sed non omnes rationes seu modos essendi sumptas ut fiendas vel factas, licet omnes videat secundam rationem possibilis vel secundum absolutam rationem [a] suarum quidditatum, intelligendo scilicet quid dicit haec ratio et quid illa. Nec sequitur has rationes esse realiter diversas, si una potest videri sine altera; sicut non sequitur ipsas esse realiter diversas, si una, in quantum ratio talis, potest esse sine altera, in quantum est ratio alia ab illa.

5. Ad quintum dicendum quod creari non est causa existentiae rei creatae. Quando vero dicimus quod res ideo [b] est, quia creatur: non intendimus per hoc directe significare causam, sed solum consignificare; per hoc enim consignificamus quod est a creante, in quantum est [c] creans. Alias quaero de ipso creari quare est et quare fit [d]. Et si dicatur quod ideo est, quia fit et fit quia creatur, nullus ita desipiet [e] ut putet quod creatur per aliud creari aut quod fit [f] per aliud fieri quod sit aliud ab ipso.

6. Ad sextum dicendum quod licet secundum modum significandi valde impropria locutio sit dicere quod creatio passio sit composita ex materia et forma, non est tamen impropria dicere quod creatio substantiae compositae sit composita ex creatione suae materiae et suae formae vel ceterarum partium eius. Et tunc pro quanto creatio materiae non differt realiter a materia nec creatio formae a forma, pro tanto vere, licet improprie, dicitur creatio compositi esse composita.

(a) B^2 *rationem absolutam.* (b) B^5 B^4 *non.* (c) B^2 om. (d) Ita B^5 B^4, V *fuit.* (e) Ita B^5 B^4, V *decipiet.* (f) Ita B^4, V *fit.*

7. Ad septimum dicendum quod mutatio proprie sumpta differt a subiecto quod per eam mutatur tanquam accidens eius naturaliter subsequens suum subiectum. Et hoc modo creatio non est mutatio. Sumendo tamen large nomen mutationis pro omni nova inceptione vel desitione entium, sic creatio et annihilatio sunt quaedam mutationes. Sed tamen sicut annihilatio non est aliud realiter ab annihilato, in quantum tali, sic creatio nihil aliud realiter addit ad rem creatam; quia nec oportet quod inceptio formae aut sui fieri addat aliquid realiter diversum ad ipsam formam vel ad suum fieri.

QUAESTIO III.

Tertio quaeritur an Deus possit facere aliquod [a] infinitum. Et loquor de infinito secundum dimensionem seu secundum infinitam partium quaruncunque aggregationem; infra enim quaeretur de alio genere infinitatis.

Quod autem possit videtur.

1. Certum est secundum fidem et secundum Augustinum, XII *De civitate*, capitulo 18 [1], quod Deus scit actu infinita; sed nullum inconveniens sequitur ad positionem infinitorum in actu, quin sequatur ad positionem ipsorum [b] in scientia Dei seu ad positionem scibilitatis eorum; ergo et cetera. — Probatio minoris tam in infinitis mathematice acceptis quam in infinitis [c] naturaliter acceptis. Si enim ponerentur numeri infiniti in actu, haec inconvenientia dicuntur sequi: scilicet quod pars erit aequalis suo toti et quod infiniti denarii non plus facient quam infiniti ternarii et ita quod si inaequalibus inaequalia addas aut numeris minoribus minores et [d] maioribus maiores, totum quod resultabit [e] non erit inaequale; et quod erit [f] dare numerum qui non erit par nec

---

([a]) B[7] om. ([b]) Al. m. ex *epsorum*. ([c]) Al. m. ex *finitis*. ([d]) B[7] *maiores nec* pro *m. e.* ([e]) B[7] *resutabitur*. ([f]) Al. m. mg. add. *e. q. e.*

([1]) PL 41, 367 sq.

impar et sic de aliis quae infra magis tangentur. Sed haec omnia eadem ratione sequentur ad actualem cognitionem numerorum infinitorum seu ex hoc quod ponuntur infiniti ut a Deo cogniti. Ponatur enim quod ipsemet Deus comparet per modum divisionis mediam partem aut plus quam mediam [a] totius numeri a se cogniti ad totum numerum: ita videbit illam partem aequalem esse toti, sicut si extra se actualiter poneretur in re. Et idem est de [b] omnibus aliis inconvenientibus. — In infinito etiam naturali hoc idem sequitur. Si enim Deus potest intelligere unum elementum vel unum corpus naturale infinitum, tunc intelliget illud ut potens movere aliquid in instanti; et sic de omnibus aliis inconvenientibus quae ad existentiam infiniti naturalis sequi videntur. Si igitur hoc non est inconveniens, ergo [c] nec illud.

2. Item, Deus potest facere actu omne illud in quo nulla implicatur contradictio; sed in nullo scito vel scibili divino actu implicatur contradictio [d], cum omne scitum a Deo, in quantum tale, sit verum; ergo Deus potest facere actu quicquid scit, et sic per consequens omnia infinita quae novit.

3. Item, Deus potest facere omne quod est sibi possibile; si enim non posset [e] illud agere, non esset possibile sibi. Unde praedicta propositio et omnes eius consimiles in tantum sunt verae quod omnis negatio earum includit in se manifestam contradictionem, pro eo quod in eis idem praedicatur de se ipso; sed Deus potest infinita possibilia; ergo potest ea facere.

4. Item, posse in Deo non dicitur proprie nisi respectu alicuius actionis; et loquor de posse quo est potens super creaturas; unde super illam creaturam quam non posset facere non posset dici potens; si igitur non posset facere infinita, non esset potens super infinita nec haberet potestatem infinitorum.

5. Item, quicquid Deus potest successive potest simul, saltem respectu illorum in quibus existentia unius non impedit existentiam alterius; sed Deus successive potest facere [f] infinita; ergo potest simul facere.

6. Item, omnem conditionem creatam seu in infinitum [g] inferiorem Deo potest Deus dare et facere; sed huiusmodi infinitas, quae scilicet est per aggregationem partium, est

---

[a] B^7 om. *a. p. q. m.* [b] Add. interl. al. m. [c] In ras. [d] B^7 om. *sed... contradictio.* [e] Ita B^7, V *possit.* [f] Ita B^7, V om. [g] B^7 *infinitam* pro *i. i.*

conditio in infinitum inferior Deo et manifeste apparet esse conditio creata, cum dicat quid compositum ex partibus et passionem quantitatis ex opposito condivisam contra proprietatem finitatis; ergo Deus potest eam facere.

7. Item, quod rationaliter et scientialiter potest a nobis cogitari potest a Deo fieri; sed secundum scientiam mathematicam docemur cogitare infinita; unde et de quantitatibus traduntur regulae, etiamsi in infinitum protendantur; ergo et cetera.

8. Item, si infinitum non potest fieri, aut hoc est, quia infinitas repugnat factioni aut quia repugnat quidditati [a] creaturae aut quia repugnat actuali existentiae. Sed primum non potest esse, quia factio non contradicit nisi solum rei non factae; hic autem ponitur infinitum esse factum. — Secundum etiam non potest esse, quia multae sunt quidditates quae nullam certam sibi quantitatem determinant, sicut saltem ipsa quidditas quantitatum et materiae primae; si enim poneretur linea infinita vel etiam albedo, non propter hoc destrueretur quidditas eorum, sed potius augeretur. — Tertium etiam non potest esse, quia tunc infinitas Dei quae est summa omnium infinitatum repugnaret actualitati existentiae [b], et sic impossibile esset Deum esse actu infinitum.

9. Item, multa infinita actu sunt a Deo facta; ergo bene possunt a Deo fieri. — Probatio antecedentis: Potentiae enim mentis nostrae videntur esse actu infinitae; omne enim quod simul potest capere non tot quin plura, ita quod semper potest capere maius omni finito, habet potentiam et capacitatem actu infinitam; si enim haberet actu finitam, per aliquod finitum posset actu repleri; sed intellectus potest capere omnem numerum quantumcumque magnum et semper eius duplum vel mille duplum et voluntas per amorem vel odium potest hoc ipsum et memoria potest totum hoc retinere; ergo et cetera. — Si dicatur quod non possunt hoc distincte et explicite sed solum indistincte et implicite, non enim possent hoc modo apprehendere omnes partes cuiuscumque numeri distincte, sed solum ipsum totum: contra, nullus apprehendit totum aliquem numerum qui nullam apprehendit partium eius, prout ex eis constituitur ipsum totum; sicut nec aliquis potest videre domum nullas videndo partium eius, prout ex eis constituitur, immo si aliqua partium lateat, nondum videt totum; sed numerus constituitur

---

[a] B[7] *praedictae.* [b] Al. m. mg., del. *essentiae.*

ex suis partibus, in quantum sunt ad invicem discretae, nec addit aliquid super suas partes nisi aggregationem earum; ergo oportet quod qui videt numerum videat partes eius ut [a] discretas. — Praeterea, nullus scit [b] speciem numeri, nisi sciat quot unitates sunt ibi. Unde et nomina numerorum ponuntur in plurali; numerus enim qui dicitur centum vel mille non est aliud quam centum vel mille unitates, nec species numerorum distinguuntur inter se nisi per continentiam plurium vel paucarum [c] unitatum; nullus autem intelligit aliquam speciem numeri, quin possit eam etiam statim discernere ab omni alia specie numerorum; ergo et cetera. — Praeterea, quod sint infinita adhuc aliter ostendo: memoria enim angelorum secundum magistros nihil obliviscitur, ita quod species deleantur, sed semper retinet omnia particularia cognita et actus cognitionis et actus mentis particulares quae [d] in infinitum, saltem in damnatis, semper succedunt; ergo non potest dari quot et quanta potest capere simul memoria eorum.

10. Item, potentia continui est infinita, ut videtur; nam tantum habet de divisibilitate in actu quot divisiones potest successive habere; nec potest dici quod una divisibilitas seu potentia ad unam divisionem sit eadem cum alia divisibilitate seu cum potentia ad aliam divisionem, cum ipsae divisibilitates differant et distent secundum situm, sicut et ipsae divisiones. Unde duae divisiones vel duae divisibilitates non possunt esse in eodem situ. — Praeterea, quodlibet continuum est susceptivum simul non tot divisionum quin plurium; ergo simul potest recipere divisionem maiorem omni numero finito quantaruncunque divisionum; sed maius omni finito non est nisi infinitum; ergo potest simul suscipere infinitas divisiones; sed hoc non potest fieri, nisi ipsa habeat capacitatem actu infinitam et nisi divisio possit [e] esse actu infinita; ergo et cetera. — Praeterea, una divisio non impedit alteram nec repugnat alicui aliarum; ergo qua ratione possunt esse tot simul, eadem ratione et omnes. — Praeterea, nihil est divisibile nisi in partes quas iam habet actu; et sicut omnis pars post divisionem est quoddam totum actu distinctum a toto cuius primo erat pars, sic ante divisionem erat actualiter pars eius. Per divisionem etiam non datur nova essentia ipsi parti, sed solum novus modus essendi,

---

[a] Ita B^7, V om. [b] Add. mg. al. m. [c] Al. m. ex *paucorum*. [d] B^7 *qui; in* add. mg. al. m. [e] B^7 *posset*.

nec hoc fit nisi tollendo sibi alium modum essendi. Sicut enim per divisionem accipiunt partes modum existendi per se seu separatim ([a]), sic primo habebant modum essendi in alio seu unitum, et semper quaelibet divisio destruit aliquam unionem actualem; sed omne continuum est divisibile a Deo, etiam in ([b]) infinitum; ergo habebat actu omnia illa infinita in quae poterat dividi et tot habebat partes actu quot tota possunt ex eo per infinitam successionem exire et totam essentiam eorum habebat actu et tot modos essendi partium unitarum ([c]) totque uniones earum ([d]) habebat actu quot modi essendi non uniti et quot divisiones possunt successive ex eo exire; ergo secundum hoc omne continuum habet actu infinitas partes et ([e]) infinitas essentias earum et infinitos modos essendi earum et infinitas uniones ipsarum. — Praeterea, materia est possibilis ad infinitas formas successive recipiendas et, licet non possit eas ([f]) recipere simul, tota tamen potentia eius est simul et totus respectus quo per potentiam suam refertur ad omnes formas quarum est susceptibilis; ergo videtur quod habeat simul actu infinitam potentiam et infinitos respectus.

11. Item, omne quantum non habens terminum est infinitum; sed Deus potest facere lineam et tempus sine terminis; posset enim separare puncta terminalia a linea ipsa in actu remanente; separatio enim unius essentiae ab altera nullum videtur includere contradictionem respectu divinae potentiae; ergo et cetera.

12. Item, in omni tempore et aevo sunt actu infinita nunc et in omni motu infinita mutata seu infinitae mutationes, ut probabo; ergo et cetera. — Probatio, et primo de aevo: esse enim omnis aeviterni semper est totum simul et eius essentia ([g]) semper tota fit seu conservatur a Deo; sed semper tota simul non potest esse nec semper tota simul fieri seu conservari a Deo, nisi semper sit in nunc; hoc autem esse non potest, nisi sit ibi continua et actualis successio ipsorum nunc; nec hoc esse potest, nisi fiant et succedant actu infinita nunc; ergo et cetera. — Praeterea, si aeviternum est in una parte aevi divisibili, hoc non potest esse, nisi totum fuerit actu in quolibet illius et sic quod omnes partes numeraverit actu; nec potuit simul esse in duabus partibus quantuncunque minimis et sic per consequens nec

([a]) B[7] *separatum.* ([b]) Add. interl. ([c]) Ex *unitas.* ([d]) Al. m. ex *eorum.* ([e]) Add. int. al. m. ([f]) Add. int. al. m. ([g]) B[7] *existentia.*

in aliqua parte divisibili; ergo semper oportet [a] quod esset in parte indivisibili. — Praeterea, omne aeviternum non aliter se habet post sui exitum quam in initio sui exitus; sed in initio sui exitus non potuit esse nisi in nunc [b]; ergo nec post; et ita semper sequitur quod aevum sit compositum ex solis nunc et sic per consequens quod ex nunc actu infinitis. — De motu etiam et tempore sic probo: Mobile enim in toto motu semper fuit actu in loco; nunquam autem fuit in loco maiori se, sed solum in loco sibi adaequato; nec unquam potuit esse in loco, quin semper actu terminaretur et includeretur infra suum locum, ita quod termini eius semper fuerunt in terminis suorum locorum; sed in toto motu continue mutavit locum; ergo continue succedebant [c] sibi invicem loca ei adaequata [d] et sic per consequens continue succedebant termini diversorum locorum [e] et sic per consequens actuales terminationes eorum quae non sunt aliud quam terminales mutationes mobilis; ergo ibi semper immediate succedebant diversae mutationes et diversi termini. — Praeterea, omne prius semper distinguitur a posteriori et omne praeteritum a praesenti et praesens a futuro, sicut non ens ab ente semper est actu distinctum; sed in toto tempore et motu sunt infinita priora et posteriora, saltem in potentia; ergo ibi sunt infinita actualiter a se invicem distincta.

13. Item, Lucae 1 [1] dicitur quod *non erit impossibile apud Deum omne verbum;* sed verbo possumus dicere et cogitare infinita esse actu; ergo et cetera.

Respondeo

Quod Deus non potest facere aliquod infinitum in actu; implicat enim in se hoc multiplices contradictiones tam ex parte rei factae quam ex parte divinae potentiae; ex parte quidem rei factae tam secundum rationes quantitatis seu mathematicas quam secundum rationes naturarum speciales seu physicas quam secundum rationes entis et causarum eius generales seu [f] metaphysicas [g].

---

[a] B^7 *oportuit.* [b] B^7 *tunc.* [c] Al. m. ex *sucedebant;* idem subinde. [d] Al. m. ex *adquata.* [e] Al. m. [f] Ita B^7, V *et.* [g] Al. m. ex *mataphysicas.*

---

[1] Luc. 1, 37.

Secundum rationes enim mathematicas occurrit primo una generalis contradictio [a]: aequale scilicet et non aequale; eadem enim erunt aequalia et non aequalia. Quod septiformiter ostendo. Primo scilicet in parte et toto: in [b] infinito enim pars erit aequalis suo toti et non aequalis; nam si sumatur infinitum et dividatur in duas partes, necessario oportet quod utraque illarum vel altera sit infinita ac per consequens quod sit aequalis suo toti; et cum hoc oportet quod tam ratione suae partialitatis quam ratione partis alterius per divisionem subtractae sit inaequalis. — Secundo patet hoc in diversis speciebus numerorum. Infiniti enim ternarii erunt aequales infinitis millenariis [c]: tot enim unitates erunt in uno quot in alio; et tamen cum hoc oportet quod sint inaequales, aut non est vera propositio. Quodsi inaequalibus inaequalia [d] addas, inaequalia debent esse; aut quodsi in maioribus maiora superaddas et minoribus minora, semper maiora superexcrescunt minoribus: hic enim ternario qui est [e] minor numerus semper adduntur ternarii et millenario qui est maior numerus semper adduntur millenarii. — Tertio patet hoc in passionibus numeri quae sunt par et impar. Omnis enim numerus de necessitate aut est par [f] aut impar et necessario est divisibilis in paria aut in imparia; ergo numerus infinitus quaruncunque partium alicuius totius de necessitate erit par aut impar et posito quod non esset, saltem per subtractionem unitatis, si non esset par, fieret par. — Praeterea, cum non possit negari quin esset compositus ex paribus et imparibus [g], non posset negari quin ex earum [h] aggregatione surgeret par vel impar; ex eo igitur quod esset numerus oporteret quod esset par vel impar et divisibilis in paria vel in imparia; ex eo vero quod infinitus neutrum horum esse posset. Si enim esset par, tunc uno subtracto vel addito fieret impar et e contrario; et quando hoc fieret per additionem, tunc esset in maiori specie numeri quam prius et sic prima species eius excedebatur ab isto sequenti in illo uno addito; et sic per consequens non erat infinitus; et per oppositum contingeret, quando hoc fieret per subtractionem. — Quarto patet hoc in passionibus

---

[a] Al. m. ex *contraditio; aequale* ex *aequales; scilicet* est add. interl. al. m. [b] Add. interl. [c] Al. m. ex *mllariis.* [d] B[7] *aequalia.* [e] Al. m. mg. [f] Al. m. mg., del. *p.* [g] Ita B[7], V *partibus,* pro *p. e. i.* [h] Al. m. ex *eorum,* quod habet B[7].

propinqui et remoti: idem enim est magis propinquum et minus propinquum. Sumatur enim a centro in altum una linea infinita: pars quae est in centro erit aequaliter distans ab alia [a] parte infiniti, sicut et pars quae erit in [b] superficie terrae vel aëris; et simul cum hoc erit inaequaliter distans: ab aliqua enim distabit in infinitum illa sicut ista ac per consequens aequaliter; et cum sit illa remotior, nihilominus inaequaliter distabit ab omnibus quae post propinquiorem sequuntur. — Quinto posset hoc idem ostendi in passionibus prioris et posterioris: sequetur enim quod eadem sint simul et non simul; sumantur enim duae lineae infinitae vel duo motus, quarum una inchoetur a centro, alia a superficie terrae: et apparebit hoc ipsum. — Sexto patet hoc ex una passione [c] generali omni quantitati continuae quae est quod omne continuum est divisibile in duo media aequalia; et in numeris seu in quantitate discreta est aequivalens, quia omne quantum discretum est divisibile in duo media aequalia aut in duo sola unitate se excedentia: ex hoc enim oportebit quod infinitum sit hoc modo divisibile; ergo in infinito poterunt dari duae partes quarum utraque se habebit in certa proportione ad ipsum totum infinitum, scilicet in proportione [d] dimidii ad duplum; in infinito [e] vero numerali erit hoc ipsum, quamvis altera partium superexcedat in sola unitate rationem dimidii. Et hoc dico, si contingat ipsum non posse dividi in duo media aequalia, utpote si sit numerus impar; sed super omnem duplam proportionem potest addi proportio tripla et quadrupla et sic deinceps; ergo super totum infinitum potest addi tantum quod superexcedet [f] alteram partium in proportione tripla vel quadrupla et sic deinceps [g]. Et tunc non solum sequitur quod sit simul finitum et infinitum, sed etiam quod sit se ipso maius et non maius seu aequale et inaequale et quod post additionem proportionis triplae vel quadruplae et sic deinceps adhuc sit divisibile in duo media aequalia duobus mediis prioribus et non maiora nec minora, quia tam illa media quam ista erunt infinita, etiam secundum eandem rationem seu per respectum ad eosdem terminos. Ponatur etiam quod una linea [h] infinita mensuraret illud totum infinitum ante additionem et post: in utraque vice aequaretur rei; non enim [i] posset

---

[a] B[7] *aliqua.* [b] B[7] add. *suprema.* [c] Al. m. [d] B[7] om. *ad ipsum... proportione.* [e] Al. m. ex *finito.* [f] Al. m. ex *superexcedat.* [g] B[7] om. *ergo super... deinceps.* [h] Al. m. mg. del. *lina.* [i] Hic est ras.

sibi non aequari [a], nisi ipsa vel illud esset finitum, et tamen cum hoc sequeretur quod si ante additionem sibi adaequabatur, quod post additionem sibi non adaequatur. Item, etiam sequitur quod ubicunque infinitum ex omni parte in duas partes tantum divideretur, quod semper dividatur in duo media, ita quod quantuncunque in vario modo dividendi subtrahatur uni parti et detur alteri, semper erunt aequales et dimidium totius; et tamen subtractio hinc inde maior [b] et minor concludit eas esse inaequales et alteram illarum esse minus [c] quam dimidiam, alteram vero plus quam dimidiam. — Septimo patet hoc ex commensuratione mutua [d] duorum infinitorum [e]: ex eo enim quod mutuo non se excedunt sequitur quod sint aequalia, ex eo vero quod neutrum attingit totum alterum seu omnes partes alterius sequitur quod non sint aequalia. Si enim detur quod unum omnes partes alterius attingat, tunc sequitur quod non essent ibi partes infinitae, quia in toto uno infinito non potest esse aliqua pars post quam [f] in altero infinito non sequantur infinitae. Si enim detur oppositum, quod scilicet sit in uno aliqua pars post quam in altero nulla pars sequatur aut saltem non infinitae: tunc illud alterum necessario erit finitum: finitur enim circa illam partem aut in termino illarum finitarum quae post eam sequuntur; sed infinitum non potest attingere totum alterum nisi per partes suas; ergo sequitur quod neutrum attingat totum alterum ac per consequens quod non sibi aequantur.

Forte dicetur ad praedicta quod de infinito possumus loqui dupliciter [g]: aut materialiter et in particulari aut universaliter et in abstracto; et iterum, quod est infinitum per respectum ad omnes terminos vel terminabilitates suas, sicut linea vel superficies ex utraque parte infinita, et est infinitum secundum alteram viam termini, sicut linea infinita inchoans a centro quae est finita per respectum ad centrum ad quod terminatur, infinita autem per respectum secundum processum in altum; et iterum, quod de partibus infiniti possumus loqui materialiter, aut de partibus eius determinatis aut de partibus indeterminatis [h]. Dicetur ergo quod praedictae contradictiones non habent locum in infinitis materialiter et in particulari [i] sumptis et quae secundum unam

---

[a] B[7] om. *sibi aequari.* [b] Al. m. ex *maio.* [c] B[7] *minorem.* [d] Ex *mutuato.* [e] Ex *finitorum.* [f] Al. m. ex *post quasi;* idem subinde. [g] Al. m. ex *dup.* [h] Al. m. mg. *a. d. p. i.* [i] In ras.

viam sunt finita, secundum alteram infinita; nec habent locum in infinitis respectu suarum partium indeterminatarum, sed solum respectu determinatarum. Dicetur enim quod licet altera partium infiniti sit infinita, non tamen propter hoc sequitur quod sit aequalis suo toti per respectum ad illum terminum secundum quem tam ipsa quam suum totum sunt finita, sed solum secundum illam viam secundum quam [a] utrumque est infinitum. Nec divisio totius infiniti in partes amplius exigit, cum non sit divisibile nisi solum secundum hoc quod potest habere terminum; quia omnis divisio fit in aliquo termino possibili vel [b] actuali. Solum autem quantum ad illam viam potest sibi fieri additio; et ideo proportio dupla qua infinitum excedit duas medietates suas non potest excrescere nisi solum ex illa parte secundum quam est finitum. Si autem et secundum illam iterum sit infinitum, sicut est, quando habet duo media infinita: tunc ex neutra parte poterit [c] fieri additio et ita nec augeri proportio, nisi primo aliquae partes subtraherentur loco quarum aliae adderentur. — Et per hoc videntur tolli prima [d] via et sexta et etiam quarta et quinta. Secundum enim illam viam secundum quam potest sibi fieri additio potest dari propinquius et remotius et prius et posterius, secundum hoc scilicet quod partes quae versus terminum finalem magis accedunt possunt dici priores et a posterioribus remotiores; secundum autem viam illam secundum quam non est ibi dare terminum aut additionem non est ibi propinquius vel remotius, quia tunc non comparantur partes priores ad aliam [e] partem posteriorem certam et determinatam, sed solum ad indeterminatas; respectu enim cuiuslibet partis determinatae semper est ibi dare prius et posterius et distantias maiores, minores et aequales. — Et per hoc ipsum videtur tolli septima via, quia semper respectu cuiuslibet partis determinatae aequantur sibi determinate duo infinita sibi invicem combinata, ita quod quodlibet infinitorum eas semper attingit; respectu vero indeterminatarum indeterminate sibi aequantur et indeterminate se tota attingunt, ita quod mutuo non se excedunt. — Secunda etiam via, scilicet de aequalitate infinitorum ternariorum et millenariorum, videtur tolli per distinctionem numeri in materialem seu particularem et formalem seu abstractum [f]. Sicut enim superficies infinita non excedit se-

---

[a] Al. m. mg., del. *quem.* [b] Al. m. interlin. [c] B^7 add. *sibi.*
[d] In ras. [e] B^7 *aliquam.* [f] B^7 *informalem seu abstractam.*

cundum longum lineam infinitam, sed secundum latum et sicut duae lineae infinitae non plus faciunt secundum longum seu per modum continui in eadem serie, plus tamen faciunt per modum discreti, quia faciunt duas infinitas seu per modum continui in diversa serie, quia una est alibi situata ab alia. Sic potest dici de infinitis ternariis et millenariis quod per modum processus quasi in longum non se excedunt nec quasi in eadem serie situata, sed potius quasi secundum latum et prout unumquodque facit quasi diversas series, sicut mille lineae infinitae non plus faciunt secundum longum quam tres lineae infinitae, plus tamen faciunt secundum latum vel secundum pluralitatem discretam. — Tertia etiam via videtur tolli per hoc quod par et impar non videntur convenire numero nisi per respectum ad partes suas determinatas et ideo numerus infinitus non oportet quod sit par vel impar, prout est infinitus infinitas et indeterminatas partes habens, sed solum quantum ad partes suas determinatas. — Per hoc iterum potest tolli sexta via, quia infinitum in quantum tale non videtur posse dividi in duo media, quia hoc non est proprietas nisi solum quantitatis finitae.

Sed instantiae istae inspicienti diligentius frivolae sunt et nullae. Cum enim aequale et inaequale semper sumantur hic respectu eiusdem, non sicut illud quod est parvum respectu maioris et magnum respectu minoris — semper enim comparabamus superius easdem partes eidem toti vel sibi ipsis secundum aequalitatem vel inaequalitatem —: dicere quod pars infinita sit aequalis toti secundum hoc quod est infinita et non secundum hoc quod est finita non est aliud quam dicere quod idem eidem rei sit simul aequale et inaequale. — Praeterea, aequalitas ab uniformitate quantitatis accipitur, non autem ex respectu ad illum terminum vel ad illum; aequale etiam secundum quantitatem sic dividitur contra inaequale quod non cadit inter ea medium quantum, etiam secundum quid; et ideo non potest dici quod aliqua quantitas sit secundum quid aequalis alteri et secundum quid inaequalis. — Praeterea, ponatur quod aliquis sive secundum rem sive secundum intellectum applicet [a] terminum partis finitae illi termino ultimo ad quem attingebat suum totum — constat enim, si hoc fiat, saltem per intellectum, quod ex hoc solo nihil inconveniens debet sequi; quia omnium quaruncunque duarum quantitatum termini, utpote duarum linearum, possunt

[a] Ex *applicest.*

sibi invicem, saltem per intellectum, sic applicari quasi sint simul —: tunc igitur pars infinita omnino (a) tantum spatium occupabit quantum et suum totum primitus occupabat aut ponetur necessario ex utraque parte finita. — Quod autem postea dicitur quod non potest infinito fieri additio secundum hoc quod est infinitum et ideo infinitum ex utraque parte non potest habere super duo media sua maiorem proportionem dupla: hoc nihil est; cum enim certum sit ex natura quantitatis continuae et discretae quod omne duplum potest excedi a triplo et ultra: indubitanter patet quod dupla proportio probat infinitum posse excrescere in tripla proportione super duo media sua. — Quod autem impossibilitas additionis eidem contradicit hoc ipsum evidenter ostendit in positione infiniti contradictiones innumeras implicari. — Praeterea, additio et subtractio potest fieri omni quantitati secundum omnes partes suas aequaliter, quantum est de natura quanti; quoniam post omnem partem potest sequi alia pars et ab omni parte potest subtrahi pars immediate adiuncta; ergo ab infinito, secundum quod est infinitum, poterit fieri subtractio, ex quo ita bene habet partes secundum illam viam sicut et secundum viam secundum quam est finitum. — Quod etiam postea inferius dicitur quod regula illa quod omne quantum est divisibile in duo media aequalia aut, si sit discretum, saltem in duo media sola unitate se excedentia, quod, inquam, dicitur quod hoc non habet locum in infinito: ita posset dici quod nec ratio quanti aut magnitudinis competit ei, quoniam partes huiusmodi erunt necessario inter se aequales aut non aequales: de quolibet enim affirmatio vel negatio. Non possunt autem esse non aequales, nisi quia altera alteram superexcedit et tunc oportet quod altera duarum partium infiniti secundum utrumque terminum sit finita et quod altera sit plus quam dimidia, alia vero minus quam dimidia. — Praeterea, si infinitum huiusmodi dividatur in quatuor partes, plus excedit eas quam excederet solas duas, si tantum divideretur in eas; ergo oportet quod sub certa proportione excedat has duas, alias non potest excedere in maiori proportione seu in maiori excessu quatuor partes quam duas; omnis enim proportio minor habet certam mensuram; sub certa autem proportione non potest illas duas excedere, nisi sub certa proportione sint comparabiles sibi invicem et suo toti. — Quod etiam ibi dicitur de pari et impari, quod

(a) Corr.

numerus infinitus non est par vel impar, ita bene potest dici quod non est numerus. Constat enim quod de essentiali constitutione numeri est ordinata progressio unitatum et per consequens numerorum; unde necessario post parem numerum immediate sequitur impar et post imparem par nec aliquis numerus potest excedere numerum qui ipsum immediate praecedit nisi sola unitate; et quia etiam omnis numerus unitate ultimo aliis adveniente constituitur, oportet necessario quod omnis numerus habeat necessario aliquem numerum post quem immediate sequitur et quem in sola unitate excedit. Oportet igitur quod numerus infinitus habeat ante se immediate aliquem numerum parem vel imparem quem in sola unitate excedat; et ita oportet quod si ille est par ([a]), quod ipse sit impar aut e contrario. — Praeterea, quando ponimus infinitos binarios vel quaecunque infinita paria, tunc oportet necessario quod ille ([b]) numerus infinitus sit par. — Praeterea, impossibile est quod ([c]) de aliquo numero possit negari paritas nisi per hoc quod super omnia paria restat aliqua unitas nulli parificabilis; hoc autem non est aliud quam esse imparem. — Quod etiam dicitur de propinquo et remoto et de priori et de posteriori, quod scilicet respectu partium determinatarum sint ibi: patet hoc esse frivolum. Primo quidem ([d]), dicere quod infinitum non habet infinitas partes determinatas est dicere quod id non est actu infinitum; illud enim quod non habet partes determinatas nisi solum finitas habet huiusmodi partes sub certo numero ultra quem non se extendit et ibi est finis totius. — Praeterea, numquid quantitas palmi vel cubiti est determinata quantitas? et tamen in infinita magnitudine oportet quod sint infiniti cubiti vel palmi. Si dicatur quod ideo ([e]) vocantur indeterminatae, quia non possunt omnes ab aliquo intellectu assignari et determinari: hoc adhuc non sufficit, quia nostra assignatio vel non assignatio nihil ([f]) mutat in re; unde si solum in re sint determinatae, oportebit quod secundum rem priores partes sint semper remotiores et inaequaliter distantes a sequentibus quam posteriores. — Praeterea, quis dicet quod binarius non sit naturaliter prior omnibus numeris etiam infinitis magis quam millenarius? aut quis dicet quod omnes partes in infinitum semper sequentes non semper plus distent a prioribus quam a posterioribus, quamvis ex parte altera

([a]) Al. m. ex *p.* ([b]) Al. m. mg. ([c]) Al. m. interlin. ([d]) Al. m. mg. ([e]) B[1] *non nisi.* ([f]) Al. m. g., V add. *vel.*

huic rei infinitas contradicat? — Praeterea, habere partes determinatas finitas, indeterminatas vero habere infinitas est proprietas infiniti in potentia, non autem infiniti in actu. — Ex praedicto etiam patet quod per hoc non potest solvi contradictio sumpta ex mutua commensuratione duorum (a) infinitorum: oportebit enim quod secundum omnes partes suas determinatas seu determinatae (b) quantitatis determinate attingat unum infinitum omnes partes alterius, quamvis hoc sit contra rationem infiniti. — Quod etiam dicitur de infinitis ternariis et millenariis nihil est, quia etiam in eadem serie infinitorum ternariorum oportebit dare infinitos millenarios; et in eadem serie infinitorum millenariorum non erunt plures ternarii quam infiniti; et in una eadem linea seu in una serie eiusdem lineae erit dare infinitos cubitos et infinitos (c) palmos eandem lineam totaliter continentes ac per consequens et sibi coaequales. — Praeterea, non erit plures unitates dare in infinitis millenariis quam in infinitis ternariis, cum in neutro sint plures quam infinitae. — Praeterea, secundum hanc viam poterunt dari plures homines particulares quam infiniti, quia in una linea vel serie poterunt dari infiniti et in alia infiniti et sic in infinitum. Et tamen constat quod si quis velit eos absolute numerare absque respectu ad illam seriem (d), secundum hoc quod veraciter sunt in se discreti per suas individuationes absque omni respectu ad situs diversos omnes, continebuntur (e) sub uno numero infinito semel tantum sumpto (f). — Praeterea, particulare non excedit suum universale; ergo (g) numeri materiales et particulares non excedunt numerum abstractum seu mathematicum; sed ille ut sic acceptus non continet nisi unum infinitum numerum semel (h) sumptum, sicut nec infinitum densum spissum nisi unum semel sumptum (i). — Praeterea, aut numerus infinitus semel tantum sumptus est sufficiens ad comprehendendum in se omnes numeros materiales aut non. Si sic, ergo omnes numeri particulares non faciunt nisi unum infinitum semel sumptum; si non, ergo oportet quod transcendatur ab eis et sic per consequens oportet quod iste sit finitus.

Sed occurrit alia contradictio generalis; scilicet finitum et infinitum. Idem enim erit finitum actu et infinitum; quod licet posset probari fere ex

---

(a) Ex *suorum*. (b) Ex *determinante*. (c) Al. m. mg. (d) B^7 add. *vel aliam*. (e) Ita B^7, V *continuabuntur*. (f) Ex *sumpmto*. (g) Al. m. mg. (h) Ita B^7, V *solum*. (i) B^7 om. *sicut nec... sumptum*.

omnibus viis supradictis, ad praesens tamen tripliciter hoc ostendo.

Primo quidem ex parte figurarum et ex parte specierum tam numeri quam continuae quantitatis.

Ex parte quidem figurarum: Cum enim nullum corpus extensum possit esse sine certa figura sicut nec sine determinata positione suarum partium quae aut idem est quod figura aut inseparabiliter se concomitantur, figuratum autem [a] non possit esse, quin sit finitum, quoniam figura est quae termino vel terminis continetur: sequitur quod omne corpus infinitum sit figuratum ac per consequens finitum. — Praeterea, detur unum corpus infinitum, ita quod a centro in omnem partem eius possint duci lineae infinitae, tunc necessario illud corpus habebit figuram sphaericam [b]; si etiam dentur quatuor lineae secundum formam quadraturae in infinitum tendentes et pertingentes: tunc habebunt figuram quadratam; et idem est de aliis figuris; sed semper oportet quod ratione figurae sint finita; ergo et cetera. — Praeterea, impossibile est uni soli sphaerae dare plura [c] centra; sed si fiat unum corpus ab [d] omni parte infinitum, utpote mundus iste: tunc uni sphaerae erit dare plura centra, quia quodcunque punctum ibi signetur, ibi erit veraciter centrum eius; quia lineae ab eo ductae semper erunt infinitae [e] ac per consequens aequales, nisi corpus illud ponatur esse finitum [f]. — Praeterea, inter quascunque duas lineas aut partes lineae est dare distantiam intermediam: illa [g] distantia semper est finita; sed inter duas lineas ab uno cono trianguli in infinitum [h] se extendentes et inter omnes partes illarum linearum est semper dare distantiam seu latitudinem intermediam; ergo semper illa distantia est latitudinis finitae; sed impossibile est illas lineas esse infinitas, quin alicubi [i] distent a se in infinitum, quoniam quanto plus procedunt, tanto amplius distant; ergo oportebit quod alicubi [k] habeant inter se distantiam infinitam. Et idem potest argui ex omnibus [l] lineis aliarum figurarum ab eodem angulo seu cono procedentibus.

Ex speciebus vero quantitatis continuae sic ostenditur: Impossibile enim est esse aliquod corpus seu den-

---

[a] B⁷ add. *cum* [b] Ex *sphaerificam.* [c] Al. m. mg., del. *prolura.* [d] B⁷ *ex.* [e] B⁷ om. [f] Ex *infinitum.* [g] B⁷ add. *autem.* [h] Al. m. mg., del. *in finitum.* [i] Al. m. ex *alicui.* [k] Al. m. mg., del. *alicui.* [l] B⁷ add. *aliis.*

sum sine superficie, et omnem [a] superficiem praeter circularem impossibile est dare sine pluribus lineis nec lineam rectam sine punctis; alias omnes partes densi totaliter sisterent in indivisibili nec superficies esset tunc de ratione et essentia densi nec punctus de ratione lineae; qua enim ratione unum corpus, utpote corpus infinitum, posset esse sine superficie, eadem ratione quodlibet aliud; sed superficiem non potest habere, quin sit finitum, cum superficies sit extremum densi et terminus eius; oportet ergo quod sit simul finitum et infinitum.

Ex parte vero specierum numeri sic ostenditur: Impossibile est enim dare aliquem [b] numerum, quin sit in aliqua specie numeri; omnis autem species numeri est necessario finita, quia omnis numerus habet aliam [c] speciem post se sola unitate se excedentem et aliam ante se quam in sola unitate antecedit; ergo et cetera. — Praeterea, omnis numerus minor infinito necessario est finitus et idem est de omni quantitate seu quanto; sed numerus qui immediate sequitur post infinitum est minor ipso; ergo omnis numerus immediate eum sequens erit finitus; et idem est de omni quantitate immediate sequente quantitatem infinitam; sed necessario oportet dare quod omnem numerum sequatur immediate aliquis numerus; si enim detur oppositum, tunc oportet quod sequatur eum mediate et ita inter ipsum et omnem numerum sit iterum aliquis [d] numerus medius; quod est impossibile. — Et praeterea, aut illi numeri medii erunt finiti aut infiniti; et quicquid detur, semper consequentur contradictiones variae.

Secundo vero ostendo hoc ex parte distantiae intermediae inter partes infiniti ab invicem in infinitum remotas: Sumpta enim quacunque partium infiniti numeri vel continui oportet quod pars illa distet ab aliqua alia in infinitum [e] aut a nulla: oportet enim alterum [f] istorum dari, cum sint contradictoria. Si detur quod distet ab aliqua in infinitum: ergo inter utramque est distantia infinita ab utraque parte terminata, ex una parte ad unam, ex alia vero ad aliam; et ita simul erit finita et infinita. Post utramque etiam partium aut sequentur aliquae aliae aut non; et quocunque dato oportet eas

---

[a] Al. m. mg., del. *omni;* B[7] om. *et omnem superficiem.* [b] Al. m. mg., del. *a[e]m.* [c] Al. m. mg., del. *a[a]m.* [d] B[7] *alius.* [e] Al. m. ex *finitum;* B[7] om. *aut a nulla.* [f] B[7] *aliquem.*

finite distare. Si vero detur quod a nulla distet in infinitum, tunc sequitur quod ab omnibus distet finite per locum ab aequipollenti [a]; sed illud totum cuius omnes partes distant finite est finitum, cum totum non habeat [b] distantiam aliam a distantia omnium partium simul acceptarum; ergo adhuc sequitur quod sit finitum.

Tertio ostendo hoc ex parte cuiuscunque puncti vel termini signabilis [c] in toto infinito: Non enim poterit dari infinitum, quin in quocunque puncto signabili possit ex una parte finiri; sed omne quod est finitum ex una parte est [d] simpliciter et ex omni parte finitum, ut probabo: quia cum omne quantum possit dividi in duo media aequalia, sicut ex praecedentibus patet [e], infinitum ex altera parte tantum habebit ea; sed altera medietas eius erit necessario ex utraque parte finita, illa scilicet quae est versus punctum sui totius; ergo et altera medietas erit finita, alias non essent aequales. — Praeterea, duae lineae seu quantitates sibi aequales, ex quacunque parte sibi lateraliter applicentur, semper erunt aequales et se totaliter attingentes; sed duae partes infinitae totius infiniti ex utraque parte sunt sibi aequales, utpote duae lineae a centro in infinitum [f] in partes oppositas protensae, si sibi intelligantur esse applicatae hoc modo quod partes quae terminantur ad centrum in situ opposito ponantur, scilicet versus circumferentias, veraciter intelligentur sibi coaequari; sed hoc non potest esse, quin tunc ex utraque parte sint finitae, quia tunc termini earum qui prius erant circa centrum attingerent totam infinitatem earum; ergo et cetera. — Praeterea, secundum Augustinum, libro II *De libero arbitrio* [1], regula est in [g] numeris quod omne duplum tantum distat a suo dimidio [h] quantum dimidium a suo principio; quantum enim quaternarius excedit binarium, tantum binarius excedit unitatem; et quot unitates est dare in octonario super quaternarium, tot habet quaternarius usque ad primam unitatem suam inclusive. Sed infinitum ex utraque parte excedit suas partes in duplum [i]. Ponatur igitur quod illud infinitum sit infinitorum cubitorum vel palmorum [k]:

([a]) B[7] *aequipollentia.* ([b]) Ex *habeant.* ([c]) Al. m. mg., del. *signalis.* ([d]) B[7] om. *sed... est.* ([e]) B[7] om. *e. p. p.* ([f]) Al. m. ex *finitum.* ([g]) Add. interl. ([h]) Ita B[7], V *dimiduo.* ([i]) Al. m. ex *duplus.* ([k]) B[7] *palmarum.*

([1]) Cap. 8 (PL 32, 1253).

tantum excedet alteram illarum partium, quantum illa excedit quartam partem totius; et in tanto numero cubitorum excedet [a] illam, in quanto illa distat a suo principio; et ipsa iterum in tantum excedet quartam totius quantum quarta distat a suo principio; constat autem quod una quarta sub certo numero distat a suo principio; ergo et alia quarta: et ita oportet quod sit ex utraque parte finita.

Tertio occurrit alia contradictio generalis, quod scilicet infinitum erit [b] totum positum et non totum positum seu totum existens et non totum existens. Quod evidentius patet in infinito futuro et in infinita divisione continui; si enim infinitum futurum fuerit totum positum in actu, tunc eo ipso sequitur quod non esset nec sit infinitum futurum; et si continuum fuerit totaliter divisum secundum intellectum, ut scilicet sit infinities divisum et in infinita: aut erit compositum ex indivisibilibus — quod est contra rationem continui — aut oportet quod illa infinita in quibus est divisum sint [c] adhuc divisibilia et ita quod non fuerit totaliter divisum. Si quis autem bene inspexerit causam propter quam in istis non potest esse infinitum totum positum, inveniet eam communem omnibus infinitis inter quorum partes est ordo seu secundum situm aut positionem seu secundum prius et posterius sive secundum magis et minus sive secundum [d], aliquem similem modum aut aequivalentem; quoniam in habentibus ordinem, si non datur [e] ultimum et primum, nunquam datur totum. Quod sic potest generaliter probari: in quocunque non est aliqua pars post quam non sequantur infinitae [f], in illo post omnes suas partes sequuntur finitae [g], et ita in illo sunt omnes suae partes et non omnes; sed in quocunque est dare infinitas partes post quamlibet earum sequuntur infinitae, unde post quamlibet speciem numeri aut figurae sequuntur infinitae; ergo quodlibet tale infinitum habet omnes partes suas et non omnes.

Forte dicetur quod si li «omnes» sumatur collective, quod sic post omnes partes in simul acceptas nulla penitus sequitur; si vero sumatur distributive, sic post quamlibet singillatim acceptam infinita sequuntur; quia autem totum infinitum habet eas aggregatim et ut in [h] simul collectas, ideo

---

[a] Ita B^7, V *excedit*. [b] Al. m. ex *eit*. [c] Ita B^7, V *sunt*. [d] Rasura. [e] Al. m. mg. *s. n. d.* [f] Ita B^7, *infinitae infinitae*. [g] Ita B^7, V *infinitae*. [h] Add. interl.

non sequitur quod habeat eas simul omnes et non omnes. — Sed si quis bene inspiciat virtutem et sensum, distributivae, videbit quod ex ea sequitur necessario illa quae est collectiva; certum est enim quod si post quamlibet partem determinatae quantitatis, utpote post quamlibet partem cubitalem, sequuntur infinitae tales, etiam quando aggregatim erunt sumptae: oportet quod post omnes sequantur infinitae, quia in tota illa aggregatione nulla erit post quam non sequantur. — Praeterea, haec distinctio collectionis et distributionis non habet locum nisi respectu praedicati [a] quod aliter convenit partibus singillatim acceptis et aliter aggregatim acceptis. Unde cum dicitur: tota domus est alba vel omnes homines sunt albi, tantum valet distributive quantum collective et e contrario: quia albedo non est in omnibus partibus aggregatim nisi per hoc quod inest omnibus singillatim; quando autem dicitur: omnes apostoli sunt duodecim vel omnes [b] isti homines trahunt navem, aliter se habet praedicatum [c] attributum partibus singillatim, aliter si attribuatur [d] aggregatim. In proposito igitur non habet haec distinctio locum, quia partem sequi post partem non convenit omnibus partibus aggregatim, nisi conveniat omnibus [e] singillatim, nec potest convenire hoc praedicatum omnibus partibus distributive, quin conveniat omnibus etiam collective; ab universali enim distributiva semper sequitur universalis collective accepta, nisi sit tale praedicatum [f] quod alterum respectum et aliquo modo alteram significationem habeat [g] attributum collective et alterum attributum distributive seu potius subiecto distributo. Quod autem infinitae partes sequantur quamlibet, prout est singillatim in suo toto accepta, non habet alium respectum nec aliam significationem quam quando attribuitur eis aggregatim. — Praeterea, cum partes cum [h] toto sint semper aggregatae: quod post quamlibet, prout est in toto simul cum aliis, sequantur infinitae, quid est aliud quam quod post omnes aggregatim acceptas sequuntur [i] infinitae?

Patet hoc etiam secundum rationes physicas. Et primo ex rerum naturalium activa virtute, secundo ex earum motu seu operatione, tertio ex earum localitate et naturali ordine.

---

[a] B[7] *praedicti.* [b] Add. interl. [c] Ex *praedica.* [d] Ex *tribuatur.* [e] Ita B[7], V om. [f] Ex *praedicamentum.* [g] Ex *habeant.* [h] B[7] *in.* [i] B[7] *sequantur.*

Primo quidem ex virtute: Omne enim corpus seu ens naturale, si est infinitum, oportet quod habeat infinitam virtutem naturalem; virtus autem naturalis cuiuslibet rei naturalis habet aspectum extra se, scilicet ad patiens in quod potest extra se operari; et secundum quod est maior, secundum hoc in (a) remotiora est aspectus eius potens et directus et virtualiter est in illa protensus; ergo si est infinita, habebit aspectum extra se ad infinite remota. Et sic oportebit quod post quodlibet corpus infinitum sequantur adhuc alia corpora infinita; et eadem ratione oportebit quod post ista sequantur alia infinita et sic in infinitum. Et tunc sequitur quod nullum eorum sit infinitum, cum quodlibet eorum sit determinatum (b) ad sequens. — Si dicatur quod virtus rei infinitae erit infinita extensive non intensive et ita non oportet quod attingat extra se infinite remota: etiam hoc dato adhuc sequitur quod saltem sit dare aliquod patiens extra se in quod sit directa et in quod agere possit; et ita oportebit quod tam ipsa quam subiectum in quo est sit terminatum et finitum (c) ad suum patiens extrinsecum. — Praeterea, nos videmus quod quanto ignis est maior extensive, tanto ceteris paribus calor eius et levitas sunt maiora intensive; ergo oportet quod si est infinitus, quod sint in infinitum maiores intensive; et non solum oportet hoc de virtute ipsius totius, sed etiam hoc oportet de quacunque (d) parte illius totius, quoniam quaelibet pars adiuvatur ab omnibus aliis partibus; et ita ab infinitis partibus infinitum adiutorium accipiet et sic sequitur quod in parte finita sit virtus infinita. — Praeterea, omnis pars infiniti naturalis agit in virtute totius et inde est quod virtus totius et omnium partium eius videtur confluere ad partem illam quae immediate agit in patiens quasi (e) ad quendam conum; oportet igitur quod pars illa habeat infinitam actionem per concursum infinitae virtutis factum in ea. — Item, a duabus partibus cuiuslibet corporis naturalis a se invicem distantibus potest dirigi aspectus suae virtutis versus eundem terminum, ac si duae lineae (f) procederent ab una base coarctando se semper magis (g), sicut fit in triangulo. Ergo partes unius basis quae a se invicem infinite distant concurrent in aliquo patiente infinite ab eis distanti, quia lineae terminales basis infinitae non possunt

---

(a) Al. m. mg. (b) B[7] *terminatum.* (c) B[7] *infinitum.* (d) B[7] *qualibet.* (e) B[7] *quare.* (f) B[7] *ac duae ac non duae lineae,* pro *a. s. d. l.* (g), B[7] add. *ac magis.*

antea concurrere. Et tunc sequitur quod ipsa basis sit simul finita et infinita et quod patiens in quo [a] eorum actiones concurrunt sit distans ab eis finite et infinite. — Forte dicetur quod Deus miraculose poterit sic facere aliquod naturale ens infinitum quod tamen nullum [b] aliud sequetur nec virtus eius dirigetur in aliquod patiens extrinsecum; et ita praedicta inconvenientia non sequentur [c]. Sed haec evasio nulla est. Primo quidem, quia cum omnes partes alicuius formae et virtutis activae et etiam materiae naturaliter sibi uniantur et sese respiciant et coadiuvent: oportebit quod in quolibet corpore infinito possit signari unus triangulus infinitus vel quaecunque altera figura sub qua partes sese respiciant et sese coadiuvare et respicere possint; oportebit enim omnes sub aliquo nexu et ordine ad quamlibet aliarum, quantumcunque distantium, virtuali quodam respectu concurrere. Secundo etiam patet hoc nihil esse, quia nunquam potest hoc ita miraculose fieri quin semper ipsum totum et virtus eius sit apta nata, quantum est de sui natura, dirigi et agere in aliquod patiens extrinsecum; per hoc autem non solum tollitur quod actualiter extrinsecum patiens non aspiciat, sed etiam quod non aptitudinaliter hoc aliquo modo [d] possit.

Secundo patet hoc ex eorum motu et operatione: Impressio enim seu operatio cuiuslibet agentis naturalis habet naturalem ordinem in partibus suis secundum ordinem partium sui patientis [e] in quo huius impressio recipitur, sicut videmus in radiis solis; ergo infinita impressio quae ab agente infinito naturali manat aut manare potest habebit hunc ordinem, et ita in ea erit [f] dare naturalem ordinem et successionem partium finitarum simul et infinitarum [g], quando eius initium incipiet ab agente et cum tota successio sit iam facta; ac per consequens iam pertransita [h] oportebit ei dare ultimum terminum, alias non esset tota facta et pertransita. — Item, cum reflexiones fiant in huiusmodi impressionibus et naturales terminationes [i] secundum hoc quod est dare obiecta naturaliter virtutis agentis et sui aspectus terminativa: poterit dari reflexio infinita et obiectum terminativum virtutis agentis infinite di-

---

([a]) Ita B^7, V *quod*. ([b]) B^7 om. ([c]) Al. m. mg., del. *sequitur*. ([d]) Al. m. mg., del. *non*. ([e]) Ex *pantientis*. ([f]) B^7 *oportet*. ([g]) B^7 *finitam simul et infinitam* pro *f. s. e. i.* ([h]) Ita B^7, V *transita*. ([i]) B^7 *determinationes*.

stans ab eo. Cum etiam tantae quantitatis sit aut esse possit radius reflexus sicut ille a quo reflectitur, sicut ex regulis perspectivae et geometriae patet, si reflexio potest fieri ab aliquo obiecto infinite distanti, sicut in infinitis impressionibus poterit fieri: utique poterunt dari reflexiones infinitae et terminationes virtutum activarum impressionum suarum infinitarum. Quicunque autem dat reflexionem infinitam, oportet quod det figuram infinitam, quia radius reflexus facit angulum (a) cum radio a quo reflectitur; in quo angulo est conus pyramidis radiosae procedentis ab agente tanquam a sua base. Quicunque etiam dat obiectum terminativum et actualem terminationem virtuti in obiectum infinite distans agenti ponit infinitum habere terminum ex utraque parte. — Item, omnis virtus naturalis movet suum mobile secundum totam possibilitatem qua potest eum movere sub tali vel tali dispositione et situ; sed virtus dupla potest in minori tempore movere idem mobile super consimili spatio quam virtus dimidia; quantum enim poterit haec movere in duplo tempore, tantum poterit illa in dimidio; ergo si est infinita virtus naturalis, poterit movere illud in duratione seu mensura in infinitum minori; sed nihil potest dari in infinitum minori minus nisi nunc indivisibile; ergo poterit illud movere in nunc et ita motus posset esse in instanti, quod est etiam Deo impossibile; quoniam includit in se contradictionem expressam, scilicet quod aliquid sit et non sit simul in diversis locis et quod sit simul successivum et non successivum. — Item, virtus dupla potest in eodem tempore movere aequale mobile in spatio duplo maiori (b) quam possit (c) virtus dimidia et potest mobile duplo maius movere in aequali tempore et in aequali spatio; ergo virtus naturalis infinita poterit in illo tempore movere illud idem mobile quod movet finite virtus finita, per infinitum spatium et mobile infinitum poterit movere in aequali tempore et in aequali spatio. Ex hoc autem sequitur quod infinita spatia et infinitum motum sit pertransire in tempore finito, ac per consequens quod non fuerint infinita sed potius finita. — Item, omne corpus (d) naturale est possibile ad motum, cum de essentia suae materiae sit mobilitas; omnis autem materia quanta est possibilis ad motum localem; sed omnis motus localis est circularis aut rectus aut commistus; ergo motus localis infinitus

(a) Al. m. mg., del. *an*^{m}. (b) VB^{7} *minori*, corr. ex *maiori*. (c) Al. m. ex *sit*. (d) B^{7} om.

necessario [a] erit sub aliquo istorum; nullum autem potest dari, quin tam ipse quam eius mobile sit finitum. — Item, omnis motus dirigitur ad aliquem finalem terminum; mobile enim nunquam movetur nisi per hoc quod ab aliquo est impulsum ad aliquem certum terminum; et [b] videmus quod motus naturales semper habent naturales terminos, et hinc est quod elementa habent naturales inclinationes ad certos terminos suorum motuum localium eis naturalium; si ergo potest dari movens et mobile infinitum, sicut necessario est dare, si potest fieri ens naturale infinitum [c]: ergo poterit ab eis esse motus infinitus et inclinatio infinita et tamen ad certum teminum.

Tertio patet hoc ex eorum localitate et naturali ordine: Cum enim species rerum naturalium diversae non se impediant, immo potius sese coadiuvent — unde etiam ad complementum universi faciunt — habeantque naturaliter mutuam inter se ordinabilitatem et ut plurimum naturaliter sortiantur [d] varia loca secundum diversas inclinationes ex sua specie eis convenientes: constat quod quanto essent perfectiores, tanto possent perfectius ordinari et collocari et mutuo sibi coaptari aut saltem non minus perfecte; sed si infinitas actualis potest eis dari, ipsa erit perfectissima conditio omnium illarum quae eis dari possunt; ergo tunc possent perfectissime ad invicem ordinari et collocari; hoc autem evidenter patet esse falsum et impossibile. — Item, quando corpus fit de nihilo, non necessario oportet quod fiat intra aliud corpus prius existens aut in loco eius; quoniam eo ipso quod corpus creatur in esse eo ipso est, ut infra dicam, collocatum in se ipso; ergo quantumcunque corpus infinitum prius existat, adhuc poterit creari corpus aliud ac per consequens et alius locus extra locum corporis infiniti; sed hoc non potest fieri, quin sequatur infininitum esse finitum.

Patet etiam [e] secundum rationes metaphysicas, scilicet ex consideratione causarum quatuor entis, scilicet causae efficientis, finalis, formalis et materialis [f].

Ex parte efficiente quidem: Quia si Deus potest facere infinita actu, poterit illa infinita coordinare [g] ad unum

---

[a] Ita B^7, V *necesse*. [b] B^7 *unde*. [c] B^7 om. *necessario... infinitum*. [d] V B^7 *sortiantur*. [e] B^7 add. *hoc*. [f] B^7 *efficientis, materialis, formalis et finalis*, pro *e. f. f. e. m.*. [g] Al. m. ex *ordinare*.

effectum producendum, ut posito quod faceret infinitas sphaeras aut infinitos annulos inter se concatenatos, ita quod ad motum unius sequeretur motus [a] in sphaera vel annulo sibi propinquiori et sic deinceps in aliis per ordinem; sed impossibile est hoc esse vel fieri, quia in productione cuiuscunque effectus oportet dare primam causam efficientem et ultimam seu immediatam [b], cum omnes causae efficientes intermediae ab una principaliter moveantur a qua et accipiunt virtutem effectivam; unde si non esset dare causam efficientem primam, nullam penitus esset dare; et si non esset dare ultimam, nunquam perveniretur ad effectum, cum effectus sequatur post omnes causas et cum immediate sequatur ultimam. — Praeterea, Deus non potest facere quin ipse sit causa prima omnium causarum efficientium; igitur semper omnes causae includuntur et terminantur inter ipsum et effectum.

De causa etiam finali potest hoc consimili via ostendi: Quia omnes fines assumunt rationem finalem a fine ultimo nec Deus posset facere quin ipse esset finis ultimus omnium finium; si autem Deus posset facere infinita, posset bonum unius ad bonum alterius ordinare et sic infinitos fines unius constituere.

Ex causa vero formali hoc ipsum ostenditur, sive nomine formae sumamus illud quod perficit materiam sive totam quidditatem et definitionem cuiuslibet entis: Primo enim modo sumpta est eius proprium et essentiale quod ordinate attingat totam suam materiam et omnes partes eius; alias non daret esse toti materiae suae neque esset forma nisi solum illarum partium quas attingeret et perficeret; est etiam eius unire materiam et omnes partes eius; est etiam eius possibilitatem [c] et indeterminationem seu terminabilitatem materiae terminare et distinguere; unde forma quasi contrarias proprietates habet proprietatibus materiae: sicut enim illa est confusa et indeterminata, sic ista est eius terminus distinctivus et ordinativus [d]; sed hoc directe repugnat infinitati, sicut satis de se patet et ex iis quae dicta sunt superius faciliter deduci potest. Si vero sumatur pro quidditate [e], tunc includit intra se naturas seu rationes omnium generum et differentiarum ipsius entis cuius est quidditas; in generibus autem necessario est dare primum

---

([a]) B[7] add. *in animabus ordinate ut scilicet ad motum illius sequeretur motus.* ([b]) B[7] *mediatam.* ([c]) B[7] *potentialitatem.* ([d]) B[7] *distinctus et ordinatus* pro *d. e. o.* ([e]) B[7] om. *p. q.*

et supremum, sicut patet per rationes generales praedicamentorum et entis, in differentiis vero est necessario dare ultimam quae sit completiva speciei; et breviter cum in omni praedicamento sit dare genus generalissimum et speciem specialissimam, necessario in omni quidditate aggregante in se diversas rationes generum et differentiarum est dare primum et ultimum.

Ex causa vero materiali ostenditur: Materiae enim ex sua essentia competit quaedam infinitas quae sonat in defectum actualitatis et unitatis et stabilitatis; et haec est infinitas potentialis secundum quam aliquid dicitur esse infinitum in potentia; ergo infinitas actualis ei opposita oportet quod dicat summam et immensam actualitatem, unitatem et stabilitatem; ergo infinitas actualis summe repugnat omni multitudini et omni essentiae materiali et imperfectioni [a] eius. — Praeterea, infinitas materialis aut ponitur propter infinitatem diversarum materiarum ad constitutionem [b] alicuius unius concurrentium aut propter infinitas partes eiusdem materiae. Primo modo non est possibile, tum quia una forma non posset esse [c] in infinitis materiis diversis, tum quia non potest esse in pluribus materiis, nisi prius et principalius sit in una quam in altera; unde oportet quod informet eas et respiciat sub certo ordine; et tunc etiam oportet quod ipsae materiae sint inter se ordinem habentes, ita quod una sit prior, [d] altera posterior; sed primam omnium semper necessario est dare, quia prima semper est illa quae in nullo alio recipitur, quicquid enim in alio recipitur [e] non habet proprie rationem materiae; ergo in quocunque sunt plures materiae [f], oportet semper dare primam et ultimam, quia prima est illa quae in nullo recipietur, ultima vero erit quam forma immediatius informabit. Secundo etiam modo non est possibile; ad quod sufficiant omnia quae dicta sunt, quia ex omnibus potest improbari; potest etiam hoc ostendi fere ex omnibus rationibus generalibus entis, utpote [g] ex ratione universalis et particularis, unius et multi seu eiusdem et diversi et sic de aliis; sed quia hoc infra in quaestione de infinitate seu universalitate angelorum plenius tangetur, idcirco hic [h] omitto.

---

[a] Ita B^7, V *perfectioni*. [b] Al. m. mg., del. *conustionem*. [c] Al. m. mg. [d] B^7 add. *et*. [e] B^7 om. *quicquid... recipitur*. [f] B^7 om. *ergo in... materiae*. [g] Al. m. mg., del. *ut*. [h] B^7 add. *quidem*.

Sic igitur patet tam secundum rationes mathematicas quam physicas et [a] metaphysicas quod natura et ratio rerum creatarum et creabilium multipliciter contradicit infinito [b] actuali.

Restat igitur videre quomodo Dei potentia eidem contradicat: Si enim Deus posset facere infinitum, eadem ratione poterit facere quod nihil poterit facere novum; qua enim ratione poterit facere infinita, poterit facere omnia possibilia sibi, saltem illa quae possunt se simul compati; quibus factis sequitur quod nihil ultra possit; quod [c] est contra rationem divinae potentiae, quia ex suis effectibus non redditur minus potens ad faciendum alia et quia semper superexcedit omnes suos effectus; nec mirum, quia non posset facere quod virtus lucis solaris per suas irradiationes exhauriretur [d], ita quod non possit de novo in alias. — Item, quicquid Deus potuit facere simul in uno nunc potuit facere successive, nisi sint talia quae non sint successionis capacia; ergo si Deus potuit facere infinita in hoc nunc, potest ab eo et ultra facere eadem successive; sed hoc est impossibile, quia tunc inter duo nunc extrema esset dare infinita, tum quia tunc infinita successio inchoando ab hodie posset tota pertransiri [e] et tunc posset facere totum futurum aeternum [f], et tamen esset finitum et praeteritum. — Item, nunquam Deus potest facere aliquod corpus nec aliquam rem, quin posset illud movere; ergo partem infinitam corporis infiniti poterit totam movere, ita quod semper magis ac magis occupet locum alterius partis et e contrario; sed hoc est impossibile, quia tunc sequitur quod illa pars relinqueret post se totam aliam [g] partem loci sui in quo prius erat ac per consequens secundum illud quod [h] erat infinita erit finita; multaque alia consimilia sequerentur; ergo et cetera. — Item, nullum corpus potest Deus facere, quin possit aliquod aliud corpus finitum ita sibi applicare quod nulla partium eius erit ultra partes corporis illius finiti; utpote posito quod faciat unum corpus a centro in altum infinitum: quantum alte attingit illud infinitum, tantum alte poterit collocare aliquod corpus modicum; sed illud non poterit ita alte collocare quin ibi sit terminus eius ultra quem non se extendit et post quem Deus posset vel ipsum vel

---

[a] In mg. [b] Al. m. ex *infiniti*. [c] Ita B^7, V *et*. [d] Corr. [e] *Tota pertransiri* ex *per tota transiri*. [f] B^7 add. *ita quod aeternum*. [g] B^7 *aliquam*. [h] B^7 *in quo*.

aliud collocare; ergo et cetera. — Item, Deus non ex aliquo alio videtur potens facere infinita, nisi quia nunquam tantum potest facere quin adhuc amplius possit; sed nunquam potest tantum triangulum facere, quin semper amplius possit ([a]); ergo eadem ratione poterit facere infinitum triangulum et circulum. — Item, omne corpus potest Deus figurare et in omni quantitate figuram coaequalem eidem potest facere; ergo in corpore infinito hoc poterit, et sic posset Deus facere figuram infinitam; quod est impossibile. — Item, nunquam Deus potest facere aliquid quod attingeret ([b]) terminos alicuius divinae perfectionis; omnis enim creatura se habet ad quamcunque perfectionem divinam sicut punctus ad summe immensum; sed si faceret infinitum, illud commetiretur se alicui perfectioni divinae, ita quod eam totaliter attingeret ([c]); quantum enim Deus posset in illa specie vel in illa specie, tantum attingeret; et ([d]) quantum attingeret ratio illius immensitatis qua Deus esse potest ubique, tantum attingeret unum corpus ex omni parte infinitum, ac si toti illi immensitati totaliter se commetiretur.

[Solutio Obiectorum].

Ad primum igitur in contrarium dicendum quod secundum Augustinum, XII *De Civitate*, capitulo 18 ([1]), quidam philosophi dixerunt quod Deus nesciebat infinita. Quibus contradicit Psalmus, quando ait ([2]) quod « *intelligentiae eius non est numerus* ». Et hoc ipsum ratio convincit, perfectio enim divinae sapientiae, potentiae et essentiae manifeste hoc concludit; cum enim in Deo sit omnis perfectio nobilis in summo, cognitio autem omnis veri seu omnium scibilium in quantum talis est una de nobilissimis perfectionibus quae esse aut cogitari possit: oportet quod in Deo sit in summo; sed hoc non potest esse, nisi actu sciat infinita, quia cum in eo non cadat transmutatio seu successio nec sit in potentia ad aliquid nec aliquid possit sibi addi, si nesciret nisi finita, tunc ultra illa non posset intellectus suus attingere; et ita intellectus noster posset intelligere aliquem numerum maiorem quam Deus intelligere possit. — Praeterea, si Deus

([a]) B[7] om. *sed... possit.* ([b]) B[7] *attingat.* ([c]) Ita B[7], V add. *et.* ([d]) Ita B[7], V om. *quantum enim... et.*

([1]) PL 41, 367 sq. ([2]) Psalm. 146, 5.

scit numeros et rationes numerorum et naturas et rationes specierum et generum totius entis creati aut creabilis nihilque scit [a] in potentia quod non sciat actu, non potest autem rationes numerorum scire, quin sciat quod omni numero potest cogitari duplo vel centuplo maior neque potest scire naturas et rationes generum et specierum, quin sciat quod quantum est de se, in infinitis [b] esse [c] possunt sciatque quod rationes aliquorum non limitantur ad aliquam [d] certam quantitatem — unde possunt cum omni quantitate se compati, ut sunt ipsaemet species et genera quantitatis et species homogenorum, ut ignis et aqua et consimilium —: utique poterit ista scire ac per consequens sciet quod tantum scit [e] actu quantum potest scire in tota aeternitate. — Praeterea, qua ratione divinus intellectus potest attingere hoc scibile vel hoc cogitabile, eadem ratione et [f] aliud, cum de natura sua non sit magis determinatus ad hoc quam ad illud, immo nec de natura sua sit ad aliquid limitatus; nec rationes horum vel illorum scibilium magis se habent ad divinum intellectum de natura sua quam rationes aliorum scibilium; si igitur potest in haec scibilia, potest in omnia quantumcunque infinita.

Perfectio etiam potentiae hoc ipsum convincit: nihil enim Deus potest facere vel regere, quin sciat illud; nunquam vero potest Deus tot facere simul vel successive quin adhuc plura possit. — Ratio etiam essentiae divinae hoc ostendit: quoniam ipsa transcendit totam rationem entis scibililis, ita quod habet se haec ad illam sicut punctus ad pelagus [g] essentiae infinitum; oportet ergo necessario quod essentia Dei totam rationem [h] entis intra se sufficientissime comprehendat; sed divinum intelligere est eius essentia; ergo et cetera. — Praeterea, essentia Dei et suae intelligentiae [i] est veritas universalissima comprehendens in se omnem puram veritatem; ergo impossibile est quod divinus intellectus intelligat se, quin intelligat omnem veritatem scibilem.

Oportet igitur videre quomodo scientia infinitorum possit stare absque contradictionibus praemissis. Dicendum igitur quod Deus non scit infinita sub omni modo, quia non sub illo qui claudit in se contra-

---

[a] Al. m. ex *sit*. [b] *In infinitis* ex *infinitatis*. [c] Ita B^7, V *esset*. [d] Ita B^7, V *aliam* in ras. [e] Al. m. ex *sit*. [f] Al. m. ex *ad*. [g] Al. m. ex *plagus*. [h] Al. m. mg.; B^7 *infra*. [i] B^7 *similiter intelligentia* pro *s. i.*

dictionem; qualis esset, si poneretur scire infinita sub aliqua ratione unius scibilis aut alicuius totius, utpote si intelligeret unum totum infinitum infinitas partes in se comprehendens, sive illud totum sumeretur per modum totius continui sive per modum totius (a) discreti; tunc enim sequerentur omnes contradictiones praemissae. Scit igitur ea hoc modo quod nunquam per unam ideam seu per unam intelligentiam scit aliquid nisi finitum et sub certo numero et mensura, per aliam (b) vero ideam seu intelligentiam intelligit aliud finitum (c), et cum in eo sit infinitas rationum et intelligentiarum, per infinitas intelligentias scit infinita. Quamvis enim intelligentia Dei sit una et simplicissima in essentia, nihilominus tamen veritatem plurium idearum et infinitarum rationum et intelligentiarum per aequivalentiam seu potius per praevalentiam absque omni pluralitate in se comprehendit; et ideo potest scire aliqua plura ut plura quae (d) nullo modo possunt concurrere in ratione (e) unius scibilis simplicis vel compositi; unde et de iis quae fecit potuit scire oppositum, potuit enim scire ea nunquam fore et ita potuit scire sub disiunctione utramque partem contradictionis esse veram; nunquam tamen potuit hoc simul nec per modum unius intelligibilis; quia igitur infinitum seu infinita nullo modo possunt aggregari aut sumi sub aliqua ratione unius scibilis aut sub aliqua ratione unius totius seu unius entis: idcirco nunquam possunt sciri a Deo nisi ut plura et quasi pluribus intelligentiis. Quando igitur dicitur quod Deus scit numeros infinitos, non est intelligendum quod ipse sciat eos ut aggregatos in aliquem unum totalem numerum, quia hoc est impossibile, sed scit unumquemque numerum et unamquamque speciem numeri, ita quod nunquam cadunt sub aliqua una intelligentia Dei, nisi prout sumuntur sub certis terminis et mensuris; et loquor de unitate intelligentiae, prout Dei intelligentia dicitur esse una per relationem ad unum intelligibile sive simplex sive compositum sive quacunque via unionis seu quocunque modo unitatis possit dici unum; quia nec ipsi numeri hoc modo sunt infiniti quod ex eis constituatur aut constitui possit aliquis numerus infinitus vel aliquod aliud totum, sed potius quilibet est in se finitus et isti finiti tot sunt quod non est eorum dare numerum nec possunt sub aliquo numero nec sub aliquo (f) toto comprehendi.

(a) Al. m. mg. *continui... totius.* (b) Al. m. mg. (c) B^7 *scitum.* (d) Al. m. mg. (e) B^7 *rationem.* (f) Al. m. mg. *n. n. s. a.*

Et hoc est quod dicit Augustinus, libro I *Contra adversarium legis et prophetarum*, dicens sic [1]: « Nullus quippe numerus, quantumlibet magnus, vel dicitur vel, si iam dici non potest, cogitatur cui addi non possit ut maior sit [a] ». Et expressius, *De Civitate Dei*, libro XII, capitulo 18, ita inquit [2]: « Suis quisque numerus proprietatibus terminatur [b], ut nullus eorum par esse cuiquam alteri possit; ergo et dispares inter se atque diversi sunt, et sic singuli quicunque finiti sunt et omnes infiniti sunt » [c]. Et infra dicit [3] quod « infinitorum numerorum non est numerus »; quod non esset verum, si essent aggregabiles sub aliqua ratione alicuius unius totius, quia illud totum posset dici numerus infinitus. Unde Psalmus [4] non ait quod intelligentiae Dei sit numerus infinitus, sed potius quod « *intelligentiae eius non est numerus* »; et quamvis ita diceretur, non est [d] intentio affirmare aliquam unam rationem positivam numeri, sed solum negare terminum in pluralitate [e] seu excrescentiam [f] numerorum.

Et per hanc viam possunt solvi omnes contradictiones: non enim in divinis scibilibus seu obiectis erit pars aequalis [g] suo toti, quia ibi non est aliqua pars infinita nec etiam aliquod totum nec est ibi dare aliquem numerum qui non sit par vel impar; quia non est ibi aliquis unus numerus infinitus, quamvis numeri finiti sint ibi infinities multi. — Quod vero dicitur quod infiniti ternarii a Deo sciti sunt aequales infinitis denariis ab ipso scitis: dicendum quod haec infinita possunt comparari ad se invicem aut secundum rationem quam ponunt determinate aut secundum illam quam ponunt confuse quae non dicit rationem alicuius unius nec rationem entis proprie. Primo modo non est aliud comparare ea quam quodlibet finitum in eis comprehensum, in quantum est in se unum et ab aliis distinctum, comparare ad quodlibet finitum alterius infiniti similiter acceptum; et hoc modo in infinitis ternariis nulla est aggregatio determinata ex ternariis toties sumptis facta, quin aggregatio ex denariis toties acceptis semper excedat eam et semper in infinitum. Secundo vero modo comparare ea est quodam

---

(a) B[7] om. *libro... sit.* (b) Ex *terminantur.* (c) Al. m. mg. *et sic... sunt.* (d) B[7] *esset.* (e) Al. m. mg., del. *pl^te.* (f) Ita B[7], V *excrescentia.* (g) Al. m. mg. *p. a.*

---

(1) Cap. 2 (PL 42, 605). (2) PL 41, 367. (3) L. c. (PL 41, 368). (4) Psalm. 146, 5.

modo comparare nihil ad nihil et confusum ad confusum; nulla enim una ratio comparatur ibi ad aliquam [a] unam alteram rationem nec aliqua aliquibus secundum unam aliquam rationem realem; et ideo non debent proprie tunc dici aequalia, nisi pro quanto in hoc conveniunt quod eorum non [b] est numerus; unde aequantur in negatione potius quam in aliquo positivo, scilicet in negatione termini et omnis determinati generis et speciei. Possunt igitur dici secundum primum modum inaequalia, secundum vero modum istum possunt dici secundum quid aequalia et secundum aliam viam non aequalia, sumendo le « non » negative, non privative [c] neque contrarie, prout scilicet negat aequalitatem positive acceptam.

Si vero dicatur quod per consimilem modum poterit evadi ponendo infinita in actu: dicendum quod non potest; quia impossibile est ea ponere in actu, quin tunc ipsa infinitas eorum dicat aliquam rationem entis actualem et quin omnia sint ad invicem positive coordinata et unum totum universum seu unum totum particulare constituant actu [d]; quomodo enim poterit fieri actu infinita figura, quin ipsa infinitas eius sit aliquid actuale et quin figura huiusmodi dicat rationem figurae et unius figurae? Quia igitur in re non possunt poni sine ratione certae totalitatis et certae comparationis et coordinationis, ideo ad positionem infinitorum in actu sequuntur omnes praedictae contradictiones, non autem ad positionem eorum in divina scientia. Unde ibi non poterit dici quod Deus possit ea dividere in duo media, quia non dividitur nisi quod habet in se rationem unius et totius quam non habent infinita scibilia in quantum talia. Unde nec possunt dici excedere in duplo vel quadruplo aliquam suarum partium, cum infinita ibi partes non habeant nec in quantum talia dicant aliquid positivum; infinitas enim non dicitur ibi privative, scilicet privando aliquid ab aliquo uno subiecto, nec dicitur contrarie, ita quod dicat quandam unam formam contrariam formae finitatis, nec dicit aliquod unum positivum cum superexcessu, sicut facit, quando dicitur de Deo; sed solum dicitur negative, significat enim plura cum negatione termini et mensurae, unde nunquam potest vere adiungi ad aliquem terminum singularem qui significet aliquid vere unum. Unde nunquam vere Deus potest intelli-

---

[a] Al. m. in ras. [b] B^7 *nullus*. [c] Al. m. mg. *non privative*. [d] Ex *actum*.

gere infinitum corpus aut infinitam figuram aut aliquem unum numerum infinitum, sed solum plura ut plura potest intelligere infinita; et hinc etiam est quod infinitum secundum quantitatem continuam non potest intelligi a Deo, ita quod intelligat aliquam lineam vel superficiem infinitam. Unde infinitas obiectorum Dei semper sumitur secundum quantitatem discretam (a).

Si autem adhuc fortius instetur quaerendo et arguendo, sicut supra de infinitis in actu quaerebatur et arguebatur, an omnis numerus scitus a Deo distet ab aliquo altero seu excedat aliquem alterum in (b) infinitum aut non — oportet enim dare alterum horum, cum sint contradictoria, de quolibet enim affirmatio est vera vel negatio —: si dicatur quod sic, ergo ipsemet videt inter duos numeros determinatos infinitos numeros et etiam videt alterum illorum duorum (c) numerorum esse infinitum, quia videt quod alterum excedit infinitum. Si detur quod non, ergo per locum ab aequipollenti videt quod omnes a quolibet distant finite et quod inter eos nullus est excessus infinitus et ita videt quod omnes in simul accepti sunt (d) finiti. Et idem potest argui de infinito secundum quantitatem continuam. — Quod si quis dixerit quod quilibet a quolibet distat finite et tamen nihilominus omnes in simul accepti sunt infiniti: eadem ratione poterit hoc dici de infinitis in actu. — Aut si quis dixerit quod si le « quolibet » sumatur distributive, sic quilibet a quolibet distat finite; si vero sumatur collective, sic distat infinite (e): tunc sicut supra de infinitis in actu ostendebatur quod ad distributionem sequebatur ibi collectio et e contrario, ita sequitur et in proposito, ut videtur.

Ad hoc igitur dicendum quod haec « omnis numerus scitus a Deo distat finite ab altero » aut haec « nullus numerus scitus a Deo distat infinite ab altero » est concedenda sumendo signa illa distributive, non autem est verum quod ad distributionem sequatur hic collectio (f), sicut supra sequebatur; quia si numeri infiniti ponerentur in actu, tunc ponerentur omnes in simul sub ente et sub omnibus generibus et proprietatibus quae omnibus entibus communiter inessent, in divina vero scientia nunquam ponuntur in simul aggregati sub aliqua una ratione, cum ibi non ponantur nisi

---

(a) B^7 *quantitates discretas.* (b) Add. interl. (c) Al m. mg. (d) Al. m. mg., del. *sint.* (e) Al. m. mg. (f) B^7 om. *non autem... collectio.*

sub ratione sciti, divina autem scientia non fertur super omnes in simul quasi in unum scibile nec per unam rationem unius propriae ideae vel unius propriae scientiae fertur in omnes in simul acceptos et (a) in simul sumptos. Unde et in proposito est verum quod omnis numerus scitus a Deo habet post se infinitos numeros scitos a Deo; nec hoc signum « omnis » hic positum significat in termino (b) cui adiungitur, scilicet in numero scito a Deo, aliquam rationem alicuius unius totius; et ideo totalitas quae per hoc signum « omnis » hic significatur non est aliud quam distributio universalis cuius « omnia » nunquam sunt in simul susceptibilia vel aggregativa. Unde licet in exemplo quod supra ponebatur praedicatum uniformiter conveniat subiecto distributive sumpto et collective, scilicet in illo « tota domus est alba vel omnes homines sunt albi »: tamen cum dicitur « omnis numerus est scitus a Deo vel infiniti numeri sunt sciti a Deo », praedicatum (c) non potest proprie et vere atttribui subiecto nisi distributive accepto. Et hinc est quod in illo loco ab aequipollenti quo infertur quod si nullus distat in infinitum ab altero, omnes distant finite utrobique debent sumi signa et subiecta distributive; si enim in una sumerentur distributive et in (d) altera collective, non essent aequipollentes. Et ita non sequitur quod licet Deus videat quod omnes numeri distant a quolibet finite, quod propter hoc videat quod omnes in simul accepti sint finiti.

Ad secundum dicendum quod Deum scire (e) aliqua potest sumi confuse vel determinate; confuse sumi voco, quando scire dicitur ferri super aliqua obiecta confuse sumpta et non per modum determinati obiecti vel scibilis; et hoc modo scit Deus infinita simul sumpta, quia tunc hoc verbum « scire » non significat unam propriam rationem scientiae, sed sub uno sensu confuso significat simul infinitas rationes propriae scientiae (f) cuiuslibet finiti numeri. Si vero sumatur determinate, tunc le « infinita » habet magis rationem signi distributivi quam alicuius termini habentis unam rationem determinatam scibilis; unde sensus est quod Deus scit infinita finita hoc modo quod quodlibet illorum finitorum scit per se et singillatim per unam propriam (g) ideam eius. Et per consimilem modum potest distingui propositio qua dicitur quod Deus potest facere omne scibile quod ipse scit; quia le « facere » potest sumi sub sensu confuso aggregante infinitas factiones

(a) Al. m. (b) In ras. (c) Ex *preditum*. (d) Add. interl.
(e) Corr. al. m.; *aliqua* in ras. (f) Al. m. mg. (g) Al. m. mg.

determinatas aut potest sumi sub sensu determinato pro una factione determinata; voco autem factionem determinatam omnem factionem quae in uno nunc [a] potest simul et semel compleri; et sic similiter voco scibile determinatum quod potest totum in simul in actu exire, quia ad minus habebit rationem unius totius aggregati et coordinati; et hoc modo totus iste mundus fuit unum scibile Dei. Quando igitur in una propositione le « facere » et le « scire » sumitur [b] uniformiter, tunc propositio est vera; quando vero unum sumitur in sensu confuso et aliud in sensu determinato, tunc est falsa, quia Deus non potest facere una factione determinata omnia infinita quae scit. Sciendum etiam quod quando dicitur quod in nullo scito divino implicatur contradictio: verum est, si sumatur secundum illum modum et secundum [c] illam rationem secundum quam est scitum a Deo; si autem diceretur quod Deus scit infinita per unam determinatam scientiam, ita quod in illa [d] haberent rationem unius determinati scibilis aut si dicatur quod scit ea quasi unum totum ex suis partibus in simul aggregatum et unitum: sic semper includitur contradictio; unde Deus non scit infinita hoc modo, et ideo non mirum, si non potest ea facere sub simili modo.

Ad tertium [e] patet ex iis quae dicta sunt. Quando enim dicitur quod Deus potest facere omne quod est sibi possibile: le « facere » potest sumi sub sensu confuso vel sub sensu determinato et eodem modo le « possibile » et le « omne » potest sumi distributive vel collective. Si igitur le « omne » sumatur distributive et utrumque aliorum [f] sumatur sub sensu determinato, propositio est vera; est enim sensus quod Deus potest una determinata factione facere quodlibet determinatum possibile, determinatum autem possibile non est aliud quam determinatum [g] scibile. Si vero utrumque sumatur confuse, tunc etiam vera est; est enim sensus quod Deus infinitis factionibus determinatis [h] potest infinita possibilia finita. Si autem non sumatur utrumque uniformiter, tunc praedicta propositio semper est falsa et tunc in eius negatione non implicatur contradictio, quia tunc non negatur idem eodem modo acceptum de eodem, eodem [i] modo sumpto. Quando autem uterque terminorum sumitur uniformiter, tunc negatio eius semper includit contradictoria.

---

[a] Al. m. mg., del. *nec.* [b] B[7] *sumuntur.* [c] Ex *secunda.*
[d] Ita B[7], V *illa* pro *in illa.* [e] B[7] add. *iam.* [f] Ex *aliquorum.*
[g] Add. mg. *n. e. a. q. d.* [h] Et *determinantis.* [i] Al. m. mg.

Ad quartum dicendum quod eodem modo quo Deus potest facere infinita est potens super infinita, et e contrario. Et ideo, quia non potest una factione facere infinita seu quia non potest facere infinita [a] simul esse, ideo non est potens hoc modo super infinita; pluribus tamen factionibus seu pluribus modis faciendi determinatis est potens super infinita distributive et non aliter sumpta.

Ad quintum dicendum quod Deum posse aliquid potest sumi dupliciter: aut scilicet pro potentia per quam aliquid potest, ut sit sensus: Deus potest aliquid, id est, Deus habet potentiam per quam potest aliquid; et hoc modo quicquid Deus potest successive potest simul, id est, totam illam potentiam per quam potest aliquid facere successive vel simul totam habet simul et semper. Secundo modo potest sumi li « posse » non solum pro potentia absolute accepta, sed etiam pro potentia cum modo et ordine sufficienti ad talem effectum producendum; et tunc oportet adhuc distinguere hoc signum « quicquid », quia aut potest teneri distributive, ut sit sensus quod [b] quodcunque scibile finitum et determinatum potest Deus facere successive, facere [c] potest simul; et sic est vera in illis in quibus esse unius compatitur se cum esse alterius; aut potest teneri collective, ut sit sensus quod omnia scibilia numero infinita quae Deus potest in infinitum per infinitam successionem [d] facere, potest et simul facere; et sic est falsa, et tunc praedicta propositio maior petit propositum quod debet probare. Si autem quaeritur [e] quare non possunt omnia fieri simul, ex quo existentia unius non impedit existentiam aliorum [f] nec e contrario, patet ex omnibus praedictis: quia in quocunque modo determinato et finito quantumcunque multo vel magno possunt poni simul aliqua de illis, quaecunque illa sint; modo autem indeterminato, qualis est modus infinitus, non possunt poni, quia hoc implicat omnes contradictiones superius ostensas.

Ad sextum dicendum quod omnem conditionem Deo inferiorem, quae dicit rationem entis absque omni contradictione, Deus potest creare. Talis autem conditio non est infinitas actualis; quia pro quanto dicit compositionem partium determinatarum [g], istarum scilicet et illarum, pro tanto dicit aliquid; pro quanto vero dicit compositionem indeter-

---

[a] B[7] om. *seu quia... infinita.* [b] Al. m. mg. [c] B[7] om. *s. f.*
[d] Al. m. mg., del. *successive.* [e] Ex *quaeratur.* [f] B[7] *alterius.*
[g] B[7] *indeterminatarum.*

minatam et compositionem partium indeterminatarum, pro tanto dicit simul ens et non ens. Non est etiam [a] verum quod huiusmodi infinitas sit passio quantitatis nisi imaginaria et phantastica. Si tamen infinitas [b] sumatur pro « in [c] infinitum », tunc bene potest dici passio quantitatis; quia quantitas, quantum est de natura sua, semper potest crescere et extendi in infinitum.

Et per hoc patet ad septimum: non enim mathematica docet cogitare infinitas magnitudines [d] vel numeros, nisi pro quanto trahit regulas de eis, quantumcunque [e] extendantur vel excrescant; quicquid enim communiter et per se dicitur [f] de triangulo, est verum de omni [g] triangulo quantumcunque magno vel modico.

Ad octavum dicendum quod infinitas actualis repugnat simul factioni et quidditati [h] creaturae et actuali existentiae eius, pro eo quod nullum istorum potest esse actu aut intelligi nisi sub determinato modo; factio enim oportet quod habeat determinatum obiectum seu effectum, alias non esset factio. — Quod autem dicitur quod factio non contradicit nisi rei non factae, infinitum autem hic ponitur esse factum: dicendum quod simul ponitur esse factum et non factum; non factum quidem ponitur, tum quia ponitur [i] esse infinitum, tum quia nulla determinatione ponitur esse factum, sicut si lapis poneretur esse homo cum hoc quod non esset aliquis determinatus homo. — Quod etiam dicitur quod multae sunt species creatae quae nullam sibi certam [k] quantitatem determinant — unde si poneretur infinita linea vel albedo, non propter hoc esset minus linea vel albedo, sed potius per hoc eorum quidditas esset maior extensive - - : dicendum quod determinare sibi certam quantitatem potest intelligi dupliciter, aut scilicet determinando sibi hanc singularem quantitatem, utpote quantitatem unius palmi, et sic verum est quod multa sunt quae non determinant sibi talem; aut potest hoc [l] intelligi quod pro tanto determinent sibi quantitatem, quia nunquam possunt esse actu nisi sub aliqua quantitate finita, quantacunque sit illa, et sic illa est falsa. Nec est verum quod dicebatur quod linea infinita habeat plus de natura lineae quam finita, quia linea infinita simul

---

[a] Al. m. mg. [b] B[7] *infinitum.* [c] Al. m. mg. [d] Ita B[7], V *imaginationes.* [e] B[7] add. *in infinitum.* [f] B[7] *ostenditur.* [g] Al. m. mg. [h] B[7] *quantitati.* [i] Al. m. mg. *t. q. p.* [k] B[7] om. [l] Al. m. ex *quod.*

ponit et negat naturam et existentiam lineae. — Quod autem tertio dicitur de infinitate Dei non est simile, quia illa infinitas non surgit [a] ex compositione seu aggregatione partium nec est realiter aliud ab ipsa simplicitate et unitate divinae essentiae; talis autem infinitas non repugnat, immo summe consonat actuali essentiae, quamvis nec ista sit communicabilis creaturae, sicut in quaestione an in quolibet angelo sit tota sua species plenius ostendetur.

Ad nonum dicendum quod in potentiis nulla est infinitas [b] actualis; unde tot et tanti habitus et actus possunt eis inesse quod simul non possent plures vel maiores continere, unde possunt actu repleri per aliqua finita. — Quod autem dicitur quod intellectus potest duplum et mille duplum omnis numeri quantumcunque magni apprehendere: dicendum — sicut et ibidem dicebatur — quod distincte et explicite non potest hoc facere, sed solum indistincte [c] et implicite; distincte autem voco quod intellectus feratur super unamquamque partium numeri per se [d]; indistincte autem voco quod sub apprehensione alicuius nominis significantis aliquem unum totalem [e] numerum apprehendat ipsum totum numerum. Hoc autem modo intellectus potest semper in infinitum numerum maiorem apprehendere, quoniam in hoc nulla implicatur infinitas capacitatis suae, quia in apprehendendo maiorem numerum non fertur super ipsum nisi sicut super unum [f] alium terminum et sicut super unam aliam speciem numeri; non exigitur autem maior capacitas ad apprehendendum maiorem numerum per hunc modum quam exigatur ad apprehendendum minorem numerum. Et idem est de apprehensione figurarum in quibus sequens semper habet plus unum angulum quam praecedens: si [g] enim figurae huiusmodi apprehenderentur per dilatationem aspectus super omnes partes earum, tunc tanta posset esse figura quod non posset uno aspectu apprehendi [h]; si autem per unum aliquem terminum [i] et per unam aliquam [k] rationem implicite solum comprehendentem omnes partes eius apprehendatur, tunc poterit tota simul apprehendi, quoniam ad sic apprehendendum maiorem figuram non exigitur maior dilatatio aspectus quam ad apprehendendum minorem. Huius autem exemplum expresse videmus in verbo oris nostri: sicut enim possum intelligere in infinitum

[a] B⁷ *consurgit.* [b] Ex *finitas.* [c] Ex *distincte.* [d] Ita B⁷, V om. *distincte autem... se.* [e] B⁷ om. [f] B⁷ om. [g] Ita B⁷, V *sed.* [h] B⁷ *comprehendi.* [i] B⁷ *numerum.* [k] Al. m. in ras.

semper maiorem ac maiorem numerum, sic possum et verbo significare; et tamen ad hoc non exigitur actualis infinitas linguae vel vocis, quia ita brevi nomine possum nominare magnum numerum sicut parvum.

Quod igitur contra hoc affertur, quod nullum totum potest videri totum, si aliqua partium eius lateat [a]: dicendum quod nullum totum potest videri distincte, quin omnes partes eius distincte videantur, nec aliquod totum potest videri [b] indistincte et implicite, quin omnes partes eius consimiliter [c] videantur, nisi forte ipsum totum ex hoc dicatur distincte apprehendi, quia apprehenditur ut distinctum ab aliis [d] totis, quamvis partes suae indistincte apprehendantur; et hoc modo possum videre unum vel duos exercitus vel duos acervos lapidum [e] de longe, non distinguendo aliquam partium eius nisi confuse et implicite. — Quod etiam secundo affertur quod nullus scit speciem numeri, nisi sciat quot unitates sint in eo — unde [f] species distinguuntur per maiorem excessum unitatis [g] —: dicendum quod scire quot unitates sint in numero et scire unam speciem numeri excedere alteram in tot unitatibus potest quis distincte vel indistincte; distincte quidem scit hoc, quando unamquamque unitatem secundum se distincte apprehendit; indistincte vero [h] scit hoc, quando per aliquas [i] rationes et per aliquos terminos multitudinem et excessum earum apprehendit; unde per hunc terminum « mille » et per rationem quam significat scio quod in decuplo excedit millenarius centenarium absque hoc quod intellectus meus feratur singillatim et distincte super omnes unitates eorum. Per consimilem autem modum potest responderi ad illud quod de voluntate et memoria tangebatur. — Quod autem tertio de memoria angelorum affertur [k]: dicendum quod — sicut loco suo plenius habet tangi — ponere quod nulla species retenta a memoria angeli deleatur est ponere quod capacitas suae memoriae sit actu infinita [l]; et est praeter hoc contra naturam generationis: quae enim de novo generantur a virtute creata [m] in aliquo subiecto, nihil inconveniens, si possunt et corrumpi; constat autem quod multae species et multarum specierum novae compositiones generantur in memoria angeli. Cum habitus

---

[a] Al. m. ex *liteat*. [b] Al. m. mg. *distincte... videri*. [c] B^{7} *totaliter*. [d] Al. m. ex *alii*. [e] B^{7} *unum lapidem* pro *d. a. l.* [f] B^{7} add. *et*. [g] B^{7} *unitatum*. [h] Ita B^{7}, V *quidem*. [i] Al. m. mg., del. *alias*. [k] B^{7} *fertur*. [l] Al. m. ex *finita*. [m] Ex *create*.

etiam voluntatis recti fuerint deleti de voluntate daemonum et multae species deleantur de acie intelligentiae eorum [a]: patet quod incorruptibilitas [b] vel intellectualitas naturae angelicae non obstat quin aliquae species memoriae eius possint corrumpi.

Ad decimum dicendum quod potentia continui [c] non est actu infinita. Omnes autem rationes quae ad hoc probandum subiunguntur, si verae essent, non solum probarent potentiam continui esse actu infinitam, sed etiam quod quodlibet continuum quantumcunque parvum esset infinitae quantitatis et ita quod esset maius caelo et omni quanto finito.

Quod ergo primo ad hoc affertur quod tot habet divisibilitates simul in actu quot potest divisiones successive habere et quod omnes divisibilitates distant secundum situm, sicut et ipsae divisiones: dicendum quod una divisibilitas continui non est distincta ab alia nisi eo modo quo unus punctus seu situs eius punctalis est distinctus ab alio puncto seu ab alio situ punctali; cum enim divisio non fiat nisi in puncto, non sunt plures divisibilitates quam sint puncta signabilia. Aut igitur nomine [d] divisibilitatis intendimus significare potentiam materiae et partium eius per quam est susceptiva divisionis aut punctales uniones partium ex quarum destructione divisio generatur quasi in eodem situ. Si primo modo, tunc non est danda alia multiplicitas vel infinitas in potentia illa quam in partibus materiae; unde sicut partes materiae nullam habent actualem distinctionem in homogeneis, immo faciunt unum ens continuum: sic nec potentiae earum sunt actu distinctae, sed potius faciunt unam potentiam continuam; et consimiliter situs vel positiones earum non sunt actu distincti, sed potius est ibi unus situs continuus. Si vero sumatur secundo modo, scilicet pro punctali unione partium: tunc dicendum quod sicut partes quae sunt extrema unionum suarum non sunt [e] actu distinctae, sic nec ipsae uniones; omnis enim relatio cuius extrema non habent actu rationem extremorum est solum in potentia. Et si dicatur quod partes tunc non essent actu unitae, sed solum in potentia: dicendum quod omnes partes continui sunt actu unitae, sed non unionibus actualiter inter se distinctis, sed omnes in simul sumptae et sub indistinctione sunt una totalis unio; quicunque autem imaginatur ibi plures uniones punctales

---

[a] Al. m. ex *earum*. [b] Al. m. mg. *q. i.* [c] Al. m. corr.; sequitur ras. et lac. [d] Ex *nomne*. [e] Ex *sumit*.

seu plures situs, semper imaginatur prius plures partes, illas scilicet quas accipit ut (a) extrema unionum illarum, et ideo primo distinguit eas in sua imaginatione.

Ad id etiam quod secundo affertur dicendum quod continuum posse suscipere simul divisiones numero plures omni numero finito (b) quarumcunque divisionum potest intelligi dupliciter, quia le « omni » potest teneri distributive (c), ut sit sensus quod quocunque numero divisionum finito et determinate sumpto potest dari simul alius numerus divisionum maior illo; et sic maior est vera, saltem respectu potentiae Dei, minor autem falsa. Aut potest teneri collective et quasi confuse, ut sit sensus quod omnibus numeris divisionum qui coniunctim vel disiunctim dari possunt potest dari maior; et sic est falsa maior, sed minor vera. Aut potest clarius dici — licet in idem redeat — quod omni numero finito qui simul et coniunctim dari potest actu potest adhuc dari maior, non autem omni numero finito qui disiunctive dari potest; voco autem disiunctive dari, quando uno numero actu dato alter non potest actu dari nisi specie prioris destructa et e contrario.

Ad id quod tertio obicitur (d) dicendum quod quia una divisio non repugnat alteri, ideo non potest (e) dari simul tot quin plures solum in determinato numero dentur; sub numero autem infinito vel indeterminato dari non possunt. Et hoc non provenit ex mutua divisionum repugnantia, sed potius ex contradictionibus quas implicat (f) in se actualis infinitas.

Ad id quod quarto obicitur (g) dicendum quod veritas essentiae omnium partium in quas potest dividi quantum est in suo toto, sed non est ibi sub actuali distinctione, sed potius sub totali unitate totius continui praeterquam in heterogeneis (h): partes enim heterogeneae habent divisibilitatem specificam, sed non possunt ibi esse diversae species partium infinitae actu. Rursus est sciendum quod modus essendi quem partes per divisionem perdunt erat modus unitatis suae continuitatis; et ita non erat modus distinctus, sed potius indistinctus. Ex praedicto igitur argumento non sequitur quod ibi sint partes aut essentiae partium actu infinitae, sed solum quod ibi est veritas et essentia partium in infinitum divi-

---

(a) Al. m. mg. (b) Ex *infinito*. (c) Ex *distributione*. (d) Al. m. mg. (e) Ex *postest*. (f) Ex *ineplicat*. (g) Al. m. mg. (h) Al. m.; sequitur lac.

sibilium; unde non habet actuali multiplicitate omnia illa in quae potest dividi et sic multo minus nec sub actuali infinitate, sed potius habet ea sub actuali unitate et sub unica (a) essentia et veritate. — Si dicatur quod essentia unius partis non est essentia alterius, ergo est alia et sic per consequens essentia unius est (b) distincta ab essentia alterius: dicendum quod essentia partis, prout est partialis seu prout est eius propria et praecisa, non potest accipi in toto homogeneo nisi cum quadam discretione intellectuali seu imaginaria; et prout est sic accepta, potest dici quod essentia unius est alia ab essentia alterius, secundum rem tamen non est ibi nisi una essentia, talem tamen unitatem habens quod sola divisione suae continuitatis potest dividi in plura. Potest etiam dici quod licet propria essentia unius partis non sit propria essentia alterius, tamen essentia unius non est (c) alia ab essentia alterius nisi solum in potentia. Nec sequitur quod si essentia unius non est essentia alterius, quod propter hoc sit alia; quia quando dicimus quod essentia unius non est essentia alterius, non intendimus aliud significare nisi quod non sunt omnino una simplex essentia, nullo modo divisibilis in partes (d); quando vero dicimus quod non sunt aliae inter se invicem, intendimus solum significare quod non sunt actualiter distinctae. — Si iterum instetur quod communiter solet dici quod in continuo partes indeterminatae non sunt nisi in potentia, partes vero determinatae sunt in actu — ex quo potest surgere quaestio an partes determinatae sint ibi solum sub numero finito, ita quod sit ibi dare partes determinatas tot et non plures, aut sint ibi sub numero infinito —: dicendum quod in homogeneis non est dare aliquam partem actu distinctam; unde partes determinatae non sunt ibi actu hoc modo quod sint actu distinctae; et ideo quando quaeritur an sint ibi sub numero finito vel infinito (e), responderi debet quod sub nullo numero sunt ibi ac per consequens nec sub numero finito nec sub numero infinito; nisi autem ita respondeatur, non possunt vitari inconvenientia et contradictiones. Hoc autem quod dictum est habet locum, si le « determinatae » sumatur in universali, non specificando in particulari quanta est illa determinatio; quia si specificetur utpote dicendo « tot palmi vel tot cubiti sunt in hoc toto continuo », sic ad quaestionem qua quaeritur an partes determinatae

---

(a) Al. m. ex *uica*. (b) Al. m. mg., del. *aliquid*. (c) Al. m. mg. (d) Al. m. ex *partis*. (e) Al. m. mg. *v. i.*

sint [a] ibi sub numero finito semper debet responderi quod sic; et quia Aristoteles [1] et communiter loquentes semper intendunt hoc modo accipere partes determinatas, ideo simpliciter loquendo potius debet responderi isto ultimo [b] modo quam primo.

Ad id quod quinto obicitur [c] dicendum quod materia per suam potentiam finitam est potens recipere successive formas alias et alias in infinitum, sicut et agens per potentiam activam finitam potest generare diversas similitudines in infinitum; quia potentia per quam recipit unam non est semper per essentiam diversa a potentia per quam recipit aliam nec respectus quos habet, in quantum est possibilis ad infinitas, sunt semper realiter diversi nec dicunt aliud quam ipsam possibilitatem; et ideo non oportet quod ex hoc sequatur actualis infinitas. — Si vero obiciatur quod saltem illa potentia de qua simul possunt educi non tot quin plura videtur esse actu infinita, talis autem est potentia continui de qua per divisionem possunt fieri simul semper plura et plura entia: dicendum quod illa potentia de qua et in qua possunt simul educi non tot quin plura ipsa semper remanente una est actu infinita, non autem illa de qua non potest hoc fieri nisi per eius destructionem et divisivam minorationem; et hoc modo solum potest fieri in continuo; unde et Commentator [2] dicit quod potentia ad divisionem potius est [d] potentia ad sui destructionem quam ad perfectionem.

Ad undecimum dicendum quod linea non potest fieri absque terminis sine contradictione praeter lineam circularem; et posito quod Deus hoc facere posset, non propter hoc esset actu infinita, hoc scilicet modo quod haberet partes actu universales et in infinitum protensas. — Quod autem dicitur quod essentiam puncti potest Deus separare ab essentia partium lineae, cum sint realiter diversae: ad hoc quidam dicunt quod punctus penitus nihil reale dicit nisi solum privationem partium ultimarum; alii vero dicunt quod etsi dicat aliquid positivum, non tamen dicit aliquid quasi extrinsecum ab essentia lineae et partium eius aut quasi extrinsecum si-

---

[a] Al. m. mg., del. *sunt.* [b] Al. m. mg. [c] Al. m. mg. [d] Al. m. mg. *potentia... est.*

---

[1] *Phys.*, VI, 1, 231a 21 sqq.; VI, 2, 232a 23 sqq.; V, 3, 227a 10 sqq.
[2] Averroes; locum non inveni.

tuatum, sed solum est quaedam formalis et finalis et essentialis proprietas ipsarum; et ideo non est separabilis a linea per divisionem seu praecisionem, licet sit [a] destructibilis per lineae totalem [b] continuationem, sicut fit, quando linea recta vertitur in lineam circularem.

Ad duodecimum dicendum quod nec in aevo nec in motu est dare infinita actu.

Ad primam igitur probationem in contrarium dicendum quod sicut mobile est semper in loco sibi aequali, quamdiu durat motus, — nunquam enim potest occupare locum maiorem aut [c] minorem se, et tamen non est dare aliquam partem motus vel temporis in qua mobile non fuerit in locis in infinita loca divisibilibus —: sic et in aevo non est dare aliquam partem aevi in qua totum esse aeviternorum non fuerit [d] permanens permanentia in infinitum divisibili, et tamen ipsum esse totum est simul semper. — Quod autem dicitur quod hoc non possit fieri, nisi semper sit in aliquo nunc: dicendum quod esse eorum potest accipi dupliciter, primo modo, prout communiter se habet ad praeteritum, praesens et futurum, ita quod non includit determinate in sua ratione hoc vel illud tempus nec hoc vel illud nunc. Et hoc modo semper est totum simul; sed haec simultas non est determinata necessario ad unum nunc, immo [e] commetitur se seu potius coexistit toti successioni aevi et pluribus nunc, eo modo quo dicimus quod idem esse angeli est semper totum in tota duratione sua et [f] in qualibet parte eius. Et hoc modo sumitur ipsum esse quasi nominaliter, pro eo quod non significat determinate hoc vel illud tempus. Secundo modo potest accipi cum determinata [g] consignificatione certi temporis et certae durationis, et hoc modo consuevimus ipsum magis significare per hoc verbum « existere »; hoc autem facimus, quando dicimus quod angelus est vel existit in hoc nunc et fuit vel exstitit heri, et tunc significamus ipsum esse ut est per continuam durationem existens seu ipsam durationem eius concretive sumptam. Et hoc modo non est totum semper simul quantum ad rem durationis quam significat, nisi solum quando est in initio vel termino suae durationis; quia tunc solum existit actu in nunc. — Quod autem dicitur quod semper totum simul fit vel conservatur a Deo: dicendum quod ista circumlocutio, scilicet

---

[a] Ita B^6, V *scit.* [b] Al. m. ex *talem.* [c] Al. m. ex *au.*
[d] Ita B^6, V *fiunt.* [e] Al. m. mg., del. *nunc.* [f] Add. interl. al. m.
[g] Ex *determinatea.*

« totum simul », potest determinare hoc verbum « fit » ratione ipsius fieri vel ratione ipsius esse nominaliter accepti. Primo modo non est vera, quia tunc esset sensus quod suum fieri vel conservari totum esset simul, et ita non esset successivum. Secundo modo vera est; est enim sensus quod una pars ipsius esse vel suae essentiae non sit in una parte durationis et alia in alia, sed potius tota in qualibet.

Ad secundam dicendum quod esse [a] aeviterni fuit actu in qualibet parte suae durationis, sed non fuit ibi per viam discretionis, sed potius per modum continuationis; ipsa enim duratio est quaedam continua existentia eius; et ideo non oportet quod omnes partes numeraverit actu, quia numeratio actualem distinctionem et discretionem includit. — Quod autem dicitur quod in nulla parte divisibili potest esse simul: dicendum quod le « esse simul » potest hic accipi tripliciter, aut ut scilicet per [b] hoc significemus quod ipsum esse, ut est nominaliter sumptum, non haberet totam veritatem suae quidditatis simul; aut ut [c] significemus quod quamdiu est in parte divisibili, non est in aliqua [d] mensura simultanea, qualis solum est ipsum nunc; aut ut significemus simultatem quae competere potest parti durationis divisibili, quae licet non sit simul in nunc, est tamen quoad hoc simul in se ipsa, hoc est dicere quod ipsa non est ante se ipsam et post se ipsam, quamvis infra ipsam sit una pars eius prior et alia posterior. Primo ergo modo et tertio potest dici quod esse est totum simul in parte divisibili, non autem secundo modo.

Ad tertiam dicendum quod esse, in quantum est nominaliter acceptum, absque scilicet consignificatione praeteriti vel praesentis vel futuri, non se habet aliter post suum exitum quam in initio [e] suo; et hoc modo non sequitur conclusio. Respectu vero suae durationis se habet aliter post quam se haberet in suo initio; quia post existit per quandam continuationem protensam, in ipso autem initio non potest dari talis continuatio vel protensio.

Ad quartam quae est de motu dicendum quod mobile semper esse in loco [f], dum movetur, potest intelligi dupliciter: aut quia semper habet ibi existentiam et localitatem actu distinctam et discretam ab omni alia localitate aut quia habet unam continuam localitatem per continuam succes-

---

[a] Ex *esset.* [b] Al. m. mg. [c] Al. m. mg. [d] Al. m. ex *alia.* [e] Ex *nitio.* [f] Al. m. ex *lo; dum* al. m. mg.

sionem acquisitam quae potest dividi in plures localitates et hoc in [a] infinitum. Primo modo non est in loco nisi solum in initio motus et in fine eius; secundo modo semper, dummodo [b] est in loco. — Quod autem dicitur quod nunquam est in loco nisi sibi adaequato, ita quod termini eius sunt actu terminati infra terminos loci sui: dicendum quod licet sit verum quod nunquam est in loco nisi sibi adaequato [c] — nunquam enim habet locum maiorem se vel minorem —, non tamen propter hoc affirmative potest inferri quod semper sit in loco sibi adaequato, nisi praesupponatur quod sit in uno loco et non in pluribus locis. Mobile autem in toto motu et in qualibet parte temporis et motus fuit in pluribus locis et nunquam in uno solo; non quod fuerit simul in eis simultate quae spectat ad instans indivisibile, sed solum simultate quae potest competere uni parti temporis divisibilis. Unde le « est » semper hic aequivocatur, quia potest consignificare praesens instantaneum, ut sit sensus: semper est in loco sibi aequali, id est, semper est dare aliquod instans in quo semper est in loco sibi aequali; et hoc modo est falsa, quia non semper est dare instans in actu, nisi forte secundum illos qui ponunt illud simul concurrere [d] cum tempore; quamquam tunc non ponant illud nisi in fluxu successionis secundum quem modum non ponitur mensurare instantanea sed potius successiva. Potest [e] etiam le « est » consignificare praesens tale quale potest competere parti temporis divisibili; et tunc non debet [f] dici quod semper est in loco sibi aequali, dum movetur, sed potius quod semper est in pluribus locis vel in quadam localitate divisibili in plura loca, ne realem distinctionem locorum vel localitatum ibi ponere videamur; non autem per hoc intendimus dicere quod totam illam localitatem divisibilem in plura loca habeat simul ipsum mobile nisi loquendo de simultate temporis secundum quam tempus dicitur simul cum motu et e contrario, non autem loquendo de simultate instantanea.

Ad quintam dicendum quod sicut in continuo permanenti non distinguitur actu pars a parte, sic nec in continuo successivo; et ideo prius et posterius non sunt ibi actu tanquam res inter se distinctae. Rursus advertendum quod relationes prioritatis et posterioritatis ad hoc quod sint actu exigunt extrema actu; et cum istae relationes sint oppositae

---

[a] Add. interl. al. m. [b] *Dum* al. m. mg., del. *de.* [c] Corr. [d] Al. m. mg. [e] Al. m. mg. [f] Al. m. mg.

ac per consequens non possint esse actu distinctae, quin in eorum extremis sit aliqua distinctio actualis: hinc est quod [a] in continuo successivo non est proprie dare actu prius et posterius, nisi partes eius accipiantur prius ut distinctae secundum rem vel secundum intellectum. — Quod autem dicitur quod quando unum eorum est, alterum eorum non est, et sic sequitur quod distinguantur sicut ens et non ens: dicendum quod illa pars quae sumitur ut ens iam sumitur ut distincta ab illa quae accipitur ut nondum ens. Sciendum est etiam quod aliter esse dicitur de successione et partibus eius, aliter de instantaneis: illa enim non dicuntur [b] esse quasi partes eius sicut in aliquo uno nunc, sed solum quia sunt in successione. Licet igitur partes successionis non possint secundum se totas esse in aliquo uno nunc, immo nec secundum aliquam partem suam, possunt tamen secundum se totas esse in aliqua una successione; et respectu illius totalis successionis non debet dici quod quando una pars est, alia non est; sed solum debet hoc dici vel respectu instantis vel respectu partialis successionis quae competit [c] praecise soli alteri illarum partium. — Et per hoc patet ad duodecimum.

Ad tertium decimum principale dicendum quod quando dicitur quod nullum verbum est Deo impossibile, hoc est intelligendum de verbo rationali et intelligibili; verbum enim contradictionem implicans potius debet dici non verbum, pro quanto significat [d] aliquid repugnans entitati et factioni.

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. mg., del. *dicitur*. [c] Ex *comptit*. [d] Al. m. ex *signat*.

QUAESTIO III. APP.

Quoniam autem in praemissis responsionibus argumentorum praedictae quaestionis multa est difficultas seu potius intricatio, unde propter praedicta argumenta et consimilia quidam antiqui posuerunt quod continuum sit compositum ex indivisibilibus tam in permanentibus quam successivis: ideo ad pleniorem evidentiam praedictorum iuxta hoc quaeratur an hoc sit ita vel non.

Et quod ita sit aut esse possit (a) videtur.

1. Quando enim una res permanens fit immediate post alteram aut quando immediate succedit eidem, sicut corpus Christi immediate succedit pani de quo fit: tunc videtur instans immediate esse post instans; sed sicut hoc potest fieri in diversis rebus, ita, ut videtur, Deus hoc potest facere in eodem toto; ergo et cetera.

2. Item, quando Deus creat angelum in (b) instanti, statim immediate post creationem illius potest facere alterum, cum ex creatione primi in nullo arctetur (c) potentia Dei ad creationem secundi; sed secundus non potest creari immediate, nisi instans immediate possit sequi post aliud instans.

3. Item, Deus post primum instans creationis angeli potest annihilare ipsum, non enim cogitur necessario conservare ipsum; sed simul dum annihilat eum, potest alium creare, et huius creatio est in instanti sicut et creatio primi; ergo et cetera.

4. Item, dato quod instans fiat post (d) instans, nullum inconveniens sequitur; et tamen cum hoc maior est duratio composita ex iis quam sit duratio alterius solius; unde et res quae in duobus instantibus sibi succedentibus fuisset plus durasset quam si fuisset in uno solo.

(a) Sequitur ras. et lac. (b) Add. interl. al. m. (c) Ex *artetur*. (d) Sequitur ras. et lac.

5. Item, esto quod quatuor puncta sibi invicem sint unita, ita quod nullum eorum sit infra alterum, sed potius sint extra se invicem immediate situata: tunc utique quandam protensionem facient. — Si dicatur quod hoc non est possibile, quia secundum Aristotelem, VI *Physicorum* (1), tangentia se sunt quorum ultima sunt simul; si ergo punctus tangit punctum, ergo oportet quod ultima eorum sint simul; sed puncta non habent alia ultima quam se ipsa; ergo oportet quod totaliter sint simul, ita quod non sint extra se invicem situata aut quod sint divisibilia in partes diversas: hoc non videtur cogere, quia poterit dici quod illa non tangunt se proprie, sed solum immediate se consequuntur. Aut dicetur quod illud verbum Aristotelis non est verum, quia sufficit quod ad hoc quod aliqua tangant se quod immediato situ se consequantur absque hoc quod ultima eorum sint simul; nec enim Aristoteles invenitur probasse illam propositionem seu definitionem.

6. Item, ratio Aristotelis *De motu locali* (2) per quam hoc probare nititur non videtur valere; videtur enim quod corpus punctale poterit moveri per huiusmodi puncta, ita tamen quod motus ille erit compositus ex solis mutationibus, sicut et magnitudo super quam movetur est ex solis punctis.

7. Item, constat quod quolibet mane sol incipit esse in oriente et initio nostri horizontis (a), constat etiam quod ibi incipit esse in instanti; ergo illud instans est tunc actu in tempore mensurante motum solis, quod utique est continuum sicut et eius motus; sed qua ratione est (b) actu, eadem ratione et omnia praecedentia et sequentia in quibus sol coepit et incipiet alicubi esse; sed hoc esse non potest, nisi ex ipsis instantibus sibi per continuam successionem continuatis componatur; ergo et cetera.

8. Item, cuiuscunque compositi est dare partes minimas illud est ex partibus indivisibilibus, alias enim non essent minimae; sed carnis et consimilium est dare partem minimam secundum Aristotelem, I *Physicorum* (3); ergo et cetera.

(a) Al. m. corr. (b) Add. interl. al. m.

---

(1) *Phys.*, VI, 1, 231a 22 sq. (2) *Phys.*, VI, 1, 231b 18 sqq.; VI 3, 234a 24 sqq.; VI 4, 234b 10 sqq. (3) *Phys.*, I, 4, 187b 13 sqq.

Respondeo

Quod non est possibile aliquod continuum componi ex solis indivisibilibus nec posse resolvi in indivisibilia. Et hoc primo probo in permanentibus deinde in successivis.

Primo quidem in permanentibus. Dentur enim tria puncta quorum unum sit in medio duorum: tunc aut illa duo extrema sunt ita sibi praesentia sicut illi medio aut non. Si sic: ergo ipsa sunt in eodem situ cum illo puncto medio ac per consequens sunt simul et ita non faciunt aliquam extensionem. Si vero non sunt ita sibi propinqua sicut illi medio: ergo oportet quod illud punctum medium secundum aliud sui sit propinquum alteri illorum et secundum aliud sui sit propinquum alteri. Si enim secundum illud idem secundum quod est praesens uni secundum hoc ipsum est praesens alteri: tunc illa extrema praesentialitas puncti medii per quam ipsum est immediate praesens puncto tertio attingetur ita plene et ita immediate a puncto primo sicut attingitur a puncto tertio aut sicut ab ipso primo puncto attingitur praesentialitas puncti medii per quam est immediate praesens puncto primo; ex quo sequitur quod punctus primus sit ita immediate praesens puncto tertio sicut est puncto medio. — Item, inter quaelibet talia puncta poterit cadere divisio media et semper inter ea seu in medio eorum erit ipsorum unio seu continuatio; sed divisio haec vel unio non potest minorem situm occupare quam punctalem; ergo adhuc inter ea erit aliquis punctus medius et sic in infinitum. — Item, datis tribus punctis sibi immediate subiunctis: tunc intermedia unio primi ad secundum distat plus ab intermedia unione secundi ad tertium quam ab ipso puncto secundo, cum secundus punctus sit in medio duarum praedictarum unionum, inter autem punctum secundum et quamcunque ipsarum nullum sit medium; tunc etiam prima unio plus distabit a tertio puncto quam a secunda unione, quia inter primam unionem et tertium punctum erunt duo media, scilicet secundus punctus et secunda unio, inter ipsas autem uniones non erit nisi unum medium, scilicet secundus punctus. Ex quo sequitur quod ibi sit maior quantitas seu distantia quam solum trium situum punctalium. — Item, demonstratum est a geometris quod diameter quadrati non est aequalis costae vel lateri eius nec etiam aliqua una

communi mensura commensurabilis; sed si latera quadrati aequilateri sint ex punctis, tunc diameter est aequalis costae eius: ut verbi gratia sit quodlibet laterum eius ex quatuor punctis, tunc illud quadratum non habebit infra sua latera ex opposito se respicientia nisi duas lineas ex quatuor punctis in medio laterum inchoatas et terminatas; ergo diameter non habebit nisi quatuor puncta quorum duo erunt in angulis laterum, alia vero duo in duabus lineis intermediis. Si etiam latus et diameter componuntur ex punctis, tunc mensurabuntur una communi mensura, scilicet uno puncto pluries replicato, sicut et unitas est una communis mensura omnium numerorum, pro eo quod ex unitatibus componuntur. — Item, si ponantur quinque puncta quorum duo extrema per tria intermedia debeant unum contra alterum moveri, usquequo concurrant et se contingant: constat quod aliquo illorum trium stante in medio non concurrent neque se (a) contingent neque immediato situ se consequentur; quando vero erunt in illo medio, tunc etiam non se consequentur nec se contingent, immo erunt totaliter simul et infra se ipsa, nisi forte illud punctum medium haberet duas partes, ita quod secundum unam occuparetur ab uno et secundum aliam ab alio. — Item, ponantur septem puncta quorum quatuor sint in linea superiori et tria in linea inferiori, ita quod illud punctum quod est in dextro cornu lineae inferioris moveatur contra quartum punctum lineae superioris quod est in sinistro cornu eius et cui nullum punctum correspondet subtus in linea inferiori, et consimili motu et aequali moveatur illud quartum punctum versus illud alterum, usquequo unum directe sit sub altero, antequam se pertranseant: sed impossibile est quod per aequalem motum unum fiat sub altero, nisi aliquod de punctis super quae current sit divisibile. — Item, impossibile est secundum hoc dare unum motum localem velociorem altero, quia non poterit pertransire in uno nunc plus quam unum punctum nec minus quam unum. — Item, quando sphaera ex punctis composita movebitur, tunc quando pars sui convexi movebitur per punctum, oportebit necessario quod pars concavi sibi correspondens (b) moveatur minus quam per punctum.

Deinde probatur hoc in successivis. Et primo in motu locali qui est sensibilior nobis; ex quo enim spatium loci super quo fit motus non est compositus ex punctis,

(a) Al. m. mg. (b) Al. m. corr.

sed ex semper divisibilibus, necessario oportet motum continue decurrentem super ipsum commetiri se partibus sui loci; et ideo eo ipso quo (a) octo demonstrationes praecedentes probant spatium loci corporalis non posse componi ex indivisibilibus probant et motum localem non posse componi et continuari ex solis motibus vel partibus indivisibilibus. — Item, quod per essentiam suam est in se terminatum seu terminus sive finis non est quid alteri ultra se protensum et continuatum; sed simplex mutatio est huiusmodi, nam mutatio qua aliquid dicitur esse localiter mutatum ad aliquod ubi est de se terminata in illo ubi; et idem est de mutatione nigri in album vel albi in aliquem gradum maiorem albedinis. Et certe punctus et instans, si eorum ratio bene inspiciatur, dicunt aut quid in se ipso solo totaliter terminatum aut alterius terminum (b) finalem vel initialem et ideo ipsa ad invicem continuari est contra essentialem rationem ipsorum.

Probato igitur motum localem non posse componi ex indivisibilibus, sed ex semper divisibilibus, probatum est eo ipso de tempore eius, quia unicuique parti motus necessario correspondet una pars temporis sibi coaequalis et e contrario. — Praeterea, tres primae rationes quibus probatum est puncta non posse sibi invicem immediate continuari possunt similiter formari de quibuscunque indivisibilibus in motu vel tempore. — Ulterius, probato quod tempus motus localis non potest suam successivam et continuam quantitatem trahere ex instantibus sibi invicem continuatis, probatum est eo ipso et de omni tempore ac per consequens et de omni motu; quia dato quocunque alio tempore ex solis instantibus protenso et continuato ipsoque comparato et coapplicato ad tempus motus localis: constat quod instantibus ipsius non poterunt coaequaliter correspondere dissimiles partes temporis motus localis, sed sola imaginabilia seu signabilia instantia eius; dentur ergo duo (c) huiusmodi coapplicata ad quaecunque duo illius: tunc oportebit quod sicut inter ista sunt partes temporis in infinitum divisibiles, sic sint aut esse possint et inter illa; sequetur etiam econtra quod sicut inter illa nihil est medium nec esse potest, sic et inter ista; nisi forte dicatur quod instantia illius sunt maiora quam istius et quod

---

(a) Al. m. mg. (b) Al. m. mg., in textu aliquod verbum (?) del. (c) Al. m. mg., del. *in*.

sunt tantae magnitudinis simul et simplicitatis quod possunt se commetiri toti uni tempori et omnibus partibus et instantibus eius; quod in quaestione de aevo satis est improbatum.

[Solutio Obiectorum].

Ad primum igitur in contrarium dicendum quod sicut in quaestione de conversione panis in corpus Christi est difuse ostensum, aut non est dare ultimum instans esse vel durationis panis tanquam non intra se sed ad succedens esse corporis Christi terminatae; aut si est dare, tunc non est inconveniens dare duo instantia non eiusdem temporis, sed diversorum et discontinuorum temporum sibi immediate succedentia, quia talia non sunt sibi invicem continuata nec addunt aliquam penitus protensionem super partes temporis cuius sunt; et ideo ex hoc [a] non sequitur quod aliquod tempus possit componi ex solis instantibus sibi invicem immediate continuatis.

Ad secundum dicendum [b] quod sicut post primum punctum lineae non posset Deus dare aliud punctum immediate consequens primum aut sicut lapidem non posset a suo loco movere per solum unum punctum, ita quod non recederet nisi a solo puncto in quo prius eius situs terminabatur, quia utrumque horum contradictionem includit: sic post primum instans cuiuscunque angeli ab eo creati non posset immediate creare aliud instans vel quodcunque ens in aliquo instanti immediate sequente post primum.

Ad tertium dupliciter respondetur: Primo scilicet quod si angelus post suum primum instans [c] immediate annihilatur, tunc eius annihilatio seu nihilitas non habet aliquam realem mensuram vel durationem, cum sit primum non ens, secundum autem quod per accidens habet eam non potest habere nisi tempus vel aeviternitatem [d], prout solum correspondet tempori vel mensurae divisibili. Et secundum hoc falsa est minor qua dicitur quod dum primo [e] annihilat illum, potest aliud creare; quia creatio alterius non potest fieri, quin incipiat in aliquo primo nunc, annihilationi autem primi non poterit assignari aliquod unum primum nunc. — Secundo respondetur quod punctus et instans sunt talis rationis et quidditatis quod nullo modo possunt fieri nisi solum sicut

---

[a] Add. marg. *e. h.*, del. *in.* [b] Ita B^6, V om. [c] Ita B^6, V *instas.* [d] Al. m. ex *aeternitatem.* [e] Al. m. mg.

intrinseci termini alicuius dimensionis sui generis; sicut et e contrario partes cuiuscunque continui sunt talis rationis quod impossibile est eas fieri, etiam a Deo, nisi vel in se vel in suo toto habeant duos indivisibiles terminos qui non sunt partes earum, saltem tales in quas possint per discontinuationem dividi. Et tunc secundum hoc oportet dici quod nullus angelus, postquam est creatus, posset durare per solum instans ac per consequens nec immediate post suum primum instans posset annihilari, non quidem propter aliquem defectum divinae potentiae, sed solum propter defectum contradictionis implicitae. Nec propter hoc sequitur quod Deus cogatur ipsum necessario conservare, sicut nec sequitur quod quando facit aliquem motum, quod post aliquam priorem partem illius motus cogatur facere aliam; et tamen non potest facere aliquem motum vel aliquam partem motus, quin necessario faciat plures partes eius in quas secundum prius et posterius et secundum praeteritum et futurum est in infinitum divisibilis. Duplici autem ratione non debet Deus in huiusmodi dici cogi: primo scilicet, quia Deum non posse simul aliquid velle et nolle et facere et non facere non dicit in eo coactionem vel impotentiam; ex quo autem Deus vult facere intrinsecum initium alicuius durationis, eo ipso secundum praedictam positionem ponitur velle facere ipsam durationem, quia non potest velle illud facere sub modo contradictorio; si igitur vellet sic facere eius initium seu primum instans quod nullam partem durationis faceret: tunc eo ipso vellet et nollet. Secundo, quia loquendo de quacunque determinata [a] mensura conservationis vel durationis praefati angeli semper potest Deus ipsum minus ac minus conservare et hoc in infinitum; et ideo quamcunque partem posteriorem determinate acceperis, potest Deus illam non facere faciendo priores cum suo primo instanti; accipiendo autem omnes partes indeterminate, non potest facere aliquid durationis, quin faciat aliquam partem, sicut et dicimus quod Deus potest super omne finitum determinate et distributive acceptam, sed tamen non super omne finitum indeterminate et collective sumptum, quia tunc eo ipso posset super vel ultra omnia quae facere potest ac per consequens posset plura facere quam possit.

Ad quartum dicendum quod prima est falsa, quia si in eodem continuo daretur instans immediate post instans,

---

[a] Al. m. ex *terminata*.

plura inconvenientia sequerentur, sicut ex praecedentibus patet. — Quod etiam dicitur quod duratio ex solis nunc sibi succedentibus composita esset maior quam sola duratio unius eorum: potest dici quod hoc est simul verum et falsum; esset enim simul maior et non maior: maior quidem eo ipso quo ponitur unum extra alterum successive protendi; non maior autem ex eo quod impossibile esset unum ultra alterum sic protendi quod facerent aliquam continuam dimensionem maiorem.

Ad quintum etiam ex iam dictis patet. — Quod vero subditur quod puncta se immediate consequentia non se tangerent aut saltem non sic quod eorum ultima essent simul: potius facit contra compositionem et continuationem punctorum quam pro ea; quia constat quod continua sunt quorum intermedia unio non ([a]) est utrorumque initium vel terminus et hoc sic quod in illo situ in quo est ipsa unio non sunt totaliter eius extrema; quae autem sic sunt sibi ([b]) continua per solam discontinuationem seu incisionem fiunt tangentia, sumendo «tangere» pro contactu discontinuorum; ergo talia non sunt totaliter seu secundum se tota in intermedio situ sui ([c]) contactus, quia eorum contactus non plus situs vel ([d]) spatii occupat quam eorum continuatio occuparet; quomodocunque igitur se contingerent, oporteret unumquodque eorum secundum sui medium et remotiorem terminum esse ab invicem et a suo contactu remotius quam essent eorum termini secundum quos se immediate consequerentur; nec curo an huiusmodi intermedii termini debeant dici esse simul aut se immediate consequi, attamen sic quod suorum totorum intermedius contactus vel coniunctio non dicat secundum rationem positionis vel situs aliquid intermedium inter illos duos terminos, quia si hoc esset, esset processus in infinitum et esset tanquam quidam punctus intermedius inter duo puncta.

Ad sextum dicendum quod si per impossibile esset in eodem continuo dare plura puncta immediate sequentia: tunc eo ipso posset dari motus ex solis punctalibus mutationibus compositus. Sed sicut antecedens est simpliciter et absolute impossibile, sic et consequens; et nihilominus bona est quoad hoc ratio sumpta ex motu, pro quanto scilicet res non dicitur moveri, quando est in termino a quo vel ad quem, sed solum dum est in transitu intermedio; hoc enim suppo-

---

([a]) Al. m. mg. ([b]) Al. m. mg. ([c]) Al. m. mg. ([d]) Al. m. mg.

sito et concesso impossibile esset etiam corpus punctale super sola puncta moveri, quia quando esset in primo, esset adhuc in termino a quo, quando autem esset in secundo, iam esset in uno termino ad quem, et sic de aliis.

Ad septimum dicendum quod sicut punctus vel linea orientis seu horizontis est cuiusdam corporis sphaerici et continui ac per consequens non est secundum rem ibi actu distincta nisi secundum nostram imaginationem et significationem: sic nec initium solaris adventus ad punctum illum est secundum rem actu distinctum et significatum in sphaerico motu solis nisi solum secundum nostram imaginationem vel significationem, et idem est de instanti sibi correspondente. — Sed forte obicies, sicut et quidam aliquando mihi obiecit, quod si illa punctalis mutatio et instans sibi correspondens non sunt ibi tunc in actu sed solum in potentia: ergo non plus sunt facta per solum motum vel adventum quam reliquae mutationes adhuc ab ipso fiendae et peragendae. Item, omne praeteritum aliquando fuit actu praesens et omne necessario futurum erit aliquando actu praesens; sed hesternus (a) adventus solis ad initium nostri horizontis est secundum rem vere praeteritus; ergo vere fuit heri actu; eius etiam adventus est vere futurus; ergo cras erit vere actu. — Dicendum quod hic distinguendum est de esse actu et consimiliter de esse in potentia, quia punctum vel instans quod sumitur ut continuans partes sui totius est uno modo actu in toto, alio modo non; sumendo enim actum pro actualitate totius et partium eius unite sumpta, secundum scilicet quod per eam sunt unum totum et unum ens actu: sic omnes punctales seu indivisibiles sive simplices continuationes partium sunt actu in toto sicut et omnes partes; sumendo vero actum pro actualitate in se et secundum se distincta et determinata: sic non sunt ibi actu, nisi essent partes heterogeneae vel certam distinctionem a natura habentes, quod non est aliud quam dicere quod sunt quidem actu ut unum cum toto, sed non sunt actu distinctae, hoc est, quod earum entitas, ut est aliquid sui totius, est vere ibi actu, sed non earum distinctio et distinctiva determinatio nec earum entitas tanquam secundum se distincta et distincte existens; igitur respectu primi modi non sunt ibi in potentia, sed solum respectu secundi. Et per hoc patet ad primam obiectionem: quia secundum suam actualitatem primo modo sumptam

(a) Al. m. ex *asternus*.

vere sunt facta, quod non sunt ceterae simplices mutationes solis adhuc secundum illum modum fiendae. Patet etiam ad secundam: quia sicut solo primo modo fuerunt actu, sic solum respectu illius sunt praeterita et fuerunt futura; et si deberent fieri in esse distincto, sicut sunt initiales et finales termini quantitatum actu terminatarum: tunc essent futura et tandem aliquando praesentia respectu istius modi secundi.

Ad octavum: quod nulla forma extensa et continua potest aliquo modo habere aliquam partem indivisibilem seu punctalem, quia omnis pars quanti et extensi et continui est quanta et extensa et continua. Nec potest dici, sicut quidam falso imaginati sunt, quod forma carnis et ceterae formae naturales acceptae mathematice, id est, solum secundum quod quantae sunt in infinitum divisibiles, secundum tamen quod sunt naturales non sunt in infinitum divisibiles; quia data quacunque eius parte naturali quae utique secundum quod est quanta habet adhuc partes in infinitum divisibiles: quaero an illae eius partes participent speciem et naturam sui totius; quod si non, tunc ex non naturalibus et solam mathematicam rationem quantitatis habentibus constituitur et integratur forma naturalis. Praeterea, tunc illae partes non habebunt rationem carnis nec omnes partes aquae vel ignis habebunt rationem speciei aqueae vel igneae; et certe si bene inspicias, ex hoc ipso sequitur quod nullae, quia discurrenti per omnes illis aequales nullae erunt illius naturae ac per consequens nec omnes tales in simul sumptae ac per consequens nec totum agregatum ex eis. Possunt tamen aliquae partes pro tanto dici indivisibiles, pro quanto per agens naturale vel creatum non possent amplius dividi et pro quanto formae partium amplius divisarum non possent in se ipsis sic divisis sufficienter conservari in esse et iterum pro quanto non possent facere naturales operationes suae naturae debitas; quia ad agendum non sufficit sola essentia formae et potentiae, sed etiam certus ac debitus gradus et modus essendi et certa praedominantia super suum patiens et super resistentia sibi [a]. — Aristoteles vero dicitur ab aliquibus verbum illud de carne minima dixisse secundum opinionem [b] illorum contra quos ibi loquitur, tanquam arguens contra eos ex datis seu concessis ab eis. Ab aliis vero creditur hoc dixisse non de simpliciter minima, id est, punctali, sed de sensibiliter minima et realiter valde parva;

---

[a] Al. m. mg. [b] Corr.

hoc enim sibi sufficit contra illos qui ponebant quidlibet esse actu in quolibet sed latenter, quia absurdissimum est omnes species magnitudinum et [a] figurarum ceterarunque formarum esse actu in carne valde parva et sensibiliter minima aut dicere quod hoc posset nos latere.

QUAESTIO IV.

Quarto quaeritur an mundus factus fuerit ab aeterno.

Et arguo quod sic.

Primo ex parte Dei:

Videtur enim hoc primo convincere Dei sufficiens actualitas seu ratio ad agendum:

1. Aut enim in Deo erat maior ratio ad creandum mundum quam ad non creandum aut minor aut aequalis; si maior, ergo potius debuit effluere a Deo eius creatio quam non creatio; si minor, ergo nunquam debuit aut potuit fieri eius creatio, nisi primo illa minoritas in maioritatem mutaretur, quod non est in Deo ponendum, cum sit invariabilis; si aequalis, ergo non plus debuit non sequi quam sequi aut e contrario, sed utrumque simul fieri aut non fieri, quod est impossibile.

2. Item, potentia quae non operatur illud bonum quod operari potest otiatur ab opere nec est coniuncta omni actui suo vel sibi possibili, quantum est coniungibilis, ex quo sequitur quod non sit sufficienter actualis; sed in Deo non potest esse otiositas aut defectus cuiuscunque actualitatis; ergo oportet quod Deus semper fecerit quicquid boni potuit operari.

Secundo convincit hoc Dei necessitas seu immutabilitas:

3. Illud enim quod in omnibus et per omnia est ens summe necessarium seu purum necesse esse nihil habet de contingenti [b] aut de possibili non esse; sed Deus est purum necesse esse; ergo in eo nihil est quod possit aut potuerit non esse; ergo illa habitudo suae potentiae et sui velle secundum quam mundum fecit fuit in eo pura necessitas; ergo Deus sub necessarissima habitudine mundum fecit; ex hoc

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. ex *continenti*.

autem sequitur quod non solum ab aeterno, sed etiam necessario mundum fecit. — Iterum hoc sequitur quod si sub aliquo initio determinati temporis mundum fecit, necessario habuit ipsum facere in illo et non in alio tempore; et ita eius potentia fuisset necessario limitata et coarctata ad illud tempus; quod est impossibile.

Tertio ostendit hoc Dei summa identitas et uniformitas:

4. Idem enim in quantum idem semper habet facere idem et causa omnino uniformiter se habens semper uniformiter causabit; sed Deus ab aeterno semper manet idem et uniformis in nullo penitus variatus; ergo [a] ab aeterno fecit uniformiter quicquid fecit.

5. Item, de uno contradictoriorum non transitur ad alterum nisi mutatione prius aut simul facta in aliquo et tali quae sit ratio huius transitus; sed si Deus non creavit mundum ab aeterno, factus est de [b] non creante creans; ergo priusquam fieret creans aut saltem simul naturaliter facta est aliqua mutatio quae fuit ratio praedicti transitus; sed nulla talis potest dari; ergo et cetera. — Probatio minoris: non enim potuit esse talis mutatio in Deo, cum [c] sit immutabilis; nec in creatura, quia mutatio creaturae non est causa quare Deus sit actu creans eam; sed potius e contrario, quia ipse est creans, ideo fit aliquid de novo in creatura, etiam prius naturaliter est creans quam fiat creatura [d] ab ipso.

Quarto ostendit hoc Dei honor et gloria:

6. Constat enim quod creatio mundi ex tempore ponitur esse in gloriam Dei; sed si illa gloria fuisset ab aeterno continuata, esset incomparabiliter maior quam quando est solum ex determinato tempore; ergo et cetera.

Quinto ostendit hoc Dei bonitas:

7. Quia si bonum et bonitatis divinae fuit mundum creare ex tempore, multo maioris fuisset ipsum creare ab aeterno; quia maius bonum per hoc sibi dedisset, saltem extensive et magis liberaliter.

8. Item, bonum est sui diffusivum [e] et summe liberalis est summe erogare sua dona et praecipue quando ex hoc nihil sibi minuitur; ergo Deus tam intra quam extra, quantum potuit, suum bonum diffudit et erogavit.

9. Item, duobus propositis quorum unum est melius Deum velle quam reliquum, impossibile est quin Deus illud velit,

---

[a] Corr. al. m. [b] Add. interl. al. m. [c] Al. m. mg. [d] Al. m. mg. *ipse... creatura.* [e] Ex *diffusuvum.*

alias non esset summe bonus; sed melius fuit Deum velle creare mundum quam non creare, pro quanto melius est mundum esse quam non esse. Et consimiliter melius fuit Deum velle creare mundum, quanto citius potuit, quam per longa tempora hoc differre; pro quanto scilicet in toto tempore antea possibili melior fuisset mundi existentia quam non existentia; ergo Deus necessario voluit creare mundum, quanto citius potuit; sed respectu cuiuscunque temporalis initii in infinitum antea potuit; ergo et cetera.

10. Item, si potuit et noluit, invidus fuit atque per consequens non summe bonus, si autem voluit et non potuit, impotens fuit; quorum neutrum est in Deo ponendum; ergo omnino est dicendum quod voluit et potuit mundum facere ab aeterno; ex hoc autem sequitur quod mundum [a] fecerit ab aeterno, quia omnia quaecunque voluit fecit.

Sexto ostendit hoc Dei sapientia et ratio:

11. Illud enim quo negato non est apud Deum dare rationem de iis quae facit et de iis quae [b] cessat facere quare sic facit [c] hoc et quare sic cessat facere illud nullatenus est negandum, et e contrario illud quo posito statim optima ratio praedictorum ponitur videtur omnino esse ponendum: alias in Dei sapientia non esset plena et summa ratio eorum quae facit et quae non facit et [d] quare sic facit aut non facit; sed negata mundi aeternitate non potest dari conveniens ratio quare potius mundum voluerit creare in tali tempore quam ante vel post; quia non potest dici quod hoc fuerit pro eo quod hoc tempus fuit melius et magis idoneum ad mundum in eo creari quam fuisset quodcunque aliud tempus; posita autem mundi aeternitate statim apparet ratio facti, quia tanto melius fuit mundum creari ab aeterno quam ex finito tempore, quanto ipsa aeternitas est melior quocunque tempore finito seu initiato.

Septimo ostendit hoc Dei praesentialis aeternitas:

12. Illud enim agens cui nihil est futurum nihilque expectat et praecipue nihil per cuius adventum aliqua dispositio aut aliqua voluntas sibi detur ad agendum aut aliquod impedimentum agendi sibi tollatur nullum tempus futurum expectat, ita quod nisi illud adveniret, nollet agere nec posset; sed Deus est huiusmodi agens; ergo nullum tempus expectavit post cuius adventum vellet creare et non antea.

---

[a] Al. m. ex *mundi*. [b] Al. m. mg. *facit... quae*. [c] Al. m. ex *ficit*. [d] In mg.

13. Item, sicut se habet agens temporale ad actionem aeternam, sic se habet agens aeternum ad temporalem, et sicut se habet agens temporale ad suam temporalem actionem, sic se habet agens aeternum ad aeternam [a]; sed agens temporale non potest nisi in temporalem [b]; ergo aeternum non potest nisi in aeternam.

14. Item, omnis causa agit secundum modum et proprietatem suae naturae; ergo causa aeterna agit secundum modum et proprietatem aeternitatis; ergo quicquid facit facit [c] in tota aeternitate et ita ab aeterno; sed non facit aliquid, nisi quando aliquid fit ab eo; ergo in tota aeternitate factum est et fit quicquid ipsa facit et fecit.

Secundo probatur hoc ex parte creaturae:

Et primo ostendit hoc ratio temporis:

15. Quia omne quod fuit prius Deo possibile non est factum nec potest fieri sibi impossibile nisi per accidens, utpote quia iam praeteriit; sed infinita tempora seu infinitum tempus fuit ante quodcunque initium temporis Deo possibile, quod modo non est sibi possibile, quia non posset modo facere aliquod tempus quod praecederet tempus praeteritum; ergo hoc est factum sibi impossibile per accidens, scilicet quia praeteriit; sed si praeteriit [d], factum fuit; ergo et cetera.

16. Item, quocunque initio mundi dato constat quod mundus potuit antea fieri; ergo erat aliquod antea seu anterius in quo potuit fieri; aut ergo illud erat [e] aeternitas Dei, et sic habeo propositum; aut aliquod aliud, et tunc si illud habebat initium, iterum potuit mundus fieri ante illud; ex quo iterum sequitur quod aliquod anterius erat in quo potuit fieri, et sic in infinitum.

17. Item, omnia instantia temporis sunt eiusdem speciei; ergo quicquid est essentiale uni est essentiale alteri; sed omne nunc temporis quod habet tempus ante se includit in sua essentia rationem principii et finis seu rationem continuantis, quia per solam essentiam suam est finis praeteriti et initium futuri et per solam essentiam suam continuat partes temporis; ergo omni instanti temporis est hoc essentiale; ex hoc autem sequitur quod nunquam fuerit dare nunc, quin habuerit tempus ante se; ex quo iterum sequitur quod non fuit dare initium temporis, cum nullum tempus possit in-

---

[a] *Aet. ad aet.* ex *ad aeterna aeternum.* [b] V *temporale.* [c] Al. m. mg. [d] Al. m. mg. *s. s. p.* [e] Al. m. ex *ert.*

choari nisi in aliquo primo nunc quod non habuit aliud tempus ante se.

Secundo ostendit hoc ratio relationis seu ordinis:

18. Quia si mundus fuit de novo creatus, tunc eo ipso habuit rationem posterioris respectu omnium temporum quae potuerunt fieri ante eum; sed relatio posterioritatis non potest esse sine relatione prioritatis; haec autem non potest esse nisi in aliquo priori; ergo necessario fuit dare aliquod prius in quo esset relatio prioritatis et ad quod terminaretur relatio posterioritatis.

Tertio ostendit hoc ratio possibilis seu possibilitatis:

19. Quia si mundus aliquando non fuit, tunc aut fuit possibilis creari aut impossibilis; si possibilis, ergo erat antea aliqua potentia passiva susceptibilis creationis seu antea erat aliquod possibile creari, nec potest dici quod hoc esset in Deo, quia in Deo non cadit potentia passiva vel potentia ad creari; si vero impossibilis, ergo nunquam fuisset creatus.

Quarto ostendit hoc durationis Dei et mundi coaequalitas:

20. Quia illud quo Deus solum est natura prior est duratione aequale seu simultaneum Deo; sed mundo est Deus solum prior natura, non duratione, quia si est duratione prior, tunc in eius duratione cadit prius et posterius; quia illud durationis secundum quod Deus esset prior mundo esset utique prius quam illud secundum quod esset simul cum mundo; quia in eodem secundum idem non potuit esse simultaneus ([a]) mundo et prior mundo.

Quinto ostendit hoc ratio mutationis:

21. Quia quod se habet aliter nunc quam prius est mutatum; sed non potest esse mutatum nisi aliqua mutatione; haec autem praesupponit subiectum in quo existat; sed si mundus fuit de ([b]) novo factus, ipse se habuit tunc aliter quam prius et ita fuit mutatus et sic per consequens fuit subiectum mutationis; ex quo iterum sequitur quod praecessit eam; sed illa mutatio non fuit aliud quam sua factio; ergo praecessit suam primam factionem, quod est impossibile; et dato quod esset possibile, tunc eo ipso fuisset aeternus.

22. Item, quod se habet aliter nunc quam prius erat prius sub alio modo; ergo si mundus fuit de novo creatus, fuit prius sub alio modo.

([a]) V *simultaneum*. ([b]) Add. interl. al. m.

Sexto ostendit hoc universalitas universalium et necessariarum propositionum [a] ac consequentiarum:

23. Universalia enim ex sua ratione videntur esse ubique et semper. — Item universalitas istius consequentiae « si homo currit, homo movetur » et consimilium semper fuit vera nec unquam [b] potuit dari tempus in quo non esset vera; et consimiliter est de veritate huius propositionis « duo et tria sunt quinque » et consimilium; nec potest dici quod istae veritates sint Deus; ergo et cetera.

24. Item, omne necessarium quod semper est et fuit impossibile aliter se habere fuit necessario ab aeterno; sed omnes veritates consequentiarum necessariarum sunt huiusmodi; ergo et cetera.

25. Item, quod est et nunquam fuit factum ipsum fuit ab aeterno; sed veritates praedictae sunt huiusmodi, quia constat quod ipsae sunt, non autem sunt factae, ut probabo; ergo et cetera. — Quod autem non sint [c] factae probatio: quod nullam habet causam nunquam fuit factum [d]; sed non est dare causam alicuius veritatis indemonstrabilis [e], qualis est veritas propositionum necessariarum quae sunt primae et immediatae; unde nec potest dari propter quid ita se habent nisi solum ipsamet ratio et veritas earum [f]; non enim potest dari causa quare duo et tria sunt quinque et non plus neque minus nisi solum quod dicimus quod in essentia eorum hoc necessario includitur; ergo et cetera.

26. Item, si mundus non fuit, verum fuit mundum non esse; sed haec veritas non fuit Deus; ergo fuit aliquid aliud a Deo.

Septimo ostendit hoc ratio loci seu localis spatii:

27. Et arguo sic: spatium quod occupat mundus fuit ab aeterno, ut probabo; ergo vel vacuum spatium fuit ab aeterno vel mundus fuit ab aeterno. — Primam probo per tria media. Primum est: quia dato quod caelum mutaretur a loco seu spatio quod occupat, sic quod ultima superficies eius, scilicet occidentalis, esset ubi nunc est orientalis et orientalis esset tantundem ultra: constat quod tunc bene dici poterit mundus esse post illud spatium in quo prius fuit. Posset etiam dici quod si aliquid minus eius poneretur ibi, non occuparet ipsum totum et quod si esset maius, occuparet aliquid ultra

---

[a] V *proportionum.* [b] Ex *nunquam.* [c] Al. m. mg., del. *sunt.* [d] Al. m. mg. [e] Al. m. mg., del. *indemobilis.* [f] Al. m. ex *eorum.*

ipsum; sed omnia ista supponunt ipsum spatium semper manere; ergo videtur quod mundus non [a] possit a suo spatio exire, quin ipsum spatium remaneat; sed qua ratione remanet post ipsum, eadem ratione manebat ante ipsum, ubi semper fuerit in eo; ergo et cetera. — Secundum est: quia corpore uno amoto de [b] suo loco et altero succedente sibi in eodem loco, vere dicimus quod idem locus est rei posterioris qui fuit et prioris et quod idem spatium occupatur nunc [c] ab isto quod prius occupabatur ab illo; ergo rebus transeuntibus identitas loci seu spatii localis semper manet; ergo si res aliquando non fuit ipsum occupans, tunc primum fuit vacuum [d]. — Tertium est: quia omne quod semper mansit et manet omnino idem et omnino ingenerabile et incorruptibile et inaugmentabile et indiminuibile et semper capax cuiuscunque sibi coaequalis et a nullo replebile nisi sibi aequali ipsum fuit semper et erit; sed spatium quod occupatur a rebus mundi est huiusmodi, quia quantumcunque res varientur, ipsum semper manet idem et omnino aequale; nec Deus posset ipsum mutare a suo situ, quia determinatio talis situs est sibi essentialis et cadit in definitione ipsius; Deus etiam non posset ipsum replere nisi aequali; ergo et cetera [1].

QUAESTIO V.

Quinto quaeritur an Deus potuerit mundum facere ab aeterno.

Et quod sic videtur.

1. Posita causa sufficienti statim potest poni eius effectus; sed Deus fuit ab aeterno causa sufficiens ad mundi productionem; ergo et cetera.

2. Item, a destructione consequentis: si Deus non potuit mundum ab aeterno creare, ergo non fuit ab aeterno sufficienter potens et actualis ad creare.

---

[a] Al. m. ex *quod*. [b] Add. interl. al. m. [c] Al. m. mg., del. *nec*. [d] Ex *vacuus*.

[1] Solutio huius quaestionis et responsa ad obiectiones ponuntur in quaestione sequenti.

3. Item, si causa naturaliter agens esset ab aeterno, eius effectus naturalis posset esse ab aeterno; unde Augustinus dicit [1] quod « si ignis esset ab aeterno, splendor eius esset ab aeterno »; si igitur hoc posset causa naturaliter agens, si esset ab aeterno [a]: ergo multo magis hoc poterit Dei voluntas supernaturaliter agens.

4. Item, si Deus non potuit ab aeterno mundum creare et postmodum potuit hoc in aliquo initio temporis, ergo est mutatus; est enim factus de non potente potens.

5. Item, nulla veritas et maxime catholica videtur esse in dehonorationem et minorationem divinae potentiae; sed dicere quod Deus non potuerit hoc ab aeterno videtur esse huiusmodi; ergo hoc dicere non est verum, saltem veritate spectante ad fidem catholicam.

6. Item, quod semper eodem modo se habet semper potest idem facere, nisi illud transierit in praeteritum.

7. Item, Deus potuit hoc velle pro toto tempore sibi possibili; ergo potuit mundum fecisse tantum antea quantum possibilitas temporis in antea se extendit; sed illa non habet terminum initialem, quia nunquam tantum potuit temporis fieri quin adhuc aliud tempus potuerit fieri ante ipsum et sic in infinitum; ergo tantum tempus potuit fieri quod nullum habuisset initium.

8. Item, sicut iam dictum est, temporum Deo possibilium in antea non est dare primum; sed omnium temporum sibi possibilium potuit quodcunque voluit eligere; ergo non est dare terminum [b] seu initium illius temporis quod potuit ad faciendum eligere ac per consequens et facere.

9. Item, Deus potest omne illud in quo non includitur contradictio; sed in hoc non includitur contradictio, quia factioni creaturae seu ei quod est habere effectum principium non repugnat semper fuisse seu non habuisse durationis initium; unde secundum Augustinum, libro X *De Civitate*, 33 capitulo [2], « philosophi dixerunt mundum non habere temporis sed substitutionis initium, dantes exemplum de pede in pulvere ab aeterno vestigium imprimente »; et idem habetur XI libro [c], 4 capitulo [3].

---

[a] Al. m. mg. *si igitur... aeterno.* [b] Al. m. mg., del. *t'm.* [c] Al. m. mg.

---

[1] *De Trinit.*, VI, 1 (PL 42, 923). [2] Cap. 31 (PL 41, 311). [3] PL 41, 319.

10. Item, nulla conditio includens in se rationem creaturae repugnat rationi creaturae; sed tempus aeternum est huiusmodi, ut probabo; ergo et cetera. — Probatio minoris: omnis conditio entis quae non est divina nec Deo aequalis et quae est eiusdem generis et speciei cum aliqua conditione creata includit in se rationem creaturae seu esse creati vel creabilis; sed dato quod tempus esset aeternum eius duratio non esset duratio Dei nec Deo aequalis; unde Boethius, V *De Consolatione*, ait [1] quod « id quod temporis patitur conditionem, licet illud, sicut de mundo censuit Aristoteles [2], nec coeperit unquam esse nec desinat: nondum tamen tale est ut aeternum esse iure credatur; non enim totum simul infinitae vitae spatium comprehendit »; et paulo post [3]: « Unde non recte quidam qui cum audiunt visum Platonis [4] mundum hunc nec habuisse initium temporis nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coaeternum putant; aliud est enim per interminabilem duci vitam, aliud [a] interminabilis vitae totam pariter complexam esse praesentiam, quod divinae mentis proprium esse manifestum est »; haec Boethius. Tempus etiam aeternum seu infinitum est eiusdem generis et etiam eiusdem speciei cum tempore finito, quia augmentum eiusdem speciei infinitum non variat speciem illam; et multo minus eam diversificat, si infinitum cum finito [b] sint idem numero, sicut utique partes temporis finitae essent idem numero cum tempore finito ex eis infinities replicatis constituto.

11. Item, illud quod ex sua essentia et natura non determinat sibi aliquod tempus, immo quantum est de se, extendit se ad omne tempus potuit esse et fuisse in omni tempore possibili; sed naturae rerum mundi, saltem caelestium et intellectualium, sunt huiusmodi; ergo et cetera.

12. Item, illud quod nullam infinitatem actualem ponit est Deo possibile nec repugnat rationi creaturae; sed tempus ab aeterno durans est huiusmodi, quia nunquam ponitur esse in eo actu nisi solum tempus praesens quod utique semper est finitum.

13. Item, quicquid Deus potest successive potest simul; sed infinita potest successive; ergo simul.

---

[a] Al. m. ex *alius*. [b] Ex *infinito*.

---

[1] N. 349 (PL 63, 859). [2] *De caelo*, I, 10-12, 279b 4 sqq.; *Phys.*, VIII, 1-3, 250b 11 sqq. [3] L. c. [4] *Timaeus*, 27 E sqq.; *Phaedrus*, 245 D sqq.; *Phaedon*, 106 D; *Menon*, 86 A; *Resp.*, X 611 A.

14. Item, quando tota possibilitas et impossibilitas operis pendet ex sola potentia agentis, tunc tota ratio quare illud non potest fieri est ex defectu potentiae agentis; sed possibilitas et impossibilitas rerum creabilium nihil ponit penitus nisi in sola potentia creantis; ergo si non potuerunt fieri ab aeterno, hoc fuit ex defectu potentiae creatoris; sed hoc est falsum et blasphemum; ergo et illud.

15. Item, illud quod certitudinaliter sciri non potest non est certitudinaliter asserendum; sed mundum non posse creari ab aeterno certitudinaliter sciri non potest; ergo saltem hoc non est asserendum. — Minor probatur dupliciter: primo, quia constat quod hoc non dicit Scriptura Sacra, ergo illius rei certitudo non habetur ex fide; nec ex scientia demonstrativa, quia tunc per scientiam huiusmodi indubitanter sciremus mundum esse creatum ex tempore; ex hoc autem sequitur quod non tenemus hoc ex fide, quia secundum Apostolum (1): « *Fides est argumentum non apparentium* »; sed nos tenemus hoc per fidem secundum illud Hebr. 11 (2): « *Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei* »; et Gregorius, *Super Ezechielem*, dicit (3) quod « quaedam est prophetia de praeterito, ut est illud (4): *In principio creavit Deus caelum et terram* ». — Secundo probatur hoc: quia hoc non potest sciri per causam ipsius creationis quae est Dei voluntas quae nulli est nota, nisi quantum voluntarie se revelat; nec potest hoc sciri per quidditates rerum creatarum, quia illae non sunt ex se limitatae ad hoc tempus vel illud, immo quantum est de se, extendunt se ad omne tempus; sed non est dare alia ex quibus possit hoc demonstrari; ergo et cetera.

Ad quaestionem utramque simul

Respondeo

Quod mundus non est aeternus nec esse potuit ab aeterno.

Et quidem quod non fuerit fides catholica expresse et indubitabiliter tenet tanquam unum de primis fundamentis suis. Unde Vetus Testamentum (5) a certo initio creationis mundi inchoat, quod ut magis firmaretur in

---

(1) Hebr. 11, 1. (2) Cap. 11, 3. (3) Greg. M., *Homil. in Ezech.*, lib. I, n. 1175, hom. 1 (PL 76, 786). (4) Genes. 1, 1. (5) Genes. cap. 1, 2, 5.

opinione fidelium, annorum seriem ab ipso inchoans et deducens solemniter enarrat et in eius indelebilem memoriam voluit Deus septimam diem in qua Deus a condendo quievit habere solemnem in tempore illo. In Novo etiam sic praedicat Iohannes Verbi aeternitatem quod tamen principium seu initium mundi aperte asserit dicens (1): « *In principio erat Verbum* ». Et Christus primum diem creationis per solemnia opera magnificat et a tota Ecclesia sua per instinctum sui Spiritus coli (a) specialiter fecit.

Nec mirum, quia error de aeternitate mundi, prout a philosophis mundi (2) est positus, habet fundamentum impium; prout enim patet ex dictis Aristotelis (b) (3) et sequacium eius, praecipuum fundamentum sumpserunt (c) ex tribus nefariis. Primum est (4) quod Deus quicquid agit necessario agit, ita quod nullo modo posset aliter agere nec amplius aut minus, loquendo de immediata (d) actione ipsius. — Secundum est quod omnium quae aliquando agunt, aliquando non agunt aut quae aliquando sic agunt, aliquando vero non sic oportet reddere causam quare aliquando sic, aliquando vero non sic. Dixerunt (5) enim quod quaecunque se habent ad opposita oportet quod per aliquid determinentur ad alterum oppositorum ad hoc ut plus agant unum quam reliquum (e), sive illud determinans sit aliquid disponens vel cooperans sive removens prohibens; alias ut dicunt, non potest reddi ratio quare magis agunt quam non agunt vel e contrario. Quia igitur Aristoteles (6) vidit inferiores causas in agendo et (f) non agendo varie se habere:

(a) Ex *colli*. (b) Al. m. (c) Corr. al. m. (d) Ex *mediata*. (e) Al. m. mg., del. *alius*. (f) Add. interl. al. m.

(1) Ioh. 1, 1. (2) Hic Olivi, sicut saepe aliis locis, istam neoplatonismo corruptam Aristotelis doctrinam prae oculis habet quae primis decenniis saeculi XIII. ex editionibus arabo-latinis in occidente vulgabatur. Instar omnium sit *Liber de causis* (ed. Bardenhewer, Freiburg Br. 1882). Unde patet genuinam Aristotelis doctrinam hoc loco, sicut multis aliis, ab Olivi detorqueri aut saltem quoad applicationem principiorum abusui obnoxiam esse. (3) Num Deus secundum Aristotelem ad extra agat controvertitur. Probabilius Deus, licet sit causa finalis mundi, nec cognoscit res extra se nec in eas influit; cfr. *Eth.*, X, 8, 1178b 7 sqq.; *De caelo*, II, 12, 292a 22 sqq.; *Metaph.*, XII, 9, 1074b 17 sqq.; XII, 7, 1072a 19 sqq. (4) Aristoteles hoc non dixit, sed aliqui eius asseclae neoplatonismo imbuti. (5) Cfr. Arist., *Metaph.*, IX, 5, 1047b 31 sqq.; IX, 2 1046a 36 sqq. (6) *Phys.*, VIII, 1, 7-9, 250b 11 sqq.; 260a, 20 sqq.

ideo visus est omnia inferiora reducere ad aliquam causam quae cum uniformitate [a] posset esse in aliis causa contrariorum; visumque est ei quod haec erat motus caeli aeternus; qui pro quanto non est alterativus sui subiecti sed solummodo partibus eius dans varia ubi et pro quanto est circularis et secundum eum aeternus et invariabilis a suo cursu, est in se uniformis; pro quanto vero corpora caelestia per ipsum accipiunt varium aspectum super inferiora, est causa contrariorum; unde videmus quod declinatio solis a nostro hemisphaerio est causa corruptionis, eius vero accessus est causa generationis et renovationis. — Tertium est, quia ut visum est eis [1], res per ordinem habent necessario emanare a prima causa, ita quod res aeternae et incorruptibiles immediatius sunt et dependent ab ea quam res temporales et corruptibiles; et inter aeterna intellectuales substantiae immediatius sunt ab ea quam substantiae corporales; et in intellectualibus illae quae sunt supremae et magis ei similes immediatius sunt ab ea illique in tantum similes quod eas deos putaverunt et vocaverunt; et hinc est quod ut dicunt, nullum inferiorum potuit esse a prima causa nisi per intermedias substantias superiores; videnturque sibi per hoc mirabilem ordinem ac concordiam et concatenationem ponere in toto universo.

Primum autem quantae impietatis sit in Deum monstratum est in materia de libertate voluntatis Dei per quam sine omni variatione sui potest libere ferri super opposita obiecta et super oppositos effectus; si enim Deus omnia quae facit necessario facit nec aliter agere aut non agere [b] potest: omnis timor et reverentia, amicitia et gratia, spes ac deprecatio seu imploratio frustra habetur ad eum nihilque veri dominii habet in rebus; et ex quo ab eo libertas in opposita tollitur, multo magis ab omnibus quae sunt sub ipso; ex quo iterum vorago infernalis impietatis consurgit, sicut in materia de libertate voluntatis humanae est abunde monstratum. — Secundum autem directe tollit libertatem omnibus causis ab ultima usque ad primam, licet quandam falsam et passivam libertatem ipsi somnient cum praedictis; statuitque fatales constellationes, quia omnes varietates motuum inferiorum sive directe sive oblique reducit in motum caeli et in varios aspectus stellarum. — Tertium autem est

[a] Corr. al. m. [b] Al. m. mg. *a. n. a.*

[1] Cfr. *Liber de causis*, § 29, 30, 15, 17, 19, 23; Aristoteles hoc non docet, sed Neoplatonici.

consummatio impietatis, quia primae causae potentiam arctat quasi usque ad unum punctum, in eo quod non nisi unum solum ponit ab eo esse immediate et hoc necessario; statuitque idololatriam [a] nobisque attribuit essentialem infinitatem et miseriam, quia secundum hoc quasi essentialiter sumus in extremo catenae quam fingunt.

Sicut autem habet impium fundamentum, sic habet et processum, quia omnes aut fere omnes articulos fidei catholicae uno flatu abnegat et de medio tollit; tollit enim peccatum originale, quia nullum primum hominem ponit ac per consequens tollit totum opus redemptionis; ponit etiam aut unitatem intellectus aut revolutionem earundem animarum per diversa corpora aut infinitas animas et plures earum in aeternum manere separatas a corpore; et cum cursum istius saeculi et humanae generationis ponat in aeternum manere: patet quod nullam felicitatem statuit homini nisi in vita ista.

Terminus autem eius a sapientibus timetur fore pessimus: credunt enim quod hic sit unus de principalibus articulis introductoriis infernalis sectae antichristi. Unde quidam magnus doctor [1] numerum bestiae [2], scilicet sescenti sexaginta sex, sic exponebat: « Quia enim scriptum est [3] quod « *in circuitu impii ambulant* » ideo numerus bestiae uno numero circulari sub triplici circuitu describitur; senarius enim est numerus circularis, quia per reflexionem sui in se multiplicatus reddit numerum terminatum in se ipsum, ut sexies sex faciunt triginta sex; et [b] si iterum multiplices sexies triginta sex, habebit numerum terminatum in sex et sic in infinitum; hic ergo numerus primo ponitur hic circuire et habes sescentos, deinde denarium et habes sexaginta, deinde unitatem et habes sex. Quia vero centum anni faciunt unum saeculum, mores vero humani reguntur [c] per decalogum legis: ideo, ut dicebat, per sescentos [d] significatur circuitus saeculorum, id est, circuitus aeternitatis temporum; per sexaginta vero circuitus unius intellectus in tota universitate hominum et ii sunt [4] tres spiritus procedentes

---

[a] V *ydolatriam.* [b] Add. interl. al. m. [c] Ex *regantur.* [d] Ex *sexcentos.*

---

[1] Quis sít ille magnus doctor non inveni. *Postilla* Abbatis Ioachim *Florensis in Apocalypsim,* quem Olivi tantopere venerabatur hanc expositionem non habet; nec apud alios auctores qui de simili materia tractant locum inveni. [2] Cfr. Apocal. 13, 18. [3] Psalm. 11, 9. [4] Cfr. Apocal. 16, 13.

de ore bestiae ac draconis et pseudoprophetae in modum ranarum ».

Quod autem ab aeterno nullo modo esse potuerit probatur quadriformi respectu.

Primo scilicet per respectum ad incomponibilia [a] fieri cum tempore aeterno: nullum enim est genus infinitatis quod non ponatur potuisse fieri, si tempus aeternum potuit fieri; constat autem quod [b] illud est [c] impossibile ex cuius positione ponitur aliquod impossibile esse possibile; sed quod omne genus infinitorum potuerit poni in [d] actu est impossibile, sicut in quaestione an Deus possit facere infinita in actu est probatum multipliciter et meo [e] iudicio infallibiliter. Philosophi etiam mundani multa genera infinitorum reputant impossibilia, utpote quod infinitae causae per se simul concurrant ad aliquem effectum aut quod sit dare infinitam lineam vel infinitum triangulum. — Quod autem ad aeternitatem temporis hoc sequatur probo et hoc in septem modis infinitorum. Probo enim primo quod quaelibet figura, utpote triangulus et quadratum et sic de aliis, potuit secundum hoc fieri actu infinita; quia omni sane intelligenti potentiam Dei constat quod in qualibet parte temporis praeteriti potuit Deus facere unum triangulum maiorem illo qui factus fuerat in tempore praecedenti aut eundem triangulum secundum totum processum partium temporis semper auxisse; ergo triangulus factus vel augmentatus post infinita tempora esset in infinitum maior aliquo triangulo prius facto et haberet in se infinitum augmentum et sic esset actu infinitus; quod est contra rationem trianguli et cuiuslibet figurae. — Secundo per [f] consimilem modum probatur idem de infinito quanto. — Tertio idem probatur de infinita virtute actuali et eius actione: constat enim quod simul cum mundo Deus potuit facere ignem aut quodcunque corpus naturale habens unigeneitatem in suis partibus; constat etiam quod semper potuit sibi aequale vel duplum addere seu duplo augere; ergo potuit fieri ignis actu infinitus et cum splendore ac [g] calore infinito ac per consequens et cum actione actu infinita. — Quarto probatur hoc ipsum de infinita divisione lineae et cuiuscunque continui: quia unam lineam finitam et mundo coaeternam potuit Deus in qualibet parte temporis praete-

---

([a]) Al. m. ex *compossibilia*. ([b]) Add. interl. al. m. ([c]) Add. interl. al. m. ([d]) Add. interl. al. m. ([e]) Al. m. mg. *e. m.*, del. *et in eo*. ([f]) Add. interl. al. m. ([g]) Add. interl. al. m.

riti dividere una nova divisione vel pluribus; ergo in infinito tempore fuisset divisa in partes actu infinitas. — Quinto patet hoc ipsum de infinito motu recto seu de infinito spatio recto per motum pertransito: constat enim quod in qualibet parte temporis praeteriti potuit Deus augere spatium in rectum et unum mobile movere per illud; ergo post infinita tempora illud spatium rectum esset infinitum et per infinitum motum rectum esset pertransitum. — Sexto patet hoc ipsum de infinitate quatuor causarum, scilicet agentium et materialium ac formalium et finalium. De agentibus quidem patet hoc: dentur enim ab aeterno creata centum poma vel nuces sese sic contingentes ut ad motum primae sequatur motus in secunda et de secunda in tertia et sic deinceps; ponaturque Deum postremis nucibus in qualibet parte temporis nucem aliquam subiunxisse: constat quod post infinitum tempus essent infinitae per ordinem se habentes, constat (a) etiam quod motus ultimae produceretur per motus infinitarum mediarum et ita essent motores infiniti coordinati ad unum motum. — Idem patet de causa finali, quia in infinito tempore posset Deus unum opus ab aeterno factum sic ordinasse per fines intermedios quod usque post infinitum tempus non pertingeret suum finem ultimum et ita illud opus haberet infinitas causas finales per ordinem se habentes. Si dicatur quod in aliquo finito tempore omnes fines intermedii quos Deus posset facere essent expleti: contra, constat quod bonum commune est finis boni partialis seu singularis; ponatur ergo quod Deus sic ordinasset universitatem hominum et aliarum rerum quod in qualibet parte temporis cresceret: tunc ipsa universitas, ut est augmentata, esset finis prioris, sicut (b) totum est finis suae partis; ergo post infinita tempora primi per infinitos fines intermedios pertigissent ad finem communitatis hodiernae. Quis etiam dicet quod ex quo mundus esset aeternus, non posset Deus ordinasse animas ad aliquam futuram gloriam tanquam ad finem ultimum suum? et tamen constat quod animae ab aeterno factae non potuissent pertingere ad illum finem nisi per processum temporis infinitum. Item, detur quod homines ab aeterno factos esset finaliter collocaturus in quodam caelo vel loco post infinita tempora fiendo, aliis in tempore praevio semper magis ac magis (c) praemissis, ita quod homines ipsi ab aeterno scirent quod usquequo pertranseundo medios per-

(a) Corr. al. m. (b) Al. m. *p. s.* (c) Al. m. mg. *a. m.*

venissent ad illud, non haberent locum illum nec gloriam eius: nunquid fines itinerationum essent infiniti? utique. — De duabus vero (a) aliis pertranseo causa brevitatis. — Septimo patet hoc ipsum de infinitate superlativorum graduum mentis in ascendendo: detur enim unus angelus quantaecunque nobilitatis ab aeterno creatus, quis dicet quod in quolibet temporum praeteritorum non potuerit Deus facere unum alterum aut aliquam alteram creaturam longe illo nobiliorem, ita quod sequentes semper sint in millecuplo nobiliores primis? si ergo infinitum tempus potuit peragrari et est peragratum, tunc angelus seu creatura ultima facta habebit infinitissimam praevalentiam super primas; et tunc si iterum detur quod iste fuisset creatus ab aeterno et quod alii fierent post ipsum sub ordine prius dato: tunc iterum ultimus esset in infinitum altior isto; et tunc hoc ipsum posset per modum consimilem replicari de secundo, ut scilicet fieret aliquis alter in infinitum maior ipso; et iterum posset hoc dari de tertio et sic in infinitum. Adverte autem quod in quolibet praedictorum infinitorum non solum probatum est ipsa posse esse facta, si mundus esse potuit ab aeterno, sed etiam probatum est quod quodlibet ipsorum cum tota sua infinitate haberet initium et finem; quia initium seu prima pars eorum ponitur ab aeterno concreata cum mundo, ultima vero pars ponitur creata in die praesenti aut in quacunque die determinate sumpta.

Secundo probatur principale per respectum ad contradictionem in aeternitate seu infinitate temporis praeteriti directe implicitam.

Omnes enim aut fere omnes contradictiones quae in quaestione an Deus possit facere infinitum actu per rationes mathematicas probatae sunt includi in quocunque quanto actu infinito spectant directe ad propositum. Septem enim viae quibus primum ibidem probatur quod eadem erunt aequalia et non aequalia facile est hic applicare. Erit enim pars aequalis suo toti: sumpta enim tota quantitate temporis praeteriti sive per modum continui sive per modum numeri ex diversis partibus temporis aggregati, quantumcunque aliquid magnum finitum tamen inde detraxeris, illud quod remanet est infinitum ac per consequens aequale suo toti. — Item, de infinitis annis praeteritis sumatur tantum de quolibet unus dies, et erunt infiniti dies qui utique eo

(a) Al. m.

ipso quo infiniti erunt aequales infinitis annis a quibus sunt subtracti; et nihilominus tantum excedentur ab eis quantum unicus dies exceditur a toto anno. Lunationes etiam infinitae quae praeterierunt non erunt plures quam solares seu annuales solis revolutiones et nihilominus erunt plures. Et huiusmodi multa similia possunt dari: utpote de quolibet anno subtrahatur tantum minima hora unius diei, et invenientur aequales tam numero quam duratione infinitis annis; et infiniti ternarii dierum vel annorum erunt aequales infinitis millenariis annorum et sic de aliis. — Item, oportebit dare quod numerus dierum praeteritorum fuerit par vel impar; et potest hoc argui, sicut ibi arguebatur. — Item, idem dies erit alteri diei aeque propinquus cum uno altero et non aeque propinquus: utpote dies hodierna erit aeque propinqua alicui diei [a] per infinita tempora iam praeteritae sicut dies hesterna aut sicut quaecunque altera dies eam sub spatio finito praecedens; quod enim distent aequaliter ab illa patet, quia utraque distat in infinitum ab illa; et nihilominus oportet quod tantum distent ab illa [b] inaequaliter quantum una istarum est prior altera. — Item, ex hoc ipso probatur quod dies prior erit simul cum posteriori et non simul; et patet modus probandi sicut et ibi. — Item, totum tempus praeteritum in quantum continuum erit divisibile in duo media aequalia, et in quantum discretum, id est, in dies vel annos distinctum erit divisibile in duo media aequalia aut in duo sola unitate se excedentia; et sicut totum erit [c] duplum ad quamlibet medietatem, sic erit quadruplum ad mediam mediae et sic de aliis proportionibus; cum etiam super omnem proportionem duplam sit dare triplam et quadruplam et sic deinceps: ergo super totum tempus infinitum potest addi tantum quod superexcedet eius medietatem in proportione tripla vel quadrupla et sic deinceps; et tamen cum hoc non erit maius quam primum infinitum nec eius media erunt maiora quam medietates illius. — Item, tota duratio motus lunae aeterni erit commensurata toti motui solis seu toti durationi motus sui, ita quod mutuo non se excedent; et nihilominus nullum eorum attinget totum alterum seu partes alterius, et ita unumquodque eorum excedetur ab altero; si enim detur quod unum attingat omnes partes alterius, sequitur quod in illo altero non sunt partes infinitae, quia in in-

---

[a] Al. m. mg. *dierum*. [b] Al. m. mg. *et nihilominus... illa*.
[c] Al. m. ex *erat*.

finito tempore seu motu praeterito non fuit aliqua pars finita ante quam non praecesserint aliae numero infinitae; si enim detur oppositum, scilicet quod ibi fuerit aliqua pars ante quam non fuerunt infinitae aliae, tunc quicquid praecessit ante eam fuit finitum, quod est contra positionem datam. Si igitur nulla fuit ibi pars (a) quam non praecesserint infinitae: sequitur per locum ab oppositis quod omnem partem temporis aeterni praecesserunt tempora infinita; ex quo sequitur quod attinctis (b) omnibus partibus restent infinitae praeteritae adhuc attingendae. Si vero dentur evasiones quae ad consimiles rationes in quaestione de infinito sunt positae, consimiliter infringuntur sicut et ibi, et tanto amplius, quanto in tempore nihil ponitur nisi quasi per modum unius ordinis linearis.

Deinde probatur hoc ex (c) ratione numeri: impossibile est enim dari aliquem numerum, quin sit in aliqua specie numeri; omnis autem species numeri est necessario finita, quia omnis numerus habet aliquam speciem post se sola unitate se excedentem et aliam ante se quam in sola unitate antecedit; ergo numerus dierum aut annorum temporis aeterni erit sub aliqua specie numeri ac per consequens et finitus. — Item, omnis numerus (d) minor infinito est finitus et idem est de omni alia quantitate; sed numerus qui immediate post numerum infinitum sequitur est minor ipso, et idem est de quacunque quantitate immediate sequente post quantitatem infinitam et inclusam infra illam; sed omnem numerum sequitur immediate aliquis numerus: si enim detur oppositum, tunc nullus numerus sequitur eum immediate; ergo inter ipsum et omnem numerum est aliquis numerus intermedius, quod est impossibile; et dato quod esset, aut ille est finitus et tunc non facit distare nisi finite; aut est infinitus et tunc inter duo extrema est dare infinitum medium, quod est impossibile; si igitur fuerunt infiniti dies ab aeterno, oportet dare aliquam maximam speciem numeri quae immediate et sola transcendatur ab infinito numero dierum. — Item, aut hodierna dies distat in infinitum ab aliqua die temporis aeterni praeteriti aut a nulla, quia haec divisio est per contradictoria; si ab aliqua: ergo inter illam et istam fuit distantia dierum et temporum infinita ac per consequens fuit simul infinita et ex utraque parte terminata; si

(a) Al. m. mg. ex *pas.* (b) Al. m. ex *attintis.*. (c) Al. m. mg. (d) Al. m. mg.

vero a nulla: ergo ab omnibus distat finite, quia a nullo distare infinite aequipollet huic, scilicet ab omnibus distare finite; sed illud est finitum cuius omnes partes distant finite et non infinite; ergo et cetera. — Item, omne quod est finitum ex una parte est totaliter ex alia parte finitum per regulam illam: quod omne continuum est divisibile in duo media aequalia; non enim potest dividi in duo talia, quin altera pars sit ex utraque parte finita, scilicet illa quae sumitur ex illa parte secundum quam suum totum erat finitum; sed tempus aeternum ponitur esse finitum ex una parte; ergo et cetera. — Item, in quocunque toto non est nec fuit aliqua pars determinatae quantitatis ante quam non fuerint infinitae tales et etiam maiores: illud totum sic habuit omnes suas partes praeteritas quod non habuit omnes; quod est contradictoria esse simul vera de eodem; sed hoc est dare in proposito; ergo et cetera. Et si detur ad hoc evasio quam posui in quaestione de infinito, sic infringitur hic sicut ibi. — Forte dicetur quod praedictae rationes concludunt solum de infinito quod habet actu simul partes infinitas, hoc autem non habet tempus aeternum. — Sed istud nihil est; quia in praedictis rationibus non supponitur quod partes sint actu, sed quod sint vel fuerint partes eius, sive simul sive successive, et in pluribus earum supponitur quod successive fuerint partes eius. Praeterea, tam menti divinae quam angelicae occurrent simul partes eius tanquam partes unius totius sibi sub certa coordinatione connexae et continuatae et connumeratae; et in ipsis sumptis sub hoc modo adhuc stant omnes consequentiae et contradictiones praedictae.

Deinde probatur quod hic sit directe contradictio ex eo quod simul ponitur esse infinitum et successivum et continuum: nam hic ponitur quod aliquod praeteritum nunquam fuerit praesens et quod aliquis motus non habuit terminum a quo et quod prius fecit Deus tempus quam nunc et quod mundus accepit suum esse in tempore et non in nunc. Primum probatur sic: quia aut ante omne praesens quod unquam [a] fuit fuit aliquod tempus praeteritum aut non; si sic: habeo propositum; si non: ergo per locum a contradictoriis fuit aliquod praesens ante quod nullum fuit tempus [b] praeteritum; ex quo sequitur quod ipsum fuerit primum omnium temporum et initium omnium ac per consequens quod tempus non fuerit aeternum aut sine initio. — Secundum autem

---

[a] Ex *nunquam*. [b] Al. m. mg.

sic probatur: aut enim omnis motus praeteritus habuit terminum a quo aut non omnis; si omnis (a): ergo ante omnem motum praeteritum fuit terminus a quo et ita omnes habuerunt initium; sed in omni continuo successivo cuius omnes partes habuerunt initium ipsum de necessitate habuit initium, quia ipsum non potuit non habere initium nisi ratione alicuius partis suae quae non habuit initium. Si vero dicatur quod non omnis motus habuit terminum a quo: habeo propositum. Quodsi dixeris quod in hoc nulla est contradictio: hoc est apertissime falsum et est etiam contra philosophos mundi; quia motus non est aliud quam accessus ad unum terminum recedendo ab altero nec aliquis motor potest mobile movere nisi expellendo eum ab aliquo termino seu statu in quo prius erat. — Tertii vero et quarti probatio de se patet: quia non potest dari oppositum, quin eo ipso tempus et mundus ponantur habuisse initium in aliquo nunc; dicere autem quod tempus potuit fluere ante omne nunc aut quod mundus prius fuit creatus in tempore quam in (b) nunc est absurdissimum, et praecipue cum mundus quantum ad substantiam suarum principalium partium factus fuerit simul et non successive. — Praeterea, qua ratione tunc potuit Deus facere tempus ante omne nunc, eadem ratione posset hoc adhuc facere; hoc autem constat esse impossibile; ergo et illud.

Item, probatur hic alia contradictio: quia erit dare essentialem ordinem in partibus temporis et motus et cum hoc nullus erit ibi ordo. Primum quidem patet ex ipsa essentia temporis et motus et ex ordine dierum et revolutionum caeli. Secundum etiam patet: quia ubi non est nec fuit primum, non est dare secundum nec tertium et sic de aliis ordinibus designatis per numeros subsequentes usque in infinitum; omnis igitur ordinata successio in sua essentia includit aliquod primum initium. Et hoc ipsum patet per aliam viam: quia ratio consequentis seu succedentis, in quibuscunque ponatur, etiamsi in infinitis poneretur, de necessitate praesupponit antecedens, ita quod ratio consequentis non potest absolute et universaliter praecedere rationem antecedentis nec posterius rationem prioris; sed si tempus fuit ab aeterno, oportet necessario dicere quod ratio posterioris absolute et universaliter praecessit rationem prioris, ita quod nihil fuit unquam in tempore, quin prius habuerit rationem posterioris quam prioris, quia non habuit rationem prioris

(a) Al. m. mg. *s. o.* (b) Corr. interl.

usquequo transiit et aliquid ei successit, rationem vero posterioris habuit eo ipso simul dum erat.

Tertio probatur principale ex ordine rationalis creaturae ad peccatum et supplicium et ad meritum et praemium seu ad quemcunque liberum motum et universaliter ex ordine omnis creaturae ad motum et mutationem suam in ea vel ab ea fieri possibilem. Ex primo quidem sic: dicere quod creatura rationalis habens plenam libertatem ad peccandum aut ad se pro tempore futuro movendum nullo modo possit hoc facere nisi post infinitum tempus primo ab eo pertransitum est idem quod dicere eam habere plenam facultatem et potestatem illud agendi et non habere; sed quandocunque ponitur creatura rationalis fieri vel facta esse hoc ponitur; oportet enim necessario quod sua essentia et existentia per infinita tempora seu per infinitam durationem praecesserit omnem actionem et passionem et omnem motum et mutationem factam vel fiendam tardius vel posterius quam ipsa. Si enim dicatur quod non praecessit per infinitam durationem, sequitur necessario quod praecessit solum per finitam; ex quo sequitur quod habuit initium et non infinitam durationem in ante. — Item, constat quod impossibile est infinita futura pertransiri, saltem inter duos terminos datos; ergo nulla creatura rationalis facta ab aeterno sine poena vel finali praemio potuit aliquo modo pervenire ad finale praemium vel supplicium vel ad quemcunque finem praedesideratum ab ea statim ut [a] fuit; quia ab hora motus in finem oportuisset prius pertransiri infinitam durationem, antequam pertingeret [b] ad illum finem. Istam autem viam arguendi tangit Augustinus, XI *De Civitate*, capitulo 4, ubi dicto quod « philosophi dicunt mundum non habere temporis sed suae creationis initium » subdit [1]: « Sed non video quomodo eis possit in ceteris [c] rebus ratio ista subsistere maximeque in anima; quam si Deo coaeternam esse contenderint: unde illi acciderit nova miseria, quae nunquam antea per aeternum, nullo modo poterunt explicare ».

Quarto probatur hic esse contradictio ex respectu ad Deum. Contradicit enim hoc divinae potentiae: dicere enim quod quamcunque rem a Deo factam non

[a] Al m. mg., del. *in*. [b] Ex *pertingereit*. [c] Corr.

[1] PL 41, 319.

potuerit Deus cito post factionem annihilare seu cessare a dando sibi esse est potentiam Dei horribiliter limitare; sed nullam rem factam ab aeterno potuit unquam [a] annihilare, nisi prius res durasset in infinitum; quia si potuit ante durationem eius infinitam, sequitur rem non habuisse duratio nem infinitam sed finitam; ergo ponere aliquid creatum ab aeterno factum esse vel potuisse fieri est ponere quod non potuit statim post receptionem sui esse a Deo annihilari. — Item, dicere quod Deus post cuiuscunque rei factionem non potuerit aliquid facere cito post illud, utpote dividere rem quantam in duas partes, est horribiliter eius potentiam enervare; sed hoc sequitur et ponitur, quandocunque ponitur aliquid fecisse ab aeterno; et patet deductio sicut prius; ergo et cetera. — Item, dicere quod esse rei creatae praecessit omnem Dei factionem est dicere quod non fuit facta a Deo aut quod fuit prius quam fieret ab eo; sed hoc ponitur in proposito: oportet enim dare alteram partem contradictionis, scilicet quod aut esse rei ab aeterno factae praecessit omnem sui factionem aut non omnem; si omnem, habeo propositum; si non omnem, ergo est aliquam factionem dare, antequam esse rei non fuerat; sed hoc non est verum, nisi illa sit prima factio eius et in primo nunc sui esse; ergo et cetera. — Item, dicere quod Deus non fecit in re nisi solam continuationem sui esse vel quod factio per quam est a Deo non fuit nec est nisi solum continuatio eius quod primo habuerat est dicere: aut quod non omnis factio creaturae fuit a Deo aut quod res habuit esse ante omnem factionem suam; sed primum in positione aeternitatis includitur, quia Deus nunquam dedit rei aeternae esse primum et ante omnem determinatam dationem qua dedit sibi esse praecesserat eius esse, nisi dicas quod absque eius successione accepit esse a [b] Deo pro tota aeternitate attingente simul totum quod per successionem infinitam in ante et post potuit attingere et etiam amplius; quod non est aliud quam ponere deos gentilium philosophorum; et tamen adhuc stat ratio contra aeternitatem cuiuscunque successivi vel successionis. — Item, dicere quod simul cum creatione mundi aut cuiuscunque rei non potuerit Deus facere litteram significantem unum et sic deinceps sub certis partibus temporis facere ordinate litteras vel figuras designantes per ordinem subsequentes numeros est horribile; sed hoc ponitur in positione aeternitatis mundi; quia si detur

---

[a] Ex *nunquam*. [b] Add. interl. al. m.

quod potuit: tunc eo ipso datur partes temporum correspondentes litteris esse inchoatas ab illa parte temporis quae correspondet litterae significanti unum; eo ipso etiam datur quod partes temporis aeterni sunt sufficienter numeratae per litteras illas. — Item, impossibile est ultimum cuiuscunque divinae perfectionis posse attingi a creatura, ita quod commetiatur se illi et eius infinitati; sed si tempus fuit aeternum, tunc omnino commensurabit se toti durationi Dei in ante, ita quod totaliter attinxit eam in ante. — Item, impossibile est creaturam exire a Deo secundum totum ambitum aeternitatis Dei et secundum immensum aspectum potentiae Dei, immo oportet quod se habeat ad illum ambitum et aspectum sicut se habet punctus ad magnitudinem infinitam (a) et sicut se habet minimum nunc ad infinitum tempus; ergo oportet quod exeat ab eo sub aspectu alicuius modici nunc et ita sub aliquo primordiali initio suae durationis. Et pro ista ratione et pro praecedenti facit illud quod dicit Dionysius, capitulo 5, *De divinis nominibus* (1), scilicet quod « Deus omnia continet secundum supersimplificatam ipsius infinitatem et ab omnibus singulariter participatur ». — Item, non minus est et fuit semper Deus potens super tempus a parte post quam super tempus a parte ante; ergo qua ratione potuit (b) facere quod fuerit tempus infinitum a parte ante, eadem ratione poterit et potuit facere quod infinitum tempus futurum totum fuerit; sed constat quod hoc non dicit aliquid Deo possibile, immo includit contradictionem apertam, quia eo ipso ponitur quod fuerit finitum et infinitum a parte post. — Item, infinitum tempus praeteritum fuit primo futurum quam fuerit praesens vel praeteritum; ergo qua ratione potuit Deus illud infinitum futurum totum facere, eadem ratione poterit adhuc infinitum tempus futurum totum facere, ita quod aliquando vere possit dici « totum est factum »; quod est impossibile et apertam implicans contradictionem; igitur impossibilitas et contradictio quae est in totali factione infiniti motus vel temporis futuri debuit omnem hominem docere quod consimilis contradictio et impossibilitas includitur in infinito motu vel tempore a parte ante. — Item, qua ratione Deus potuit facere totum tempus sibi possibile a parte ante, eadem ratione potuit facere ab aeterno omnia possibilia sibi, saltem illa quorum unum potest simul

(a) Ex *finitum*. (b) Al. m. mg., del. *puit*.

(1) Pseudo-Dionysius, *De divin. nomin.*, cap. 5, § 9 (PG 3, 826).

esse cum altero; sed ponere hoc est ponere effectum creatum sic coaequatum potentiae Dei quod non potest aliquid ultra illum; et cum ipse operetur per suum velle, sequitur quod suum velle non possit ferri nisi solum super illa quae fecit; quod dicere est abominabile. — Ex praemissis igitur decem rationibus patet quod dicere mundum non posse a Deo fieri ab aeterno non derogat potentiae Dei, immo potius eius altitudinem commendat et salvat. — Item, dicere quod Deus possit facere aliquid inordinatum est Deum blasphemare; sed in factione et existentia mundi aeterna includitur multiplex inordinatio tam per respectum ad anteriora quam per respectum ad subsequentia, sicut ex omnibus praedictis satis patere potest: non enim erit dare ordinem rerum ad aliquam perfectionem vel operationem futuram nec praesentia habebunt ordinem ad partes temporis infinite distantes nec posset dari ordinata distinctio et progressio operum Dei secundum ordinatam progressionem temporum; sicut nunc cernimus quod ordinate post Patriarchas misit Legem et Prophetas et sic tandem Christum et conversionem gentium et sic postmodum conversionem Iudaeorum et finale iudicium. Positio igitur aeternitatis mundi est positio confusionis infernalis, «*in quo nullus ordo sed sempiternum horror inhabitat*» [1].

Sed quia quidam theologi [a] dicunt quod hoc non est contra dicta sanctorum, audiant primo quid dicit Augustinus in libro seu in disputatione *Contra Felicianum* Arianum dicentem Filium Dei esse creaturam, sed perfectam et quae dominari possit omnibus creaturis; contra quem arguit Augustinus ex definitione creaturae quam sic definit [2]: «Creatura namque est quae aut adhuc non est aut aliquando non fuit rei cuiuslibet corruptibilis, quantum in se est, per omnipotentis Dei voluntatem facta substantia; haec definitio utrum in Dei cadat Filio videamus»; haec Augustinus. Ex hac autem probat ibidem quod Dei Filius non est creatura; si ergo definitio data et ratio ex ea deducta est bona, ergo non esse aut non fuisse cadit in definitione creaturae; sed hoc non est verum, si creatura est aut esse potuit ab aeterno. — Item, infra in tertia obiectione ab ista dicit [3]: «Ergo si naturam rerum intelligentia duce perpendimus,

---

[a] Ex *theologii*.

---

[1] Iob 10, 22. [2] Pseudo-Augustinus (Vigilius), *Contra Felicianum De unitate trinitatis*, cap. 7 (PL 42, 1162). [3] L. c. cap. 8 (PL 42, 1163).

demus initium; si non, negamus occasum, alioquin ideo Filium non habere dicamus initium, quia non per gratiam sed per naturam fatemur esse perpetuum »; et sumit ibi perpetuum a parte finis, sicut ibidem et supra in obiectione immediate praecedenti patet; ergo Augustinus vult quod quicquid habet finem habeat initium et quod non habet initium nullo modo habet finem. — Item, XI *De Civitate*, capitulo 4, dicit[1] quod « si anima fuit ab aeterno, nullo modo potest explicari [a] qualiter nova miseria sibi accidit ». — Item, XII *De Civitate*, capitulo 15, dicit [2]: « Si dixero semper fuisse creaturam, cuius dominus esset qui dominus semper est nec dominus unquam non fuit? sed nunc illam nunc aliam per alia atque alia temporum spatia, ne aliquam creatori coaeternam esse dicamus; quod fides ratioque sana condemnat. Cavendum est ne sit absurdum mortalem quidem per vices temporum semper fuisse creaturam, decedentem aliam, aliam succedentem, immortalem vero non coepisse esse, nisi cum [b] ad nostrum saeculum ventum est, quando et angeli creati sunt; cum tamen non fuerint, antequam fierent, ne si immortales sic semper fuisse dicantur, Deo coaeterni esse credantur »; haec Augustinus. Attende eum dicentem quod fides et ratio sana condemnat dictum illud quo dicitur creatura semper in successione durans esse coaeterna creatori; et consimiliter dicit angelos non semper fuisse, ne credantur Deo coaeterni. Nec sufficit ad hoc dicere quod loquitur de coaeternitate qua habetur aeque simplex et aeque nobilis aeternitas sicut habet Deus; quia eo ipso quod ponit illa esse creaturam sive mortalem sive immortalem, satis erat patens quod non ponebantur hoc modo esse Deo coaeterna, nisi forte pro quanto omnis coaeternitas [c] aut simpliciter aut sub conditione includit Dei aeternitatem. — Item, infra eodem [3]: « Si Deus semper dominus fuit, semper habuit creaturam suo dominatui servientem, verumtamen non de ipso genitam, sed ab ipso de nihilo factam nec ei coaeternam; erat quippe ante illam, quamvis nullo tempore sine illa, non eam spatio transcurrente [d] sed manente [e] perpetuitate praecedens ». — Item, capitulo 16 [4]: « Quae saecula praeterierunt, ante-

---

[a] Al. m. ex *applicari*. [b] Al. m. mg., del. *c*. [c] Al. m. ex *aeternitas*. [d] Ex *transcurrentem*. [e] Ex *manentem*.

---

[1] PL 41, 319. [2] PL 41, 363. [3] PL 41, 365. [4] PL 41, 365.

quam genus instituereturhumanum, me fateor ignorare; non tamen dubito nihil omnino creaturae creatori esse coaeternum ». Et paulo post dicit [1] quod « illa tempora aeterna de quibus Apostolus [2] loquitur non fuerunt Deo coaeterna, quia ille ante tempora aeterna non solum erat, verum etiam promisit vitam aeternam ». — Et idem dicit Hieronymus [3], *Super epistolam* [a] *ad Titum*, pertractans illa verba Apostoli [4] « *quam promisit non mendax Deus ante tempora aeterna* »; ubi nos habemus ante tempora saecularia, quia aeternum stat ibi pro saeculo. — Item, Augustinus, libro *De fide ad Petrum*, capitulo 8, ubi loquitur de iis quae de Dei creatura sunt absque dubitatione credenda, dicit [5]: « Deus qui sine initio semper est dedit rebus a se creatis ut sint, non tamen sine initio; quia nulla creatura eiusdem naturae est cuius est aeternitas: unus, verus et bonus Deus ». Et post [6]: « Summum et incommutabile bonum nullum habet defectum, quia non est ex nihilo factum; nullum habet profectum, quia non habet initium; ideo quippe naturae a Deo factae proficere possunt, quia esse coeperunt, ideo deficere, quia ex nihilo factae sunt »; haec Augustinus. Ubi vero, quod si rationes eius bonae sunt, sequitur quod omne quod est sine initio est eiusdem naturae cuius est Deus et quod nullum profectum potest recipere; ex quorum utroque sequitur quod omne quod est sine initio est Deus; patet etiam ex praedictis quod Augustinus firmiter credit quod hoc erat de substantia fidei catholicae. — Item, Dionysius, *De divinis nominibus*, capitulo 10, ubi agit de aevo seu de tempore et saeculo dicit [7]: « Oportet igitur non simpliciter coaeterna Deo qui est ante saeculum aestimare aeterna [b] dicta ». Super quo dicit Lincolniensis [8] quod sapienter obviat philosophis qui dicebant quod intelligibilia et mundus, licet a Deo essent creata, erant tamen Deo coaeterna. Et hoc ipsum dicit Commentum ex Graeco ubi dicitur [9] quod « electorum apud gentiles philosophorum dicta

---

[a] Al. m. ex *Episto.* [b] Ex *coaeterna.*

---

[1] L. c. [2] Ad Tit. 1, 2. [3] Hieron., *Comment. in epist. ad Tit.*, cap. 1 (PL 26, 559 sq.). [4] Ad Titum, 1, 2. [5] Fulgentius, *De fide*, cap. 3 n. 25 (PL 65, 683). [6] L. c. [7] Pseudo-Dionys., *De div. nomin.* cap. 10 § 3 (PG 3, 939). [8] *Grosseteste.* Locus in eius operibus hucusque typis mandatis non habetur; nec in Commentario eius quem in Dionysii librum *De divinis nominibus* scripsit, cuius manuscriptum exemplar Erfurt Germaniae (Amplonianae) O 30 ff. 66-107 servatur, eum inveni. [9] Maximus Confessor, *Scholia in librum de divinis nominibus*, in cap. 10 § 3 (PG 4, 387).

reducit ad pietatem dicens incorporales virtutes a Deo conditas, non tamen coaeternas Deo, ut gentiles delirant ». Item, capitulo 5, dicit [1] saepe quod Deus omnibus praeexistit [a] et est ante omnia. — Item, Basilius, super illud Iohannis [2] « *In principio erat Verbum* » dicit [3]: « Hoc autem Verbum non est humanum verbum, non enim in principio erat verbum humanum sed nec angelorum; omnis enim creatura infra saeculorum terminos est, a creatore essendi sumens principium ». Sed forte dices quod Basilius et Dionysius non dicunt quin esse possint Deo coaeterni, sed solum quod non sunt; sed si bene inspiciatur mens et ratio dicti eorum, invenitur quod simpliciter et absolute loquuntur et secundum id quod essentialiter competit creaturae.

[Solutio Obiectorum].

Ad primum igitur in contrarium dicendum quod loquendo de Deo ut praesupposita eius voluntate ad creandum mundum maior erat in eo ratio ad creandum ipsum quam ad non creandum, non tamen ad creandum ab aeterno, sed ad creandum pro illo tempore pro quo ab aeterno voluerat mundum creari in tali tempore; loquendo autem de Deo absolute, prout potuit velle et nolle mundum creare, sic fuit in eo aequalis ratio ad creare et ad non creare; sed tamen nulla mutatione in se facta potuit eius velle ferri super quodcunque illorum, sicut in quaestione an Deus potuerit nolle quae voluit et e [b] contrario est abunde monstratum.

Ad secundum dicendum quod otiari, prout sonat in defectum, est non facere opus pro tempore pro quo debet fieri et ex cuius cessatione cessat aliqua perfectio operantis; Deus autem cessando a creatione innumerabilium mundorum aut a creatione istius pro toto tempore in quo prius creari potuit non cessavit ab opere quod deberet facere aut ex cuius cessatione esset in eo aliqua imperfectio; sed si cessasset ab aeterna generatione [c] Filii, tunc cessasset ab eo quod necessario exigebat ordo suae naturae, et eo ipso fuisset

---

[a] Ex *praeexistis*. [b] Corr. interl. [c] Ex *ageneratione*.

---

[1] Pseudo-Dionys., *De div. nomin.*, cap. 5 § 4, 5, 8 (PG 3, 818 sqq.). [2] Iohan. 1, 1. [3] Basilius, *Homilia* XVI, *In illud « In principio erat Verbum »*, n. 3 (PG 31, 478).

in eo defectus generativae virtutis et ordinis quem Deus habet Pater in actu generandi.

Ad tertium dicendum quod aliud est dicere quod Deus in se et secundum se sit purum necesse et aliud quod ipse sit necessario huius vel illius obiecti aut huius vel illius effectus; dicimus ergo quod Deus est ens necessarium simul et liberum, quia impossibile est quod in ipso sit aliqua necessitas excludens aut coarctans eius summam libertatem et dominationem; nulla igitur in eo posita contingentia aut potentialitate deficiendi ab aliquo esse realiter in ipso aliquid ponente, certi sumus quod libere potuit hoc vel eius oppositum velle, ac per consequens libere potuit hoc vel illud facere. Igitur habitudo suae potentiae vel sui velle ad tale obiectum, pro quanto dicit essentiam Dei, fuit et est pura necessitas; pro quanto vero includit obiectum sub tali vel tali ratione, non oportet quod sit ens necessarium; quod est dicere quod illud obiectum sic in ea includi aut ipsam esse talis obiecti non dicit absolute essentiam divini velle, sed solum dicit ipsum ut huius; et pro quanto dicit ipsum, dicit essentiam eius et sic pro tanto ens necessarium; pro quanto vero dicit ut huius, non dicit aliquid, sed solum dicit alicuius; ipse vero per suam libertatem nulla mutatione in se facta potest esse huius vel illius, quamvis non possit hoc vel hoc, sed necessario sit semper omnino id ipsum.

Ad quartum dicendum quod prima simpliciter loquendo est falsa non solum respectu divinae libertatis, sed etiam respectu naturae; sed secundum quid potest dici esse vera sumendo reduplicationem illam non pro identitate rei, sed pro [a] identitate rationis vel [b] respectus; licet enim Deus per id ipsum possit velle quodcunque oppositorum, in quantum tamen vult unum, non vult aliud.

Ad quintum dicendum quod quando Deus dicitur factus de non creante creans, non fit transitus realis ab uno contradictoriorum [c] in aliud, sumendo creans et non creans quantum ad id quod ponitur in Deo et ex parte Dei; tum quia Deus per id ipsum potest esse creans et non creans, sicut per idipsum potest velle creare et non creare; tum quia Deus ex se et absolute non erat creans et non creans [d], sed cum ex sua essentia esset indifferens ad utrumque, ex sua libertate ab aeterno fuit alterius partis, scilicet quod crearet

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Add. interl. [c] Al. m. ex *contradictorum*. [d] Al. m. mg. *e. n. c.*

mundum in tali tempore; et ideo, quantum est ex parte sua, ab aeterno fuit creans mundum. Sumendo vero creans et non creans respectu eius quod ponunt in effectu aut in obiecto, sic sunt contradictoria; et tunc de creatione ad non creationem fit transitus per mutationem factam in creatura quae est idem quod creatio passio. Licet autem mutatio creaturae non sit causa alicuius realiter existentis in Deo, tamen bene est causa quod aliquid de novo dicatur de Deo, quia agens denominatur a suo effectu et ab actione quae manat ab eo.

Ad sextum dicendum quod licet creatio mundi ex tempore sit in gloriam Dei, non tamen tali modo quod ex hoc vel in modico augeatur formalis gloria Dei. Non etiam sequitur quod licet mundi creatio sub tali tempore et sub talibus circumstantiis sit ad gloriam Dei, quod eius ab aeterno duratio esset in maiorem gloriam; quia hoc includit impotentiam et deordinationem, non autem illud. Non etiam sequitur quod si tanta duratio mundi est ad gloriam Dei, quod maior esset ad maiorem gloriam, nisi in maioritate durationis includeretur maior refulgentia divinae dominationis et libertatis et ordinis divinae sapientiae; maior autem dominatio eius refulget in eo quod taxavit sibi tempus prout sibi placuit quam si necessario dedisset sibi totam durationem quam dare potuit.

Ad septimum dicendum quod sicut ex praedictis patet, mundum creare ab aeterno non habet rationem boni aut liberalitatis. Sciendum etiam quod materialis maioritas doni non facit ad maioritatem liberalitatis seu bonitatis dantis, sed solum illa maioritas quae includit in se formaliter maioritatem virtualium seu rationabilium circumstantiarum; ita autem bene novit Deus circumstantiare durationem mundi inchoatam a tali initio sicut illam quae longe antea inchoaretur; sicut ita perfectam rationem circuli potest dare parvae sphaerae sicut magnae.

Ad octavum dicendum quod summum bonum non est sui diffusivum in sibi subiecta nisi secundum ordinem sapientiae suae et secundum condecentiam dominationis suae et secundum beneplacitum suae voluntatis, quia non decet ipsum esse alligatum aut subiectum diffusioni suae in inferiora; et idem dico de liberalitate sua. Sed nihilominus verum est quod Deus communicando se creaturis ex tempore communicavit eis infinitum bonum, scilicet seipsum. Falsa est ergo propositio qua dicitur quod summe liberalis est summe erogare sua bona; sed debet dici quod summe liberalis est summe liberaliter dare danda et servare servanda.

Ad nonum dicendum quod dato quod melius fuerit velle mundum creari aliquando quam nunquam creare, non tamen ex hoc sequitur quod melius fuerit ipsum velle creare pro omni tempore pro quo potuit creari; sicut nec sequitur quod si melius fuit velle creare mundum tantae magnitudinis quam nullius, quod melius fuerit velle creare mundum tantum quantus a Deo fieri potuit; et ideo concessa prima conclusione praefatae rationis adhuc non sequitur secunda. — An autem prima sit vera, scilicet quod melius fuit Deum velle creare mundum aliquando quam nolle unquam creare ipsum, a quibusdam dicitur quod in genere fuit melius aliquid aliquando creari quam si nihil unquam crearetur; sed in speciali non fuit melius de hoc quam de illo, quia tantum valuissent alii homines vel angeli similes et aequales angelis et hominibus creatis et creandis sicut valent isti. Alii dicunt quod tam in generali quam in speciali aeque bonum fuit velle sicut et nolle et e contrario et creare sicut non creare et e contrario; istorum autem ratio est: quia bonitas creaturae nihil addit ad bonitatem divinam nec suum velle habet aliquid melioritatis ex ordine sui ad bonum creatum nec aliter ipse esset plene dominus et summe liber super bona creanda, si in aliquo esset arctatus aut necessario determinatus ad aliqua creanda, etiam in genere. Priorum vero ratio est quod licet creatura nihil divini boni addat ad Deum nec aliquid consimilis speciei vel generis nec aliquid quod prius non esset causaliter in Deo: nihilominus addit aliquid quod licet cum Deo non faciat maius bonum, quia non sunt sub ratione unius boni cum Deo aggregabilia aut comparabilia, faciunt tamen discretive plura bona; licet etiam Deus ex obiecto bonitatis creatae vel creandae (a) non bonificetur nec melioretur, ordo tamen eius ad creata vel creabilia includit in se magnam bonitatem; alias non esset melius Deum posse creare quam non posse aut scire creabilia quam nescire nec esset melius Deum diligere amicos suos quam non diligere aut velle facere iustitiam secundum quod exigit ordo rerum creatarum quam nolle facere; si etiam quaecunque determinatio divini velle ad obiecta creata praeiudicat eius dominationi et libertati: tunc sequitur quod ei praeiudicet determinatio qua Deus non potest velle aliquid facere nisi sub debito ordine aut qua dicitur quod Deus non potest omittere illa quae exigit ordo universitatis operum inchoatorum. — Quid au-

(a) Al. m. ex *creand.*

tem horum sit verius et divinae nobilitati magis consonum [a] nondum plene scio advertere. Sed forte videbitur alicui quod pro primis sit Augustinus, libro IV *Super Genesim*, capitulo 14, dicens [1]: « Sed bona facere, si non posset, nulla esset potentia; si autem posset nec faceret, magna esset invidentia; quia ergo est omnipotens et bonus, omnia bona valde fecit »; ex hac enim ratione videtur sequi quod Deus non potuit non facere bona creata, quia constat quod non potuit esse invidus. Sed fortasse Augustinus non hoc intendit, quia in capitulo illo nititur ostendere quod Deus requievit die septimo ab operibus suis, pro quanto non eget operibus quae fecit, sed sola [b] sua bonitate est perfecte beatus; unde ibidem dicit [2] quod « esto quod nulla fecisset, adhuc laudabiliter eis non egeret »; ratio igitur praedicta ad hoc solum videtur tendere quod si Deus faciendo res non potuisset aut noluisset eas facere bonas, tunc aut esset impotens aut invidus seu malevolus, quia subtraheret eis bonitatem quam exigit ordo operis et ordo suae factionis.

Ad decimum patet ex iam dictis: quia quando dicitur quod si « noluit, invidus fuit », non est verum nisi in casu praefato aut in consimili, quando scilicet ordo naturae vel rationis exigit illud debere dari; quando etiam dicitur quod « si non potuit, ergo impotens fuit », non est verum de iis quae includunt in se contradictionem; sicut mundum fieri ab aeterno eam includit.

Ad undecimum dicendum quod ratio quare Deus hoc facit vel non facit et quare sic vel sic facit potest assignari dupliciter: uno modo sic quod minuat vel tollat libertatem et dominationem Dei respectu talis operis, et talem est impossibile ac blasphemum poni in Deo; alio modo sic quod includat eam, et hoc modo ipsamet libertas et eius honorificentia est summa ratio propter quam omnia debuerunt fieri sicut libere voluit et disposuit et nullo modo aliter. Positio autem aeternitatis mundi hanc rationem tollit, primam vero ponit; et ideo potius debet argui in oppositum. Quando ergo dicitur quod non potest reddi ratio quare mundus inceptus est potius in hoc tempore quam in alio, quia non fuit convenientius quod crearetur in hoc tempore quam in alio: dicendum quod si de convenientia quae sumitur ex parte rei

---

[a] Al. m. [b] Al. m. ex *solo*.

---

[1] *De Genesi ad lit.* IV, 16 (PL 34, 307). [2] L. c.

factae vel fiendae loquatur, verum est, non autem loquendo de convenientia quae sumitur ex parte divinae libertatis et dispositionis; convenientissimum enim fuit quod Deus esset liber in eligendo hoc vel illud tempus, ipso autem [a] eligente [b] alterum illorum convenientissimum fuit quod ita fieret. Si vero dicitur quod saltem secundum hoc non fuit aliqua ratio quare Deus magis elegit hoc tempus quam aliud, quia non fuit convenientius hoc eligi quam aliud: dicendum quod in electionibus rationabilibus [c] non semper oportet quod illud quod eligitur sit magis eligibile seu eligendum quam illud quod relinquitur; sed in quibusdam sufficit quod fuerit aeque bonum et aequaliter eligendum, sicut patet in omnibus aequivalentibus quorum homo non vult nisi unum. De hoc autem in quaestione de libertate voluntatis intellectualis sufficienter, prout puto, est tactum et ideo ibi plenius requiratur.

Ad duodecimum dicendum quod Deus non dicitur non potuisse creare mundum ab aeterno propter expectationem alicuius futuri quo ipse indigeret ad [d] aliquid faciendum, sed solum propter impossibilitatem contradictionis in hoc implicatae; in illis vero quae fecit ex tempore non dicitur exspectasse tempus futurum quasi sibi esset futurum et quasi ipse per quandam spem seu exspectationem tenderet in illud, cum ipse ab aeterno sit praesens omnibus temporibus futuris et praeteritis; non etiam propter adventum alicuius futuri de novo voluit aliquid creare, cum in eo non cadat voluntas nova aut temporalis voluntas, sed ab aeterno voluit et vult quaecunque voluit et vult et voliturus est. — Sed forte dicet [e] aliquis quod tempus hodiernum non potuit a Deo fieri nisi in illo ordine in quo nunc factum est; ex quo sequitur quod non potuerit a Deo fieri, antequam factus sit; et non loquor de ipso absolute, sed solum in quantum est hodiernum. Dicendum quod haec ratio potius est pro nobis quam contra nos, nisi forte apud illos qui blasphemant Deum nihil posse facere novum, ita quod ipse non sit causa immediata huius vel illius diei, quorum error est detestabilis; sed loquendo ad illos qui licet hoc concedant, dicunt tamen quod si Deus non potuit mundum ab aeterno facere, impotens fuit: quaero an hodiernum [f] diem in quantum hodiernum potuerit facere, antequam fecerit; quaero etiam an hunc diem absolute sum-

---

[a] Al. m. mg. [b] V *aligante*. [c] Al. m. mg., macula in *rationabilibus*. [d] Add. interl. al. m. [e] Al. m. mg., del. *dicit;* V *aliquid* pro *aliquis*. [f] Corr. al. m.

ptum potuerit facere ab aeterno. Oportet igitur dici quod ista non posse modo praedicto fieri non est ex impotentia Dei, sed quia contradicit rationi ipsius factibilis; de futuris tamen aut praesentibus diebus dici debet quod totum posse quo Deus potest haec facere, quando illa fecit, habuit ab aeterno et ipsum posse ab aeterno fuit efficaciter praesens huic tempori et eius factioni.

Ad tertium decimum dicendum quod primae propositiones sunt falsae loquendo de actionibus extrinsecis; aeternum enim agens non potest habere actionem extrinsecam nisi finitam et temporalem, et sumo temporale pro omni habente durationem finitam. Si quis vero dicat quod nihil potest dici agens aeternum nisi ab actione aeterna: dicendum quod respectu actionum extrinsecarum Deus dicitur agens aeternum et temporale, sed sub alia et alia ratione; quia aeternum dicitur ratione suae substantiae et virtutis et ratione ordinis quo aeternaliter est ordinatus ad hoc vel illud agendum in tali vel tali tempore; temporale vero agens dicitur, pro quanto actio eius extrinseca seu effectus extrinsecus non manat ab ipso aeternaliter sed ex tempore. Deus igitur respectu actionum extrinsecarum non dicitur agens aeternum quasi actio illa ab aeterno manaverit ab eo, sed quia ipse respectu eius fuit actualissimus ab aeterno; itaque quantum est ex se et ex parte sua, ipse fecit eam in hoc tempore ab aeterno: quod non est aliud dicere nisi quod efficacia divinae causalitatis super hunc effectum fiendum in hoc tempore fuit ita in Deo ab aeterno sicut est in tempore in quo eam facit.

Ad quartum decimum dicendum quod agere secundum modum suae naturae potest intelligi dupliciter: aut scilicet quia agit sicut sibi competit agere aut quia facit actionem vel effectum per omnia habentem modum et naturam agentis. Primo modo propositio est vera, sed tunc ex ea conclusio non sequitur; secundo modo est falsa, et sic inferebatur. Quando ergo dicitur quod causa aeterna agit secundum modum suae aeternitatis, verum est respectu eius quod illa actio ponit realiter in causa aeterna, sed non respectu eius quod ponit in effectu. Quando etiam dicitur quod non facit aliquid, nisi quando aliquid fit ab eo, verum est, quando per le « facere » significatur emanatio ipsius effectus, non autem quando per le « facere » significatur actualis efficacia ipsius esse a qua manat (a) ipse effectus; verum est

(a) Al m. ex *manet*.

tamen quod secundum communem modum loquendi magis proprie significat primum quam secundum.

Ad quintum decimum dicendum quod in impossibilibus per accidens non solum includitur praeteritum, sed etiam omne illud quod includitur in divina causa sub respectu et ordine anterioratus ad tempus praesens. Hoc autem est, quandocunque dicitur aliquid a Deo potuisse fieri antea; sicut enim praeteritum non esse praeteritum [a] habet in se contradictionem: sic et quod aliquid ab isto die in posterum possit esse vel fieri ante diem hodiernum, in quantum est hodiernus; igitur hoc est impossibile, quia in sua ratione simul includit duos ordines successionis [b] sibi contradicentes.

Ad sextum decimum dicendum quod non sequitur: potuit antea fieri, ergo antea fuit aliquod tempus; sicut non sequitur: Deus potuit aliquid facere extra mundum, ergo est aliquod spatium extra mundum. Unde Augustinus, IX *De Civitate*, capitulo 5, dicit [1]: « Nam si infinita spatia temporis ante mundum cogitant in quibus eis non videtur Deus ab opere cessare potuisse, simpliciter cogitent extra mundum infinita spatia locorum, in quibus si quisquam dicat non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit ut innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogantur? »; haec Augustinus. Praeterea, nunquid sequitur: hoc potest fieri in futuro tempore, ergo futurum tempus est actu? absit. Sciendum igitur quod quando dicitur quod hoc potuit fieri antea, duplex potest esse sensus: aut quia scilicet in tali eius factione fuisset sibi data duratio vel existentia habens in se rationem anterioris respectu temporis praesentis aut quia erat aliquod anterius in quo istud potuit fieri. Primo modo est vera et sic non sequitur conclusio; secundo modo est falsa nec aliquis etiam de vulgariter loquentibus propositionem praedictam communiter intelligit nisi solum primo modo.

Ad septimum decimum dicendum quod consimiliter posset argui de punctis continuantibus et de punctis terminantibus partes lineae. Ad hoc igitur potest dupliciter responderi: primo, quod in tempore non est aliquod nunc actu nisi solum in terminis eius per quod est distinctum ab aliis temporibus, et secundum hoc non est dare aliquod nunc continuans praeteritum et futurum. Secundo modo potest dici quod

---

[a] Al m. mg. *n. e. p.* [b] Al. m. mg.

[1] PL 41, 320.

licet nunc non per aliud a se continuet partes temporis, accidentale tamen est sibi quod partes illae actu continuentur ad ipsum; aptitudo igitur continuandi eas est sibi essentialis, sed non ipsa actualis continuatio. Posset etiam dici quod nunc, prout est idem quod continuatio partium temporis, differt a nunc terminabilibus; sicut ipsa continuatio differt ab ipsis terminis, quamvis in hoc conveniant quod utraque sunt indivisibilia.

Ad duodevicesimum dicendum quod relatio nihil ponit realiter nisi illud in quo immediate fundatur; ex modo tamen intelligendi et significandi ponit suum terminum extrinsecum. Dico igitur quod illud quod ponit realiter ordo initialis (a) temporis mundi non debet dici posterioritas, nisi aliquid praecedat; dicimus tamen quod potuit habere rationem posterioris per solam antecessionem alicuius prioris, sicut dicimus quod hic homo per solam humanitatem quam habet potest esse similis (b) omnibus hominibus possibilibus fieri. Potest etiam dici quod sicut non sequitur: praesens est prius futuro, ergo futurum est actu, ita non sequitur: mundus habet rationem posterioris respectu temporum prius possibilium fieri, ergo illa tempora sunt vel fuerunt; realitas enim unius relationis potest aliquando esse sine realitate alterius, sicut patet de voluntate et volito; possumus enim velle aliqua quae nunquam fuerunt vel erunt et etiam multa quae impossibile est esse vel fuisse.

Ad undevicesimum dicendum quod licet secundum modum significandi possibile videatur dici a potentia passiva ipsius possibilis, secundum rem tamen aliquando dicitur possibile a sola potentia causa efficientis. Et hoc modo fuit possibile mundum creari; hoc enim secundum rem non fuit possibile, nisi solum quia Deus potuit mundum creare.

Ad vicesimum dicendum quod Deus fuit prior natura et duratione, sic tamen quod sua duratio per quam fuit prior non est aliud a sua natura; non autem sequitur ex hoc quod in Deo fuerit prius et posterius, quia sua duratio simul est simplex et immensa, et ideo simul est praesens toti ambitui temporis creabilis; alias ita posset argui quod Deus per propriam durationem nullam rem praecedat aut praecedere possit.

Ad vicesimum primum dicendum quod quando dicitur quod mundus in primo nunc suae creationis se habuit

---

(a) Ex *initalis*. (b) Ex *simul*.

aliter quam prius: non hoc dicitur, quasi realiter habuerit prius aliquem modum se habendi alium ab illo quem accepit in creatione, sed solum quia noster intellectus accipit suam non entitatem quasi per modum cuiusdam extremi realis et ac si per modum cuiusdam entis realiter praecessisset esse creatum. Quando [a] etiam dicitur quod omnis mutatio praesupponit subiectum: verum est de mutatione proprie dicta, non autem de mutatione secundum quid et improprie dicta, qualis est creatio quae est idem quod res creata.

Ad vicesimum secundum patet ex iam dictis: quia non omne quod se habet aliter nunc quam prius fuit realiter sub alio modo aliquid realiter ponente, sed sufficit quod secundum modum intelligendi fuerit sub alio modo, eo modo quo dicimus quod non ens est aliud ab ente [b], cum tamen non sit aliud per aliquam alietatem seu differentiam aliquid ponentem in ipso non ente.

Ad vicesimum tertium dicendum quod secundum rem universalia non sunt ubique et semper, sed solum secundum modum intelligendi et sumendo « ubique et semper », potius negative quam positive, per abnegationem scilicet limitationis ad hunc locum et ad hoc tempus seu ad hic et nunc; intelliguntur enim ut abstracta ab omni conditione individuali ac per consequens ut abstracta ab hic et nunc. Veritas autem consequentiarum et propositionum necessariarum est duplex: una est veritas suae significationis, et haec constat quod non est nisi quando sunt ipsae propositiones; alia est veritas sui significati, et haec quidem non semper est aliquid reale, sed semper est intelligibilis et significabilis [c] ab intellectu increato et etiam ab intellectu creato, si tamen ille intellectus est actu; non est autem intelligibilis aut significabilis propter aliquid quod tunc realiter sit in ipsa, sed solum propter vim [d] entitatis et veritatis divinae a qua manat et quam sequitur lux intellectus creati, quando tales veritates intelligit; quamvis dici possit et bene quod intellectus non intelligit eas nisi praesupponendo terminos in quibus fundantur; unde cum dicitur « duo et tria sunt quinque » aut « homo est animal »: sensus est quod ponere actu duo et tria est idem quod ponere quinque et quod ponere actu hominem est idem quod ponere actu animal; de iis autem alibi in suis materiis est amplius tactum.

---

[a] Al. m. mg., del. *quod*. [b] Al. m. ex *ante*. [c] Al. m. mg. *e. s.* [d] Al. m. ex *uus*.

Ad vicesimum quartum dicendum quod non posse nec potuisse aliter se habere potest provenire aut ex aliqua entitate necessaria quam ponit aut quia eius oppositum nec per se nec per alterum potest aut potuit esse tanquam includens in se contradictionem. Primo modo solum est vera propositio prima; secundo modo solum est vera propositio secunda; et ideo conclusio est nulla.

Ad vicesimum quintum dicendum quod praedictae veritates in sua universalitate secundum se et absolute sumptae nullum esse reale habent, sed solum sunt aut in intellectu creato vel increato aut in propositionibus significantibus eas aut in suis particularibus, quando sunt actu; et ideo non est mirum, si secundum se sumptae non habent causam effectivam. Non ergo sunt veritas nisi solum per veritatem intelligentiae eas intelligentis aut per veritatem signi eas significantis aut per veritatem suae existentiae actualis secundum quam sunt factae in suis particularibus in quibus sunt actu (a), quandocunque actu existunt.

Ad vicesimum sextum dicendum quod antequam mundus esset, non fuit verum realiter mundum non esse nisi solum in exemplari aeterno; et ideo non fuit verum veritate creata nec veritate aliqua ponente aliud quam Deum.

Ad vicesimum septimum dicendum quod spatium occupatum a mundo non fuit aliquid reale ante mundum; nec mirum, quia nec modo est aliud realiter differens a mundo et partibus eius, quod ipsimet philosophi pagani concedunt et necessario concedere habent. Propter quod miror quomodo quidam ex eis credunt se ex hoc probare mundi aeternitatem, quasi oporteat poni spatium vacuum, quandocunque poneretur mundus non esse (b) vel fuisse; quia si illud spatium est aliquid realiter differens a mundo et partibus eius, tunc dato quod sine mundo remaneat, adhuc non proprie remanet vacuum, sed potius remanet quoddam ens quod simul erat cum mundo; si vero nihil ponit aliud a mundo, tunc mundo annihilato ipsum est annihilatum.

Ad primum igitur medium dicendum quod mundus sic mutatus esset post spatium illud, non tanquam post aliquid secundum rem actu existens, sed solum tanquam post spatium quod primo fuit. Et quando dicitur quod nihil minus illo occuparet ipsum totum: non est ex hoc quod aliquid actu ponat, sed solum ex hoc quod actu posuit aut ex hoc

(a) Al. m. mg. (b) Ex *esset*.

quod aliquid sibi sic succedere potest quod vere dicetur esse in eodem loco in quo fuit spatium illud. — Si vero instetur quod secundum hoc sequitur quod spatium quod mundus prius occupasse ponitur fuit quoddam spatium praeteritum et localiter differens ab illo spatio quod postea ponitur occupare: dicendum quod in huiusmodi spatio duo includuntur, unum est eius absoluta entitas, et hoc modo adhuc manet cum mundo, cum non sit aliud ab ipso seu a quantitate eius; secundum est eius ordo seu respectus situalis, et hoc modo sicut res mutat alium situm, sic dicitur mutare locale spatium, quod non fit nisi solum transeundo de uno situ in alterum. Quid autem ponat ubi vel esse in loco dimensionaliter alibi habet tradi; nobis enim sufficit quod non ponit aliquid nisi existens in corpore cuius est illud ubi seu illud esse in loco.

Ad secundum medium dicendum quod secundum aliquos idem spatium seu idem locus dicitur esse corporis recedentis et corporis succedentis [a], non propter aliquam realem identitatem spatii intermedii [b] quod ab utroque dicitur fuisse occupatum, sed solum propter identitatem superficiei continentis. Sed contra istos sunt duo: primo, quia superficie continente [c] variata adhuc dicitur locus omnino idem; secundo, quia totus mundus non habet aliquid extra se quod dimensionaliter contineat ipsum; et tamen si alius mundus aequalis succederet ei, diceretur quod secundus est in eodem situ et loco in quo fuit prior mundus et quod occupat illud spatium quod prior mundus occupabat. — Alii dicunt quod non dicitur idem locus nisi solum ratione [d] eiusdem ordinis et respectus ad primam superficiem caeli superni. Sed adhuc contra hoc est secunda ratio immediate praemissa. Praeterea, dato quod Deus annihilaret sola corpora superiora, ita quod non remanerent nisi sola inferiora: constat quod ex hoc inferiora non mutassent locum nec illud quod realiter ponit in eis ubi seu esse in loco esset propter hoc variatum; ergo adhuc essent in suo loco sicut prius et tamen non haberent tunc eundem ordinem ad caelum quem prius habebant, quia non est idem ordo entis ad non ens qui est entis ad ens. Praeterea, si est idem ordo vel idem respectus: ergo idem est subiectum et eadem essentia fundamentalis ipsius respectus; sed omnibus corporibus intermediis mutatis per varia loca

---

[a] Al. m. mg. *e. c. s.* [b] Al. m. ex *intermodii.* [c] Al. m. mg. [d] Al. m. ex *ratio.*

non potest dici quod ordo prioris situs seu loci eorum maneat in eodem subiecto aut quod in diversis subiectis sit idem numero. — Propter quod videtur aliis quod licet spatium locale, prout respectu diversorum corporum sibi invicem in illo succedentium dicitur esse idem, non dicat aliquid reale secundum se, dicit tamen aliquid potentiale seu ordinabile respectu primae causae et respectu rerum emanantium ab ea; sicut enim videmus quod licet quidditas creabilium nihil sit nisi in sua causa, nihilominus sic sunt in sua causa (a) quod non potest fieri illud idem quodcunque aliud faciendo; et sicut videmus quod licet species numerorum actu non existentium nihil ponant secundum se, nihilominus Deus non posset facere aliquam earum, nisi haberet ordinem suae speciei competentem, utpote non potest fieri ternarius qui transcendat binarium nisi in sola unitate aut qui distet a quaternario nisi solum uno gradu. Sic, ut dicunt, non potuit Deus facere tempora nisi solum in ordine quem ratio eorum includit; unde diem hodiernum in quantum hodiernum (b) non potuit facere prius vel posterius nec diem hesternum (c) in quantum hesternum (d) potuit facere in die hodierno, quia hoc esset contra rationem hesterni (e); licet enim realem essentiam temporis praeteriti aut cuiuscunque alterius posset facere hodie, non tamen sub ratione prioris vel posterioris temporis. Iuxta hunc ergo modum dicunt quod sic sunt apud Deum omnes ordines situum seu locorum quod ordo unius situs nullo modo potest in alio ordine situum collocari; unde situm caeli sub illo ordine quem nunc habet non posset alibi collocare. Est autem hic unum mirabile quod licet iste ordo respectu eorum in quibus fundatur non sit realiter idem, habet tamen quandam identitatem quantum ad rationem ordinandi et referendi; quia omnino eodem modo refertur et situaliter ordinatur corpus succedens corpori sicut illud cui succedit erat situaliter ordinatum; et ideo tam imaginatio quam intellectus eam sequens accipiunt illum ordinem situalem amborum corporum ac si esset realiter unus ordo et unus situs numero; et haec est fortissima ratio quae induxit homines ad opinandum vacuum esse. Et secundum hoc potest (f) dici quod corporum sibi succedentium non est idem locus nisi modo praedicto, sed ex tali identitate non sequitur conclusio. Cui autem hoc non placet, sciat quod haec difficul-

(a) Al. m. mg. *nihilominus... causa.* (b) Corr. al. m. (c) Corr. al. m. (d) Al. m. mg. *i. q. h.* (e) Corr. al. m. (f) Ex *poss.*

tas valde indirecte adducitur ad probandum mundi aeternitatem; non enim ex ea directe probatur, nisi quod vacuum est et fuit ab aeterno, ita quod mundus est collocatus in quodam spatio differente ab ipso, ita quod illo existente eodem corpora mundi sibi in eo succedunt. Et eadem ratione probatur quod est extra mundum vacuum infinitum, sicut quidam posuerunt ex praefata ratione seu imagine decepti.

Ad tertium medium patet ex iam dictis: non enim est alia invariabilitas in eo nisi invariabilitas ordinis situalis talis vel talis quae non est ponenda nisi iuxta modum praedictum aut iuxta aliquem priorum modorum aut aequivalentium illis.

Ad primum autem secundae quaestionis dicendum quod prima non est vera, nisi ibi quaedam determinatio subintelligatur, scilicet quod effectus statim potest poni pro quocunque tempore pro quo causa est sufficiens ad illud faciendum; Deus autem non fuit causa sufficiens ad faciendum mundum ab aeterno, licet ipse sit et fuerit ab aeterno, quia hoc non dicit causalem sufficientiam sed potius deficientiam. Alias posset eadem ratione inferri quod tota successio temporum quorumcunque [a] Deo possibilium potuit simul fieri ab aeterno; quia totam potentiam quam habet Deus respectu illorum vel habiturus est habuit ab aeterno; ex hoc autem sequeretur quod Deus potuit facere contradictoria simul et [b] ab aeterno; quia constat quod utraque pars contradictionis potest ab eo fieri successive, ita quod una pars fiat prius et altera posterius.

Ad secundum dicendum quod haec, scilicet « Deus non potuit mundum ab aeterno creare » est duplex; quia hoc quod dico ab aeterno, potest determinare hoc verbum « potuit » vel hoc verbum « creare ». Primo modo est falsa, secundo modo est vera; quia Deus ab aeterno potuit mundum creare in certo initio temporis huius vel illius. Ex primo autem modo inferebatur conclusio et non ex secundo et ideo non valet.

Ad tertium dicendum quod non est mirum, si ex antecedente includente contradictoria potest inferri consequens includens contradictoria. Quando autem ponitur ignis ab aeterno, duo ponuntur sibi invicem contradicentia, scilicet quod sit quoddam naturale agens necessitatum seu necessario se habens ad effectum sibi coaevum seu ad effectum sine

---

[a] Ex *quocunque*. [b] Al. m. mg.

medio temporis producendum; et praeter hoc ponitur quod sit aeternum. Ex primo autem sequitur quod fiat effectus sibi proportionalis et coaevus; ex secundo autem sequitur quod fiat effectus aeternus seu [a] ab aeterno. Augustinus autem non posuit illam consequentiam nisi solum ratione primi, dixit enim hoc ad ostendendum quod Deus potuit Filium qui est splendor gloriae eius gignere coaeternum. — Rursus dicendum quod non est simile, quia longe alia est proportio ignis ad suum splendorem et Dei ad creaturam; illa enim est proportio finiti ad finitum et germinis naturalis ad suam naturalem originem, ista vero est finiti [b] ad infinitum [c] et temporalis ad aeternum et artificiati ad artem et artificem per quem [d] est factum. Quamvis ergo Deus sit agens supernaturale, creatura tamen non est capax coaevitatis [e] ad eum, sicut splendor est capax coaevitatis ad ignem. Unde sicut non valet, quando dicitur « homo potest generare alium hominem sibi coaequalem, ergo Deus, cum sit potentior, potest generare alium Deum sibi coaequalem » : ita nec in proposito praefata consequentia valet.

Ad quartum dicendum quod si Deus non posset ab aeterno mundum creare in aliquo initio temporis et postea posset, fuisset mutatus. Prima ergo propositio est duplex et fallit per compositionem et divisionem [f], quia li « ab aeterno » et li « postea » vel li « postmodum » possunt construi cum li « potuit » aut cum li « creare ». Primo autem modo [g] sequitur conclusio, non autem secundo modo.

Ad quintum dicendum quod sicut ex praedictis patet, haec veritas non est in dehonorationem divinae potentiae, sed potius in exaltationem; quia ex hoc non dicitur aliud nisi quod tanta est quod non potest deficere nec aliquid diversum a se facere sibi coaequale aut in aliquo sibi commensuratum.

Ad sextum dicendum quod prima propositio vera est pro toto tempore pro quo res est factibilis, non autem pro illa duratione pro qua nunquam est nec fuit factibilis.

Ad septimum dicendum quod licet non sit dare aliquod tempus ante quod Deus non potuerit mundum creare, nihilominus nunquam fuit dare infinitum tempus Deo possibile in quo mundus sine initio potuerit creari; sicut quamvis Deus nunquam possit facere aliquod tempus futurum,

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Corr. al. m. [c] Al. m. ex *finitum*.
[d] V *quam*. [e] Corr. al. m. [f] Al. m. mg. [g] Al. m. ex *modo autem*.

quin post illud possit aliud facere et sic in infinitum, non tamen potest facere actu infinitum. Quando ergo dicitur quod Deus potuit hoc facere pro toto tempore sibi possibili, intelligendum est hoc distributive non collective; quia nec totum tempus sibi possibile fuit unquam sic sibi possibile quod sub una totali continuatione posset totum ipsum facere; cuius ratio et explicatio in quaestione de infinito plenius patuit.

Et per hoc patet ad octavum: quia quando dicitur quod omnium temporum Deo possibilium potest quodcunque vult eligere, non tamen ex hoc sequitur quod possit totum simul eligere; et multo minus sequitur quod non sit dare initium cuiuscunque determinati temporis quod ipse determinate potuit eligere, licet omnium confuse et indeterminate et collective sumptorum non sit dare initium. Nec mirum, quia nec ipsa possunt sic poni in re, quia ut sic sumpta non habent rationem unius entis nec unius intelligibilis, sicut in quaestione de infinito fuit ostensum.

Ad nonum dicendum quod licet habere principium effectum ex prima significatione nominis non contradicat ei quod est non habere initium durationis, implicite tamen et ex consequenti multipliciter [a] ei contradicit; sicut superius est probatum.

Ad decimum dicendum quod in aeternitate durationis successivae includuntur contradictoria, ita quod partim includitur ibi ratio creata et partim ratio increata [b] et partim ratio purae confusionis seu absolutae impossibilitatis. In quantum enim ibi [c] ponitur esse successio et haec rei creatae ponitur ibi ratio creata; in quantum vero ponitur aeternitas carens initio, ponitur ratio increata; in quantum vero ponitur quid non intelligibile aut in quantum ponitur ibi confusio contradictionum, ponitur ratio simpliciter et absolute impossibilis. — Quando ergo Boethius dicit quod ponendo aeternum tempus non [d] ponitur aeternitas Deo aequalis: verum est pro illa parte pro qua includit successionem, non autem pro illa pro qua includit carentiam initii; et quod Boethius [e] solum hoc dicat ratione successionis ex verbis eius patet aperte. — Quod autem dicitur quod tempus infinitum dicit rationem eiusdem generis cuius est [f] tempus finitum: verum est, pro quanto dicit rationem temporis, sed non pro

---

[a] Ex *mulpliciter*. [b] Al. m. mg. *e. p. r. i.* [c] Al. m. mg. [d] Al. interl. al. m. [e] Sequitur ras. et lac. [f] Al. m. mg.

quanto dicit rationem infiniti in actu; nec mirum, quia in quantum tale non dicit rationem entis.

Ad undecimum dicendum quod eo modo quo tempus fuit possibile fieri et esse eo modo naturae rerum potuerunt fieri in omni tempore possibili; tempus autem infinitum nunquam est vel fuit possibile sic quod totum esset aliquando factum; aliud est enim dicere quod nunquam sub aliquo certo numero est dare tot tempora quin Deus possit plura et aliud quod ipse potuerit facere quod fuerint infinita aut quod potuerit ea facere sine initio.

Ad duodecimum dicendum quod sicut ex praedictis patet, infinitas per successionem iam facta non minores includit contradictiones quam infinitas creaturae actu existens, immo quodam modo plures; et ideo minor (a) illius rationis est falsa.

Ad tertium decimum dicendum quod (b) maior est duplex; quia illa adverbia, scilicet « simul vel successive », possunt determinare hoc verbum « potuit » aut hoc verbum « facere » quod ibi intelligitur. Primo modo est vera, secundo autem modo est falsa; quia tunc Deus posset facere simul contradictoria esse, sicut potest facere illa esse successive. — Minor etiam non est vera, nisi sit sensus quod potest successive facere infinita, id est, in (c) infinitum; non enim potest per quamcunque successionem facere quod infinita sint aliquando facta.

Ad quartum decimum dicendum quod prima non est universaliter vera, sed debet dici quod vel provenit ex defectu potentiae agentis vel ex summa veritate et actualitate potentiae agentis; quod enim Deus non possit impossibilia contradictionem in se includentia non est ex (d) defectu potentiae, sed potius ex summa veritate et entitate potentiae. — Minor etiam indebite assumitur; quia non est omnino idem dicere quod impossibilitas aeternitatis mundi nihil ponebat realiter nisi in Deo et dicere quod eius impossibilitas non pendebat nisi a Deo; quia etiam ex ipsa contradictione terminorum pendebat quae nihil ponit in Deo tanquam in causa eius; quia non dicit rationem entis, sed potius non entis et non factibilis.

Ad quintum decimum dicendum quod maior est falsa, nisi « scire » sumatur prout est commune ad certitudinem

---

(a) Ex *maior*. (b) Al. m. mg. (c) Add. interl. al. m. (d) Add. interl. al. m.

intelligentiae et ad certitudinem fidei divinae. — Minor etiam est falsa, sicut patet ex rationibus supradictis. — Ad primum autem quod pro ea inducitur dicendum quod idem potest sciri per rationem demonstrativam et fide certa teneri; quia non omnis claritas cuiuscunque demonstrativae scientiae est incompossibilis cum fide, sicut alibi est per sanctos et per rationem probatum. Et quando Apostolus dicit quod « *Fides est argumentum non apparentium* », non dicit hoc de quacunque non-apparentia, sed solum de illa quae negat apparentiam visionis praesentialis sic absorbentis facultatem intellectus quod nullo modo potest dissentire a veritate sic visa. — Ad secundum dicendum quod utroque modo potest hoc sciri et scitur, scilicet per causam et per quidditates rerum creatarum; sicut patet ex rationibus supra scriptis quarum quaedam sumuntur ex parte potentiae divinae quae est causa rerum, quaedam vero ex parte limitationis quam includit ratio omnis creaturae. Licet autem voluntas Dei non possit absque revelatione sciri in iis quae aequaliter potest velle et nolle, potest tamen per rationem naturalem sciri in iis quae necessario habet velle vel nolle, utpote quod vult esse Deus et quod non potest velle peccatum nec peccare nec velle facere contradictionem. Licet etiam quidditas rei creatae non limitetur ad hoc vel illud tempus, limitatur tamen ad tempus finitum; sicut, licet ratio trianguli vel quadrati non limitetur ad hanc vel illam quantitatem, limitatur tamen in genere ad quantitatem finitam.

QUAESTIO VI.

Sexto post hoc [a] quaeritur an sint plures mundi vel solum unus et an sit possibile plures mundos esse.

Circa hoc Aristoteles, libro *De caelo et mundo*, dicit [1] quod non possunt esse plures.

Cuius praecipua ratio est [2]: quia tota materia et [b] forma caeli et mundi seu universi est sic tota et totaliter in caelo et in ipso mundo quod non potest alia vel amplior esse vel excogitari, etiam a Deo. — Secunda est [3]: quia

---

[a] Add. interl. al. m. *p. h.* [b] Al. m. mg.

---

[1] *De caelo*, I, 8, 9, 276a 18 sqq. [2] L. c., I, 9, 278a 25 sqq. [3] L. c., I, 9, 279a 11 sqq.

oporteret dare vacuum inter hunc mundum et alium, sive alter esset sphaericus sicut iste sive non; esset enim aliquod spatium inter aliquam partem huius et aliquam alterius nullo corpore repletum. — Tertia est [1]: quia terra alterius mundi moveretur ad centrum huius mundi et ignis illius ad supremam circumferentiam huius mundi. Quod probatur: quia propria passio necessario sequitur totam speciem; sed propria passio terrae huius mundi est moveri ad centrum terrae huius mundi; ergo idem competit omni terrae, ubicunque sit. — Quarta est [2]: quia si essent plures mundi ac per consequens et plures caeli primi, tunc essent plura tempora simul; quia quodlibet haberet suum proprium tempus; primum enim et proprium subiectum motus dicit in libro *Physicorum* suorum [3] esse primum motum caeli.

Omnes autem hae rationes sunt falsae et ridiculosae. Et ultra hoc, prima est haeretica et in Deum blasphema, nam ponit Deum ac si truncum, id est, ita curtum et limitatum et imbecillem [a] ut non possit excogitare maiorem quantitatem quantitate huius mundi nec aliam numero nec possit cogitare alias species et individua a speciebus et individuis huius mundi. Nec mirum: quia et posuit Deum [b 4] quicquid fecit [c] necessario fecisse, et ideo ponit quod ab aeterno fecerit mundum et quod aliter facere non potuerit, nisi sicut fecit; et secundum quosdam posuit quod Deus nihil effective fecit in substantia huius mundi, sed solum [d] movet intelligentias quae post ipsum [e] per modum primi desiderati, id est, per modum obiecti motivi et per modum causae [f] finalis moventur [g] et illae sic affectualiter motae movent localiter caelos, et per illum motum sic vult moveri et regulari omnia inferiora quod impossibile sit, etiam Deo, nisi per intermedium motum caeli aliquod de iis moveri.

---

[a] Corr. al. m. [b] Al. m. mg. [c] Al. m. ex *facit*. [d] Al. m. mg. [e] V *ipsam*. [f] Al. m. [g] V om.

---

[1] L. c., I, 8, 276b 4 sqq. [2] L. c., I, 9, 279a 11 sqq. [3] Lib. VIII, 7-9 260a 20 sqq.; IV, 14 223b 12 sqq. [4] Hic iterum Olivi non genuinum sed neoplatonismo corruptum Aristotelem prae oculis habuisse videtur; secundum probabiliorem interpretationem Stagirita de creatione et gubernatione mundi per Deum silet: *Metaph.*, XII, 7, 1072a 19 sqq.; XII, 9, 1074b, 17 sqq.; *Eth.*, X, 8, 1178b 7 sqq.; *De caelo*, II, 12, 292a 22 sqq.

Et certe verba eius VIII *Physicorum* [1] et XI *Metaphysicae* [2] hoc sonare videntur; nam eodem [a] XI nititur probare quod Deus nihil aliud a se intelligat, tum quia cum omne cognoscens perficiatur a cognito, oporteret eum perfici ab alio a se, tum quia melius est quaedam non videre quam videre, puta stercora et hominum verenda, foeda et foetida. Ecce qualem Deum ponit et qualibus principiis sua dicta fulsit! Et quidem non miror de homine pagano et idolatra et ab idolatris genito et nutrito. Sed hoc est nimis stupendum quod Christiani, professione theologi et etiam religiosi, sic aestimant et quasi adorant dicta istius in iis quae ad materiam theologicam vel metaphysicam seu supernaturalem spectant.

Secunda autem ratio de vacuo patet ex dictis in praemissa quaestione de mundi aeternitate. — Praeterea, quare inter duos mundos et caelos eorum non posset poni tantum corpus quod omnem intermediam vacuitatem repleret?

Tertia vero de motu terrae ad centrum huius mundi est nimis ridiculosa; tum quia naturalis inclinatio ad locum certum ad quam sequitur motus ad talem locum praesupponit specialem colligantiam corporum in aliquo universo, et potissime quando inclinat ad locum relativum, quale est centrum vel circumferentia, quia centrum dicit respectum medii respectu suae sphaerae et circumferentia dicit respectum sphaericae reflexionis circa suum centrum, unde quaecunque terra per se solam absque omni altero corpore poneretur, ad nullum centrum alicuius caeli vel mundi inclinaretur; tum quia si motus caeli cooperatur ad motum inferiorum, tunc eo ipso quo haec terra poneretur infra caelum alterius mundi moveretur per motum et influxum illius ad eius centrum; tum quia dato quod caelum et ignis et terra alterius mundi per aliquas essentiales differentias differrent [b] ab istis, nullum inconveniens esset; tum quia Deus potest terrae auferre suam gravitatem tanquam sibi accidentalem, posset etiam sibi dare aliquam specialem inclinationem ad centrum mundi in quo statueret eam.

Quarta vero ratio de pluritate temporum in quaestionibus de tempore et aevo satis est exsufflata.

---

[a] Al. m. ex *eadem*. [b] Al. m. ex *different*.

---

[1] Lib. VIII, 6-9, 258b 10 sqq.; v. g. VIII 6, 258b 10 sqq.; 259a 15 sqq.; VIII, 7, 260a 24 sqq.; VIII, 8, 261b 27 sqq.; VIII, 9, 266a 6 sqq.
[2] Lib. XII, 7, 1072a 26 sqq.; XII, 9, 1074b 21 sqq.

Quidam vero alii [1] dixerunt quod quia ab uno non potest esse nisi unus mundus, ideo ab uno Deo non potest esse nisi unus mundus.

Sed haec ratio insanit dupliciter: Primo, quia ponit quod ab uno non possit esse nisi unum, cum ab eadem potentia voluntatis possint [a] esse opposita velle et unus intellectus possit innumeras et diversissimas cogitationes formare; quanto ergo magis unus Deus in omni perfectione immensus hoc potest. — Secundo insanit, quia eo ipso quo ponit unum mundum esse a Deo ponit multa numero et specie et genere esse a Deo, quia in uno mundo multa talia continentur.

Dicendum ergo quod Deus non posset facere plures mundos nullum unum universum constituentes, non quia hoc absolute contradicat rationi entis vel scibilis, sed quia hoc contradicit relativae rationi ordinis Deo et suo operi condecentis. Cum enim omnia irrationalia debeant [b] ad naturam rationalem tanquam ad suum finem coordinari et etiam ad invicem, sicut entia et opera unius summi boni, multitudo autem personarum rationalium debeant se invicem in unum Deum amare et in omnibus et ex omnibus unum Deum laudare: nequaquam potest a Deo decenter et ordinate fieri multitudo naturarum personarum rationalium nisi sub connexione ex ordine perfectissimae et pulcherrimae unitatis. Unde et articulus catholicae fidei est quod una est Ecclesia generalis tanquam una Christi columba et sponsa et tanquam unum corpus unius capitis. Ultra hoc autem tenet fides quod totum humanum genus est ab uno primo homine in quo omnes peccaverunt et quod omnes ex ipso electi et eligendi sunt et erunt unum corpus unius capitis Christi a quo sunt redempti et cuius uno spiritu vegetantur et iustificantur; ex hoc autem sequitur nullum hominem esse nisi in hoc mundo. Cum etiam auctoritas prophetica et apostolica clamet quod Christi fides erat omnibus gentibus praedicanda et Christi Ecclesia in toto orbe fundanda: patet non esse hominem mortalem et viatorem nisi in ea parte terrae habitabili per quam Ecclesiae praedicatio et primi hominis propagatio potuit currere et diffundi. — Et hoc ad praesens sufficiat pro quaestione ista.

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. ex *irationalia deboant.*

---

[1] Sunt Neoplatonici Graeci et Arabes, cfr. speciminis gratia « *Liber de causis* » (ed. Bardenhewer, Friburgi Br. 1882).

Deinde quantum ad generales rationes entis et esse creati quaeruntur novem.

QUAESTIO VII.

Primo [a] quaeritur utrum in aliquo ente [b] sint diversae rationes reales nullam habentes inter se differentiam realem.

Et [c] quod non videtur.

1. Pluralitas et diversitas vel quaecunque distinctio non possunt alicui vel aliquibus realiter convenire, quin [d] ibi sit aliqua distinctio vel pluralitas essentiarum vel personarum; si in quocunque ponuntur diversae rationes reales, ibi eo ipso ponitur diversitas realiter aliquibus convenire; ergo et cetera.

2. Item, quaecunque res vel rationes [e] nullam habent inter [f] se penitus diversitatem realem [g], ipsae sunt necessario unius et eiusdem rationis omnino, cum idem [h] et diversum dividant totum ens per immediata et consimiliter unum et multa; si ergo huiusmodi rationes nullam habent inter se differentiam realem, ergo sunt omnino unius et eiusdem rationis et ita non sunt plures rationes, sed solum una ratio.

3. Item, istae rationes, in quantum sunt tales rationes [i] seu in quantum ponuntur [k] esse rationes diversae, aut dicunt aliquid aut nihil. Si aliquid, ergo ibi est dare aliqua plura et diversa, et ita [l] non solum erunt ibi rationes diversae, sed etiam essentiae diversae [m]; si nihil, ergo de nihilo fit quaestio, et [n] quando dicitur quod ibi sunt plures rationes, non est [o] aliud dictu quam ibi sunt plura nihil.

4. Item, ratio in quantum ratio non [p] dicit aliud quam essentia [q], et si aliud diceret, tunc diceret omnino nihil; ergo impossibile est dare plures rationes reales, quin eo ipso dentur [r] plures essentiae.

---

[a] B^7 om. [b] B^7 om. [c] B^7 *vel.* [d] Ita B^7, V *qui.* [e] B^7 om. *r. v. r.* [f] Al. m. mg. [g] B^7 *essentialem.* [h] Ex *eidem.* [i] B^7 om. [k] B^7 *ponunt.* [l] B^7 *ergo* pro *e. i.* [m] Al. m. mg. *sed... diversae.* [n] Sequitur lac. et ras. [o] B^7 *erit;* in ras. *aliud.* [p] B^7 add. *quod.* [q] B^7 *essentiam.* [r] B^7 *dicantur.*

5. Item, ratio et definitio idem sunt, et unius rei non potest esse nisi una definitio; ergo et cetera.

6. Item, impossibile est aliquam essentiam creatam aequari [a] divinae essentiae [b] in aliqua proprietate; sed si essentia creata potest habere realiter [c] plures rationes absque omni differentia, aequabitur [d] in hoc simplicitati et unitati divinae essentiae, cum hoc videatur solius divinae essentiae proprium; ergo et cetera.

7. Item, qua ratione possunt ibi esse duae rationes sine differentia reali, eadem ratione et infinitae secundum modum quo arguit Aristoteles [1] quod si plura corpora possunt esse in eodem loco [e], eadem ratione et infinita; non enim per aliam rationem repugnat unitas essentiae [f] infinitis rationibus quam solis duabus; sed impossibile est infinitas rationes reales esse in aliqua essentia creata absque omni differentia reali, quia talis essentia esset infinitae simplicitatis et immensitatis; ergo et cetera.

[Respondeo]

Ad quaestionem istam fuit quorundam [g] excogitatio potius quam opinio qui, propter varios modos defensionum [h] fidei et subtilitatum circumstantium articulos eius, varios modos in arduis difficultatibus absque assertione temeraria consueverunt excogitare; qui dicebant quod non solum in Deo, sed etiam [i] in rebus creatis videntur esse plures rationes reales absque omni differentia. Vocant autem rationem realem ad differentiam rationum quae in solis modis intelligendi consistunt, sicut est ratio universalitatis quam intellectus attribuit naturis rerum absque earum individuatione [k] apprehensis et sicut sunt [l] relationes secundum dici quae in neutro extremorum aut saltem in altero eorum nihil ponunt, ut laudari et amari passive accepta nihil ponunt in [m]

---

[a] Ita B^7, V *aequare*. [b] B^7 om.; V add. *nisi*. [c] Ita B^7, V *naturaliter*. [d] Ita B^7, V *aequaliter*. [e] B^7 om. *eadem... loco*. [f] Al. m. ex *ossentiae*. [g] B^7 add. *aliquando*. [h] B^7 *defensionis*. [i] B^7 om. [k] B^7 *indivisione*. [l] Ex *sint*. [m] Al. m. ex *ex*.

---

[1] Aristoteles nullibi hoc dicere videtur; forte auctor dictum Aristotelis — sicut saepe facit — quod duo corpora in eodem loco esse nequeunt inepte interpretatus est: δύο ἐν τῷ αὐτῷ σώματα τόπῳ ἔσται.. ἔστι δὲ καὶ τοῦτο ἀδύνατον (*De gener. et corr.*, I 5, 321a 8 sq.); idem, *De anima*, II, 6, 418b 17. Pluries auctor ad hoc effatum Aristotelis provocat, sed alio et alio modo modificat et applicat.

ipso laudato et [a] amato. Ad differentiam igitur istarum vocant rationes reales illas [b] quarum veritas plenarie [c] est in re, ita quod ex modo intelligendi vario non attribuuntur [d] rebus, sed potius ex ipsa natura et veritate reali, ut verbi gratia rationale habet rationem entis et rationem formae et rationem talis formae per quam differt ab irrationali et habet in se rationem veri et boni et rationem partis; et omnes hae rationes essentialiter sibi competunt et in ipso esse naturaliter consistunt. — Quia autem iste modus excogitandi in diversis difficultatibus locum habet, utpote in divinis, in materia de ideis; et in materia de pluribus perfectionibus attributis divinae essentiae, utpote quomodo sit simul simplex et infinitis perfectionibus plena; et in materia de pluralitate personarum, originum [e] et relationum in essentia; et in materia de Dei [f] aeternitate, quomodo scilicet simul attingat praeterita, praesentia et futura; et in materia de voluntate, quomodo scilicet potuit velle quod non vult et e contrario; et in materia de Dei visibilitate, quomodo scilicet [g] Deus totus videatur a beatis et non totaliter et quomodo plus ab uno quam ab alio, et ita fere in omnibus materiis divinis. — In creatis vero [h] locum habet in materia de proprietatibus annexis enti, ut sunt individuatio, unum, verum, bonum et consimilia; et in materia de distinctione praedicamentorum, an scilicet necessario dicant semper essentias diversas, an aliquando sufficiat [i] quod dicant solum diversas rationes reales; et in materia de unitate vel [k] diversitate formarum, an scilicet ratio seu natura generis et ratio differentiae sint semper diversae formae vel essentiae formales; et in materia de speciebus accidentium, an videlicet essentiae eorum [l] sint semper compositae ex natura generis et ex natura differentiae vel universaliter sint quantum ad hoc simplices; et in materia de aevo, an scilicet possit ibi esse successio [m] absque innovatione; et in materia de motu, an scilicet motus sit idem quod forma quae per motum dicitur educi et an actio et passio sint idem vel diversa secundum rem; et in materia de natura et supposito et de essentia et esse, quomodo scilicet inter se differant et quomodo non; et de forma et eius inhaerentia, an scilicet

---

[a] B^7 *vel.* [b] B^7 *ipsas.* [c] Al. m. ex *plonare.* [d] B^7 *attribuunt.* [e] Ex *origiinum.* [f] Ita B^7, V om. [g] B^7 *utpote.* [h] Ras. et lac. [i] B^7 *sufficiant.* [k] Ras. [l] Ita B^7, V *earum.* [m] Ita B^7, V *successive.*

eius inhaerentia vel informatio sit idem penitus cum ipsa vel non; et in materia de potentiis animae, an scilicet sint omnino eaedem inter se et cum essentia animae vel omnino diversae vel partim sint [a] partim non; et consimiliter in quaestione de potentia materiae, an scilicet potentiae eius sint omnino eaedem cum [b] ipsa; et in quaestione, an materia habeat diversas species et differentias vel sit eiusdem speciei et eadem numero in omnibus; et in materia de actibus intellectus et aliarum cognitivarum, an scilicet actus sit idem quod species vel non; et in materia de habitibus virtutum et gloriae, an scilicet idem habitus simplex possit secundum idem sui se extendere ad plura et pauciora [c], sicut a multis communiter dicitur quod per unam speciem gloriosam habentem in se vim plurium specierum videntur omnia quae videntur [d] in Verbo. — Habet etiam locum in omnibus operationibus seu effectibus Dei, ut in materia de creatione, an creatio passio sit idem quod creatura; et an conservatio sit idem quod creationis sive factionis continuatio seu reiteratio; et universaliter an dependentia qua omnis creatura dependet a creatore et tendentia quam habet [e] ad ipsum ut ad finem ultimum et similitudo qua ipsum imitantur addant aliquid super essentias creaturarum; et in materia de transubstantiatione, an scilicet conversio panis in corpus Christi addat aliquid realiter ad corpus Christi; et in materia de efficacia et [f] significatione sacramentorum, quid [g] scilicet sit actualis significatio et actualis virtus eorum. — Et consimiliter habet locum in materia de signis a beneplacito hominis institutis, an scilicet actualis significatio addat aliquid ad substantiam ipsorum signorum [h] vel non. — Et consimiliter habet locum in tota materia iuris, an scilicet iurisdictio regalis vel sacerdotalis vel iurisdictio cuiuscunque dominii vel proprietatis addat aliquid ad personas in quibus est huiusmodi iurisdictio vel ad res super quas habetur. — Habet etiam locum in materia de negationibus et privationibus quae quamvis de se et secundum se nihil ponant, sunt tamen aliquo modo realiter in propriis [i] substantiis; unde et videntur tenere locum medium inter rationes quae solum sunt in intellectu et inter rationes reales [k] quae dicunt aliquid po-

---

[a] B⁷ add. *et.* [b] B⁷ *idem quod* pro *e. c.* [c] Ita B⁷, V *pauca.* [d] Ita B⁷, V *vident.* [e] Ita B⁷, V *habent.* [f] Add. interl. al. m., B⁷ om.; B⁷ *significationum.* [g] B⁷ *quae.* [h] Ita B⁷, V *significatorum.* [i] B⁷ *puris.* [k] Ex *realea.*

sitivum reale. Valet ergo [a] hic modus ad videndum quomodo istae negationes in suis substantiis realiter fundentur, quamvis nihil essentialiter diversum addant ab ipsa; unde in quaestione, an expulsio culpae praecedat naturaliter infusionem gratiae vel [b] e contrario vel an sint [c] penitus idem et naturaliter simul sola ratione differentia; et in quaestione, an generatio unius formae sit idem quod corruptio alterius et e contrario et an corruptio [d] prioris formae sit prior naturaliter generatione formae sequentis vel e contrario.

Non modicum valet perscrutatio [e] modi praesentis, quia, inquam, in tot materiis locum habet. Idcirco qui vult istum modum plenius videre, oportet eum in speciali attendere ad omnes materias praedictas; unde et ego sparsim [f] in qualibet istarum materiarum aliquid de isto modo tetigi seu recitavi. Et quamvis in nullo praedictorum locorum ipsum asseram aut asserere intendam, sed solum occasionem [g] dare animadvertendi an iste modus possit aliquid valere ad defensionem et explicationem subtilitatum nostrae fidei: non est tamen inutile recitare aliquas ratiunculas quae videntur facere pro ipso; posito enim quod modus iste sit falsus, eius tamen plenior inspectio multum iuvare poterit ad inspiciendum opinionem de hoc communem quam postea recitabo.

Potest igitur argui ad istum modum.

Primo ex istarum rationum factione et destructione seu ex earum additione et separatione. Si enim inter se essentialiter differunt, impossibile est quod factio unius sit per se idem quod factio alterius aut quod destructio unius sit per se [h] destructio alterius. Posito autem [i] quod a Deo non fiat aliud nisi ratio unitatis et [k] veritatis et consimilium: eo ipso facta est aliqua essentia, alias nihil penitus esset factum. Et patentissimum est [l] cuivis intuenti [m] quod impossibile est fieri quamcunque huiusmodi rationum, quin eo ipso fiant omnes, ita quod factio unius est idem quod factio omnium aliarum [n] et destructio unius est destructio omnium; facere enim unitatem est facere bonitatem et veritatem [o] et entitatem, et consimiliter facere entitatem erit [p] facere praedicta et sic de aliis. Et

---

[a] B⁷ *igitur.* [b] Sequitur ras. et lac. [c] Ita B⁷, V *sit.* [d] Ita B⁷, V *corruptitio.* [e] Ex *perstrutatio.* [f] B⁷ *semper;* al. m. *ego* et *in.* [g] B⁷ *occasiones.* [h] B⁷ om. *p. s.* [i] B⁷ *enim.* [k] B⁷ *aut.* [l] B⁷ om. [m] B⁷ *inspicienti.* [n] B⁷ *aliorum.* [o] B⁷ om. *e. v.* [p] B⁷ *est.*

idem est de ratione formae generali et absoluta et de ratione suae individuationis per quam est haec forma; facere enim naturam formae est idem quod facere eam individuam. Et breviter, detur quaecunque forma simplex, utpote differentia rationalis: facere eam est facere omnes rationes quae de ea essentialiter praedicantur. Quando enim fit rationalitas, fit ratio formae per quam differt a materia et ratio substantialis per quam differt ab accidente et [a] ratio talis formae per quam huiusmodi forma [b] differt ab irrationabilitate et ratio suae individuationis per quam differt [c] a quacunque alia rationalitate; et tamen in factione eius non est dare plures factiones integrantes unam totalem factionem eius. In factione etiam eius fit ratio entis per quam differt a non ente et ratio unius per quam differt a multo vel a non uno et ratio veri per quam differt a falso vel a non vero et sic de aliis: et tamen nemo dicet quod dare sibi rationem entis sit aliud quam dare sibi se ipsam; facere enim [d] relationes non est aliud quam facere illa in quibus fundantur, sicut suo loco plenius est [e] ostensum. — Praeterea, si huiusmodi rationes dicunt essentias diversas, tunc Deus poterit separare unam ab altera saltem dando consimilem, sicut potest separare formam a materia dando sibi aliam [f]; ergo ab hac vel [g] illa forma posset tollere [h] suam individuationem et unitatem et [i] suam veritatem, ita quod illi eidem naturae [k] formali daret seu apponeret aliam individuationem et aliam veritatem; quod manifeste apparet impossibile.

Secundo potest ad [l] hoc argui ex earum mutua convenientia. Impossibile est enim aliquas essentias sic differre quin in aliquo communi [m] conveniant, et manifeste apparet quod conveniunt in ente vel entitate; entitas enim vel quidditas non denominative sed directe praedicatur de omnibus. Si ergo huiusmodi rationes dicunt semper diversas essentias, tunc sequuntur ad minus duo inconvenientia. Quorum primum est quod omnes [n] erunt compositae ex diversis essentiis, scilicet ex eo in quo conveniunt et ex eo in quo differunt; et iterum illa in quibus differunt erunt eadem ratione composita, quia non possunt esse ita diversa quin in aliquo conveniant, et sic in infinitum. Se-

---

[a] Add. interl. al. m. [b] B⁷ om. *h. f.* [c] B⁷ add. *ab.* [d] B⁷ *etiam.* [e] Add. interl. al. m. [f] B⁷ *alia.* [g] Ita B⁷, V add. *ab hac vel ab.* [h] Ita B⁷, V *tollemus* pro *p. t.* [i] Ita B⁷, V om. [k] Corr. al. m. [l] B⁷ om. [m] Al. m. [n] B⁷ add. *iterum.*

cundum est quod simul erunt eaedem et diversae et simul erunt ens et non ens; si enim unitas dicit essentiam diversam ab essentia cuius est unitas, tunc sequitur quod illa essentia diversa quam addit sit omnino eadem cum ratione ipsius unitatis; aut oportebit dare quod ipsa ratio unitatis non sit aliqua essentia et ita quod sit purum [a] non ens. Quomodocunque etiam ponatur quod ipsa non sit per se et directe aliqua essentia, semper sequitur quod non addit [b] aliquam diversam essentiam ad illam principalem essentiam in qua fundatur et cuius ipsa est unitas; si autem non addit diversam essentiam, impossibile est quod differat ab ea realiter seu essentialiter [c]. Consimilia autem [d] argumenta possunt formari ex omnibus aliis in quibus communiter conveniunt.

Tertio potest argui ex earum generalitate. Si enim omnes huiusmodi rationes dicunt essentias diversas: tunc ratio materiae et ratio formae et ratio substantiae et ratio entis et ratio quantitatis [e] et qualitatis [f] generalissime acceptae dicerent [g] diversas essentias ab omnibus aliis rationibus quae cum eis in rebus simul coexistunt. Si autem hoc ita est, tunc multa sequuntur inconvenientia: erit enim dare unam primam formam et unam primam substantiam communem corporalibus et spiritualibus et vivis et non vivis, quae de se non erit spiritualis aut corporalis nec erit actus vitalis vel [h] non vitalis nec de se erit quanta nec non [i] quanta. — Tunc etiam sequetur [k] quod in corporalibus sit aliqua prima forma quae non est corporalis nec extensa [l] et quod in angelis est una prima forma quae non est spiritualis nec simplex nec actus vitae; formae etiam [m] corporalitatis vel spiritualitatis quae postea sibi addentur non poterunt [n] facere quod ipsa secundum suam essentiam sit spiritualis vel corporalis; sed sicut homo qui non est albus per suam essentiam dicitur albus [o] per accidens sibi adiunctum, sic erit quasi in proposito. — Tunc etiam sequetur [p] quod erit una essentia quantitatis et qualitatis quae de se non erit aliqua specialis quantitas vel qualitas, ita quod in [q] omni corpore [r] vel superficie erit realiter quaedam forma quantita-

---

[a] B^7 *primum.* [b] B^7 *addat.* [c] Al. m. mg. *s. e.* [d] Ita B^7, V *et cetera consimilia* pro *C. a.* [e] Corr. al. m. [f] B^7 *quantitatis.* [g] B^7 *dicent.* [h] B^7 *nec.* [i] Ita B^7, V om. [k] B^7 *sequitur.* [l] Ita B^7, V *intensa.* [m] Add. interl., al. m., B^7 *enim.* [n] Ita B^7, V *potuerunt.* [o] Al. m. mg. [p] Ex *sequeretur.* [q] Add. interl. al. m. [r] B^7 *linea.*

tis quae secundum suam essentiam non erit lata vel longa nec ([a]) profunda nec erit unum nec multa; et in quolibet habitu scientiae et in qualibet specie qualitatis erit quaedam generalis essentia qualitatis essentialiter distincta ab omnibus differentiis eius quae ([b]) secundum se nullam habebit determinationem qualitativam ([c]), ita quod per se non possit esse ([d]) aut dici talis vel talis qualitas: unde eius essentia non erit simplex nec extensa nec spiritualis nec corporalis, et idem erit de omnibus praedicamentis. — Tunc etiam sequetur quod ens erit vere genus ad omnia ([e]) praedicamenta; dicet enim quandam essentiam realiter inclusam in eis et realiter distinctam ab illis rationibus per quas praedicamenta inter se differunt et ([f]) per quas ratio entis est limitata in eis. — Tunc etiam sequetur quod omnis materia habeat suam essentiam compositam ex materia et forma, quia ratio materiae absolute sumpta erit essentialiter differens a ratione suae individuationis; et ita oportebit quod una sit in altera tanquam in subiecto et ([g]) sicut actus in suo possibili; et consimiliter illa simplicitas quae est essentialis materiae angelorum et divisibilitas ([h]) quae est essentialis materiae corporali erunt quasi quaedam formae superadditae ad essentiam materiae communem. — Praeterea, cum omnis forma substantialis ([i]) quae per se est ab omnibus aliis formis distincta sit actus de se determinatus ([k]) ad esse et de se potens materiam determinare ad esse: tunc sequitur quod poterit esse saltem per Dei miraculum aliqua substantia composita ex sola prima et ([l]) absolutissima ratione materiae et ex sola prima ratione formae, ita quod illa substantia non erit spiritualis vel corporalis; nec eius ([m]) forma poterit dici talis vel talis forma; non enim habebit in se aliquam rationem nisi solum rationem formae et rationem substantialis; nec eius materia poterit dici talis ([n]) vel talis materia aut haec vel illa; non enim habebit in se rationem huius vel ([o]) illius vel talis vel talis, sed ([p]) solum rationem ([q]) materiae. — Sequetur etiam quod Deus poterit facere aliquod corpus nullam habens rationem corporeitatis specialem, sed solum formam corporeitatis absque aliqua alia ratione sibi

([a]) B[7] *vel.* ([b]) B[7] *quod.* ([c]) B[7] *qualitatum.* ([d]) Al. m. ex *se;* B[7] *vel* pro *aut.* ([e]) B[7] *alia.* ([f]) Al. m. mg. ([g]) B[7] om. ([h]) B[7] *diversitas.* ([i]) B[7] om. ([k]) Ita al. m., B[7] *terminatus.* ([l]) Ita B[7], V om. *s. p. e.* ([m]) B[7] *enim.* ([n]) Ita B[7], V om. ([o]) B[7] *et.* ([p]) B[7] om. ([q]) B[7] *ratione.*

annexa; et consimile sequetur de substantia spirituali et sic de aliis. — Indeterminabilitas igitur quam de se habent huiusmodi generales rationes in rebus essentialiter et realiter existentes videtur clamare quod non dicant essentias distinctas ab aliis rationibus cum quibus determinantur ad esse.

Quarto potest argui ex earum naturali consequentia [a]. Certum est enim quod una necessario sequetur [b] ad alteram; unde ad positionem [c] entitatis sequitur necessario positio unitatis et veritatis et ad positionem scientiae sequitur necessario positio multiplicium relationum eius, scilicet ad subiectum et ad obiectum et ad suum actum et ad suum contrarium et ad esse sibi consimile. Si igitur istae rationes consequentes sunt essentialiter diversae a primis, oportebit necessario quod originentur et causentur ab eis; non enim erit [d] dare aliam causam huius consequentiae sic [e] necessariae, non enim poterit dici quod consequantur [f] ad primas, sicut ad positionem materiae sequitur positio formae et e contrario; istae enim sese consequuntur, quia una est alteri causa existendi [g]; materia enim est causa materialis existentiae ipsi formae et forma est causa formalis existentiae ipsi materiae. Haec autem non possunt dari in [h] proposito, quia tunc rationes consequentes essent [i] formae substantiales praecedentium et primae [k] essent materiae sequentium; si autem secundae causarentur et fiant [l] a primis: ergo omnis essentia creata est causa efficiens suae unitatis et veritatis et omnis habitus erit causa efficiens suorum respectuum; quae manifeste videntur [m] impossibilia.

Quinto potest argui ex earum finitate. Si enim omnes huiusmodi rationes sunt inter se diversae per essentiam, tunc necessario erunt in qualibet re infinitae essentiae non solum diversorum generum sed etiam eiusdem speciei; nam si unitas habet essentiam diversam ab essentia rei cuius est, tunc iterum in ipsa unitate erit dare tot essentias quot rationes; et sic in ea ratio suae essentiae erit diversa iterum per essentiam a ratione suae unitatis, et sic in infinitum, et ita erunt ibi infinitae unitates et veritates et sic de aliis. Simile etiam potest argui de omnibus rationibus relativis, sicut in suis locis satis est tactum; quia si relatio habet

---

(a) Ita B^7, V *convenientia.* (b) B^7 *sequitur.* (c) B^7 *rationem.* (d) B^7 *est.* (e) B^7 *sicut.* (f) B^7 *sequatur.* (g) Ita B^7, V *essendi.* (h) Ita B^7, V. *im.* (i) B^7 *erunt.* (k) Ita B^7, V *primo.* (l) B^7 *causentur et fiunt* pro *c. e. f.* (m) B^7 add. *esse.*

essentiam differentem a subiecto in quo immediate fundatur, tunc iterum in ipsa erit dare respectum inhaerentiae ad subiectum praeter illum quem habebat ad exterius extremum seu obiectum. Et iterum si quaelibet illarum habet diversas essentias ([a]), iterum dividetur ([b]) in essentias et ([c]) respectus inhaerentiae ([d]), et sic in infinitum.

Sexto potest argui ex modo intelligibilitatis earum. Videmus enim quod multae earum sunt partes rationis et intellectus aliarum, ut ratio entis est pars rationis omnium aliarum non solum per modum subiecti sed etiam per modum communis praedicati, et relatio pars est rationis ([e]) omnium habituum et actuum et passionum materiae et formae et positionis et ubi; sic ([f]) enim in ratione habituum cadit eius relatio ad obiectum quod sine hac apprehendi non ([g]) potest, et in relatione actionis sic cadit relatio eius ad agens et etiam ad patiens quod sine hac apprehendi non potest; et sic de aliis. Unde huiusmodi relationes manifeste videntur eis ([h]) esse consubstantiales, satis plus quam forma sit consubstantialis materiae suae.

Septimo potest argui ex omnium praedictarum materiarum et difficultatum speciali et propria veritate. Si enim posset constare ([i]) quod sine isto modo non possunt vitari specialia inconvenientia uniuscuiusque earum, per istum autem non solum possunt vitari, sed etiam multa difficilia in eis faciliter explicari: tunc ex quolibet praedictorum malorum possent sumi specialia argumenta ad probationem istius, et ideo rationes speciales quae ad hoc possent adduci ([k]) non possunt plene tangi nisi in specialibus materiis in quibus etiam istae generales viae arguendi possunt plenius explicari. Qui igitur vult illa videre, ea ([l]) quae de hoc recitavi in specialibus materiis intueatur.

[Solutio Obiectorum]

Ad argumenta igitur in contrarium facta isti sic respondent.

Ad primum enim dicunt quod sicut in Deo est veritas plurium rationum, non tamen est ibi pluralitas earum

---

([a]) Al. m. mg. *si... essentias.* ([b]) Ita B[7], V *dividentur.* ([c]) Sequitur macula. ([d]) Ita B[7], V *inhaerentes.* ([e]) B[7] om. ([f]) B[7] *sicut.* ([g]) Ita B[7], V *haec.* ([h]) B[7] om. ([i]) B[7] *stare.* ([k]) B[7] *possunt adduci,* V *possent induci.* ([l]) B[7] om.

seu non sunt ibi sub pluralitate, sic est et [a] in proposito; unde non debet dici quod distinctio et diversitas huiusmodi rationum sit realiter in ipsis rebus, sed solum ipsae rationes seu veritas earum; neganda igitur est minor praedicti argumenti.

Ad secundum dicunt quod maior est falsa, nisi per unitatem rationis intelligatur solum unitas essentiae; si autem per unitatem rationis significetur limitatio essentiae ad veritatem et continentiam [b] unius solius rationis specialis, sic est falsa. Quando autem dicitur quod idem et diversum dividunt [c] totum ens et ideo oportet quod istae rationes sint realiter una ratio vel diversae: respondent quod consequens non sequitur ex antecedente, sed bene sequitur ex ipso quod istae rationes sint [d] necessario idem ens [e] vel diversum seu unum ens vel plura; quamquam si per le [f] « diversae rationes » non significetur [g] diversitas realis, sed solum exclusio limitationis ad unam solam rationem et ambitus veritatis aequivalentis diversis, bene potest concedi quod hoc modo sint ibi rationes diversae.

Ad tertium dicunt quod istae rationes in quantum tales rationes [h] dicunt aliquid, quia unaquaeque dicit eandem essentiam, non tamen secundum totam plenitudinem essentiae, sed solum secundum quod est contentiva [i] huius vel illius rationis. — Quod autem infertur quod si rationes in quantum tales dicunt aliquid, ergo dicere diversas rationes est idem quod dicere diversa aliqua et hoc iterum est idem quod dicere diversas essentias: respondent quod verum esset, si per nomen diversitatis intenderent significare diversitatem realem, nunc autem per hoc non intendunt significare nisi solum aequivalentiam seu praevalentiam diversitatis realis; intendunt etiam per hoc significare quod una ratio non significat essentiam totaliter, unde ipsa secundum quod significatur per unam, non significatur per aliam; et hoc solum volumus significare per modum diversitatis, quia per hoc ita [k] pariunt diversos intellectus et diversas consequentias [l] sicut si essent [m] realiter diversae.

Ad quartum dicunt quod quamvis quaelibet ratio dicat essentiam, nulla tamen earum eam dicit totaliter, quia

---

[a] B⁷ om. [b] Al. m. mg., del. *continam.* [c] B⁷ *dividant.* [d] B⁷ *sunt.* [e] Corr. al. m. [f] B⁷ *se.* [g] B⁷ *significet.* [h] B⁷ om. [i] B⁷ *contentum.* [k] Add. interl. al. m.; al. m. *pariunt.* [l] Ex *consequenetias.* [m] B⁷ *essentialiter.*

nulla earum [a] dicit eam secundum quod est contentiva [b] aliarum rationum, nisi forte quando una ratio est pars alterius rationis; et ideo ad pluralitatem rationum non sequitur pluralitas essentiae, et maxime cum per pluralitatem rationum non intendant significare aliquam pluralitatem realem [c] sed solum aequivalentiam eius.

Ad quintum dicunt quod si definitio sumatur secundum modum logicum qui sequitur modum nostri intellectus potius quam modum ipsius rei, tunc minor est falsa, quia sic, sicut possumus rem diversimode intelligere, sic et diversimode definire. Si tamen daretur una ratio includens in se totam plenitudinem essentiae et omnes modos intelligibilitatis eius, talis ratio non posset [d] plurificari; nihilominus tamen haberet intra [e] se plures rationes partiales, quia continet [f] in se omnes rationes rei; de sola autem tali potest verificari quod unius [g] rei non est nisi unica definitio, quamvis tali definitioni non conveniret omnino ars definitionum quae datur ab Aristotele, VI *Topicorum* [1].

Ad sextum dicunt quod in multis convenit creatura cum creatore, et tamen non propter hoc aequatur ipsa creatori, etiam in iis in quibus convenit cum Deo [h]. Convenit enim ipsa cum creatore in entitate, veritate [i], bonitate et consimilibus; quia tamen non habet entitatem simplicem et infinitam et imparticipatam et independentem et invariabilem, non aequatur ei sed potius analogatur. Sic autem est in proposito; duplici enim ex causa potest patere quod licet in hoc conveniat cum Deo, non tamen in hoc ei aequatur: primo, quia huiusmodi rationes, prout sunt in creatura, habent [k] conditiones defectivas et tales quae non possunt competere nisi creaturae, sunt enim annihilabiles et de nihilo factae et sunt finitae; unde ex eis non potest constitui aliquid [l] infinitum; et sic de aliis conditionibus defectivis. Secundo, quia rationes illae quae in creatura possunt esse idem non sunt tales quae per se possint [m] esse in actu, non enim per se sine aliis rationibus sumptae dicunt entitatem suffi-

---

[a] B[7] *eorum.* [b] B[7] *contentum.* [c] B[7] om. [d] B[7] *potest.* [e] B[7] *inter.* [f] B[7] *continent.* [g] Al. m. ex *unus;* B[7] *quia* pro *quod.* [h] B[7] *eo.* [i] B[7] add. *et.* [k] Al. m. [l] B[7] *aliquod.* [m] B[7] *possunt.*

---

[1] Cap. 1, 139a 24 sqq.; VI 3, 140a 23 sqq.; VI 5, 143a 15 sqq.; VI 6, 143a 29 sqq.

cienter actualem ad hoc ut per se sine aliis possint actu existere; unde omnes insimul acceptae non dicunt plus quam unam integram actualitatem necessariam essentiae creaturae [a] ad hoc ut possit existere actu; in Deo autem est ultra hoc dare veritatem quarundam nobilissimarum et actualissimarum perfectionum, ut est perfectissima sapientia et intellectus et perfectissima voluntas et amor et ut sunt perfectissimae proprietates personales, et tamen istae sunt in eo omnino idipsum. Quare autem hoc non possit esse in creatura, in quaestione de unitate formarum et [b] in quaestione de identitate potentiarum animae et in quaestione « an omnia videantur in Deo per unam simplicem speciem » est ostensum.

Ad septimum dicunt quod ille modus arguendi non valet, nisi quando causa, quae repugnat infinitati, aequaliter et eodem modo repugnat dualitati et cuicunque pluralitati et quando [c] coexistentia infinitorum non includit in se maiorem repugnantiam quam coexistentia [d] duorum vel trium. Hoc autem non est dare in proposito, quia coexistentia infinitarum rationum repugnat limitationi creaturae, non autem coexistentia [e] duarum vel trium.

Haec igitur est excogitatio praedictorum.

Communis autem opinio quae Avicennam [1] et philosophos [f] sequi videtur tenet quod ubi [g] est dare plures rationes reales, ibi est dare aliquo modo plures essentias. Probationes autem [h] ad hoc adducere non videntur curasse, quia hoc pro primo principio videntur fere ubique supposuisse; unde nec de hoc quaestionem fecerunt, sed utuntur isto [i] tanquam primo principio ad probandum quod unitas seu veritas differt realiter ab ente; et sic [k] de multis aliis rationibus supra positis. — Sciendum tamen est [l] quod haec opinio a diversis et ma-

---

[a] B⁷ *creatae.* [b] B⁷ om. *i. q. d. u. f. e.* [c] B⁷ *quandoque.* [d] B⁷ *coexistentiam.* [e] B⁷ *coexistentiam;* V *duorum* pro *duarum* quod habet B⁷. [f] B⁷ *quam Avicenna et philosophus* pro *q. A. e. p.* [g] B⁷ *ubicumque.* [h] Add. interl. al. m. [i] B⁷ *ista.* [k] B⁷ *sicut.* [l] B⁷ om.

---

[1] *Logica,* pars I, cap. 4, 5, f. 3r sqq.; *Metaph.,* tract. III, cap. 1, f. 78r; tract. III, cap. 3, f. 78v sqq.; tract. IV, cap. 2, f. 84v sqq.; tract. V, cap. 6, f. 90r sq.

gnis diversimode tenetur. Quidam enim volunt quod omnes huiusmodi rationes sint accidentales substantiae in qua fundantur; et propterea [a] potentias animae dicunt esse accidentia eius et esse dicunt esse accidens essentiae et unitatem et veritatem et sic de aliis. Alii vero volunt quod aliquae earum sint accidentales, aliquas vero volunt esse consubstantiales; non tamen pro eo quod sint constitutivae rei [b], sed quia sic sequuntur essentiam rei quod non transeunt in aliud genus, et ita volunt de essentia et esse, unitate et veritate et de creatione passiva et de potentiis animae et sic [c] de multis consimilibus.

Quilibet igitur eligat quod sibi utilius pro fide videtur.

QUAESTIO VIII.

Secundo quaeritur an esse et essentia sint idem.

Et videtur quod non.

1. Quia actus differt ab eo cuius est actus; sed esse est actus entis et essentiae; ergo et cetera.

2. Item, omne limitatum et participatum differt ab eo per quod limitatur et in quo participatur; sed esse limitatur ad certum genus et speciem per essentiam cuius est et a qua participatur: esse enim, quantum est de se, est illimitatum et indistinctum.

3. Item, eadem essentia speciei habet diversa esse in diversis individuis; ergo illa esse differunt ab ipsa.

4. Item, materia habet esse diversa sub diversis formis; ergo ipsa differt a suo esse.

5. Item, quod est proprium solius Dei non competit creaturae; sed proprium est solius Dei quod ipse sit suum esse, et e contrario; unde Hilarius, VII *De Trinitate*, dicit [1] quod « esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas »; ex quo, videtur, supponetur quod esse creatum sit accidens; Deus etiam appropriavit sibi hoc nomen dicens [2] Moysi: « *Ego sum qui sum et qui est misit me ad vos* ».

---

[a] B[7] *praeterea*. [b] Al. m. ex *ei*. [c] B[7] om.

---

[1] N. 11 (PL 10, 208). [2] Exod. 3, 14.

6. Item, idem verissime et propriissime praedicatur de se ipso; ergo esse verissime praedicabitur de essentia cuius est, et e contrario; sed hoc falsum; ergo et cetera.

7. Item, nihil potest cogitari aut intelligi non intelligendo illud quod est idem cum eo; sed essentia creata potest intelligi sine suo esse, immo et potest intelligi non esse, quod est amplius.

8. Item, illud quod est [a] de se indeterminatum ad duo opposita non est aliquod illorum; sed essentia est de se indeterminata ad esse et non esse; unde et potest esse vel non esse.

9. Item, successivum differt ab eo quod permanet in tota successione; sed esse secundum quod plus durat plus succedit, essentia vero permanet eadem; ergo et cetera.

10. Item, humanitas Christi habet aliud esse quam nostra; et gutta aquae habet aliud esse, quando est in fluvio, aliud, quando est per se; et tamen essentia est eadem et eiusdem speciei.

[Respondeo]

Circa istam quaestionem sunt tres modi dicendi hodie satis solemnes [b]. — Quorum primi dicunt quod esse differt ab essentia cuius est esse sicut accidens a subiecto; motique sunt quibusdam rationum praemissarum.

Secundi vero dicunt quod differt ab ea realiter: est enim actus ab ea manans et eam consequens, non tamen manans sic ab ea quod transeat in aliud genus; quia non est [c] ei accidentale sed substantiale. — Isti autem videntur esse moti ex eo quod esse videtur in se claudere intellectum [d] essentiae cum quadam additione et quia id quod dicit dicit per modum actus verbalis, essentia vero per modum quidditatis nominalis; ex quibus videtur quod sit actus manans ab essentia et [e] eam praesupponens et consequens.

Tertii dicunt quod realiter sunt omnino idipsum [f], ita quod idem dicunt, sed sub alia ratione.

Isti autem suum dictum asstruunt ostendendo primo quod esse non est accidens essentiae cuius est et secundo

---

[a] Add. interl. [b] V *sollemne*. [c] Add. interl. al. m. [d] Al. m. corr. [e] Add. interl. al. m. [f] Al. m. corr.

quod non est substantiale, aliquid realiter addens ad eam et praecipue eo modo quo dicunt secundi.

Primum autem probant sic. Omne subiectum prius est naturaliter quam suum accidens; accidentale enim esse dependet a subiecto et non e contrario; sed (a) impossibile est quod essentia sit prius naturaliter quam suum esse; ipsa etiam in tantum dependet a suo esse quod ex sola ablatione illius annihilatur seu corrumpitur. — Item, omne accidens differt per essentiam a suo subiecto et omne receptum a recipiente; ergo si esse est accidens receptum in essentia sua, ipsum differt essentialiter ab illa; ergo habet aliam essentiam ab illa; si ergo esse necessario differt ab essentia quae per ipsum est, ergo ipsum esse differret (b) ab illa essentia per quam differt ab illa essentia cuius dicebatur esse accidens; et tunc de hac secunda essentia potest argui sicut et de prima et sic in infinitum. — Item, si esse est accidens, oportet quod sit in aliquo praedicamento accidentis, et hoc aut ut genus vel species vel differentia vel aliquod principium formale illius generis. Si autem est genus, ergo est quaedam essentia distinguenda in species per differentias sibi additas; et cum pro regula habeatur quod omnis essentia differt a suo esse sicut subiectum ab accidente, ergo ipsum esse differet ab ista essentia sicut et (c) a prima; praeterea, esse non videtur habere differentias nisi solas illas quas habet essentia cuius est. Si vero est species illius generis: ergo aliquid (d) est communius quam esse quod est genus ipsius esse; quod est falsum, quia nihil est communius quam esse. Si vero est principium formale illius generis, tunc ipsum est quaedam pars essentiae eius; quae essentia ex eo quod est ex aliis partibus constituta recipit in se quoddam esse accidentale per quod existit; quae omnia sunt multis absurditatibus plena. — Item, nihil est magis substantiale quam sit ipsum subiectum seu ipsum per se ens sibi ipsi; sed illud quod proprie est per se ens et quod omnibus aliis subiacet tanquam sustinens illa est suppositum substantiae, quod prima substantia vocatur; ipsum autem in sua ratione formaliter includit per se esse et per se existentiam; per se autem esse est quoddam esse; ergo et cetera. — Item, nulla forma proprie informatur ab alio; et esto quod informaretur, ipsum informans necessario esset aliqua forma; sed omnes essentiae formarum

---

(a) Al. m. mg., del. *sed*. (b) Al. m. ex *differt*. (c) Add. interl. al. m. (d) Al. m.

sunt purae formae; si autem esse est accidens earum, utique informantur ab illo; ergo [a] sequitur quod formae sit forma et iterum quod ipsum esse est quaedam forma. — Item, nullum accidens dat esse simpliciter, sed solum esse tale et esse secundum quid. — Item, omne accidens per aliquam inhaerentiam inhaeret suo subiecto, quae inhaerentia se habet ad accidens per eam inhaerens tanquam quoddam esse talis essentiae; ergo esse substantiae habebit quandam inhaerentiam sic se habentem ad ipsum; quod est absurdum et ridiculosum. — Item, constat quod proprium esse substantiae multum debet differre a proprio esse accidentium; ergo satis videtur quod debeat esse in alio praedicamento. — Item, album secundum Aristotelem [1] est in praedicamento qualitatis; sed album et [b] esse albedinis videntur esse idem; ergo et cetera. — Item, secundum hoc motus qui terminatur immediate ad formam non terminabitur immediate ad esse formae, sed solum mediante forma; et ita naturaliter prius educet formam quam suum esse. — Item, secundum eos accidens, saltem proprium, causatur a substantia; unde dicunt quod materia cum forma causa est omnium accidentium quae sunt in ea; sed impossibile est quod aliqua res sit causa sui esse; ergo impossibile est quod suum esse sit accidens eius. — Item, secundum eos forma dat esse materiae et ex forma cum materia consurgit seu resultat esse compositi; si ergo forma dando esse materiae dat aliud quam se ipsam, oportebit quod det illud efficiendo seu originando; ergo est causa efficiens sui esse formalis quod dat materiae; si etiam esse compositi consurgens ex unione formae cum materia est aliud ab eis ut sic unitis, oportebit quod originaliter sive effective causetur ab eis; quod est impossibile, quia eo ipso essent causa effectiva sui totius seu compositi.

Secundum vero probant sic et primo quantum ad hoc quod secundi [c] dicunt quod esse naturaliter subsequatur essentiam et praesupponat eam: omne enim quod naturaliter subsequitur alterum habet necessario esse post esse illius; ergo essentia prius est quam suum esse, quod est impossibile, etiam Deo. — Item, videtur quod naturaliter prius possit a Deo fieri sine posteriori; ergo essentia posset a Deo fieri sine suo esse. — Secundo quantum ad hoc quod dicunt

[a] Al. m. [b] Add. interl. al. m. [c] Al. m. mg., del. *surdi.*

[1] *Categ.*, cap. 8, 9a 31 sq.

quod esse manat originaliter ab essentia cuius est: constat enim quod originari non est aliud quam [a] fieri; fieri autem non est aliud quam effici; ergo esse substantiale fit ab essentia; sed esse angeli et primorum entium non fit nisi per creationem; ergo et cetera. — Item, [b] omnis effectus inmediatus est similitudo suae causae habens se per analogiam ad illam; ergo esse est quasi quaedam qualitas similis essentiae a qua manat. — Item, omnis actus immediate manans ab alio est eius actio et operatio; ergo si, prout dicunt, esse est actus manans ab essentia, sequitur quod esse sit quaedam actio essentiae. — Item, impossibile est quod aliquod essentialium rei naturaliter sequatur totam essentiam rei et impossibile est quod fiat a tota [c] essentia eius, quia tunc sequeretur se ipsum et fieret a se ipso, quoniam omne essentiale aut est principium constitutivum essentiae aut est ipsa essentia. — Tertio probant hoc directius quantum ad hoc quod alii dicunt quod esse differt realiter ab essentia cuius est tanquam illud realiter superaddens ad eam. Quod enim hoc esse non possit probant: quia si differt ab essentia, aut differt sicut pars a toto aut sicut totum a parte aut sicut duae essentiae diversae. Primum et secundum nec ipsi [d] dant nec dari potest; tertium vero dari non potest, nisi vel sint simpliciter duo entia aut quod unum sit accidens alterius; et tunc redit [e] opinio prima. Sed forte dicent quod esse non differt [f] ab essentia, sicut essentia ab essentia [g], sed solum sicut esse ab essentia. Sed contra: quia si nullo modo differunt sicut duae essentiae, ergo essentia et quidditas unius est essentia et quidditas alterius; sed quaecunque sic se habent sunt omnino idipsum, sicut patet etiam in personis divinis et in esse personali earum. — Item, si esse realiter differt ab essentia solum ut esse, ergo ipsum secundum se et in se nullam habet quidditatem vel essentiam; ex quo sequitur quod sit omnino nihil. — Item, detur quod Deus nihil cesset facere nisi solum ipsum esse: constat quod eo ipso cessat facere essentiam; ergo nihil aliud erat facere esse quam facere essentiam; et hoc ipsum patet arguendo e contrario, utpote si detur quod Deus creet solam essentiam. — Item, idem non est realiter idem sibi ipsi per aliud a se; sed nihil est realiter idem sibi nisi per esse identitatis seu per esse suae essentiae: homo enim non est reali-

---

[a] Al. m. ex *quod*. [b] Al. m. mg. [c] Al. m. mg. *a t*.
[d] V *ipsa*. [e] V *reddit*. [f] Al. m. ex *differ*. [g] Al. m. *e. a. e.*

ter seu actualiter homo nisi per esse suae humanitatis, nec albedo est realiter albedo nisi per esse suae albedinis, et sic de aliis. — Item, abstractum et concretum seu idem sumptum abstractive et concretive omnino dicit idipsum; sed esse et essentia sunt huiusmodi. Secundum enim Augustinum sic se habet esse ad essentiam sicut currere ad cursum et per se existere ad suppositum vel substantiam; unde, VII *De Civitate*, capitulo 4, dicit [1]: « Sicut ab eo quod est esse appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere substantiam dicimus »; et V *De Trinitate*, capitulo 2 [2]: « Sicut ab eo quod est sapere dicta est sapientia et ab eo quod est scire dicta est scientia, ita [a] ab eo quod est [b] esse dicta est essentia ». Item, XII *De Civitate*, capitulo 2, dicit [3]: « Cum Deus summa essentia sit, hoc est, summe sit et ideo immutabilis sit, rebus quas ex nihilo creavit esse dedit sed non summe esse; et aliis dedit esse amplius, aliis minus atque ita naturam essentiarum gradibus ordinavit; sicut enim ab eo quod est sapere vocatur sapientia, sic ab eo quod est esse vocatur essentia, ac per hoc ei naturae quae summe est contraria natura non est nisi quae non est; ei quippe quod est non esse contrarium est, et propterea Deo, id est, summae essentiae nulla essentia contraria est ». — Item, Anselmus, *Monologion* [c], capitulo 6, dicit [4] quod « summa essentia sic est per se et ex se sicuti dicitur quod lux lucet vel est lucens per se ipsam et [d] ex se ipsa; quemadmodum enim se habent ad invicem lux et [e] lucere et lucens, sic sunt ad invicem essentia et esse et ens, hoc est existens sive subsistens; ergo summa essentia et summe esse et summe ens, id est, summe existens, non dissimiliter sibi conveniunt quam lux et lucere et lucens »; haec Anselmus. — Item, Augustinus, libro [f] *De immortalitate animae*, capitulo 11, volens probare quod nulla essentia, in quantum essentia est, habet aliquid contrarium subdit [5]: « Omnis enim essentia non ob aliud essentia est nisi quia est; esse autem non habet contrarium nisi non esse; unde nihil est ipsi esse contrarium »; haec Augustinus. Item, VI *De Trinitate*, capi-

---

[a] Sequitur mac. et lac. [b] Ex *est quod*. [c] Partim al. m. [d] Add. interl. al. m. [e] Add. interl. al. m. [f] Al. m. mg. *I. A. l.*

---

[1] Locum nec in VII nec in aliis libris *De Civitate Dei* inveni; forte sequentem locum XII 2 prae oculis habuit. [2] PL 42, 912. [3] PL 41, 350. [4] PL 158, 152 sq. [5] Cap. 12 (PL 32, 1031).

tulo 1: « Absurdum est » inquit [1] « dicere candidum non esse candorem »; et post [2]: « Sicut candor ad se ipsum dicitur candidus, ita et sapientia ad se ipsam dicitur sapiens »; quod non est verum nisi concretivum esse candoris et sapientiae sit idem quod essentia candoris et sapientiae; et sumo hic concretum pro habente in se essentiam et esse candoris; hoc enim modo essentia candoris magis habet se ipsam et suum esse quam subiectum eius habeat ipsam, quia ipsa habet hoc primo et per se et per omnimodam identitatem, subiectum autem eius habet hoc per ipsam; et pro tanto verius dicitur candor esse candidus quam subiectum eius dicatur esse candidum.

Nota autem quod omnes rationes probantes quod realiter non differant probant quod esse non sit accidens essentiae.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum igitur in contrarium dicendum quod esse non est actus essentiae sicut forma est actus [a] materiae, sed solum eo modo quod ipsamet essentia est [b] actus essentiae et entis, et sumitur hic actus pro actualitate seu entitate. Unde valde absurdum est quod quidam dixerunt, scilicet quod esse sit quasi quaedam actio essentiae; propter quod, ut [c] dicunt, nulla substantia potest aliquam aliam operationem facere nisi mediante aliqua potentia vel qualitate, quia nihil potest immediate in duos actus. Absurdum etiam est id quod alii dixerunt, scilicet quod essentia se habet ad esse sicut potentia ad actum; quia secundum hoc actualis entitas rei et eius actualis forma erunt pura potentia ad esse et potius erunt non ens quam ens; quia quod secundum se et in quantum tale nihil habet de esse [d] est de se in quantum tale omnino non ens. Secundum hoc etiam essentia esset quasi materia et esse esset eius forma substantialis; nam per suam informationem essentia acciperet esse simpliciter. Secundum hoc etiam essentia omnis formae creatae esset pura potentia et ita falso vocaretur actus et falso distingueretur a materia tanquam actus a potentia; falso etiam diceretur quod forma dat esse materiae, quia

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. mg., del. *eius*. [c] Al. m. mg. [d] Ex *se*.

[1] Lib. VII, 1 (PL 42, 935). [2] L. c.

nec daret sibi illud effective nec formaliter; immo ipsum esse daret se ipsum materiae inhaerendo ei et communicando ei suam existentiam.

Ad secundum dicendum quod esse non est communius aut illimitatius quam essentia, immo omnino currunt de pari. Sed quantum ad modum intelligendi essentia est prior et communior, quia sumitur per modum abstracti, esse vero per modum concreti; unde esse non potest intelligi sine ratione essentiae et entis. Si ergo esse commune limitatur per aliquid in quo recipitur, ergo eadem ratione essentia et ens; quod est absurdum, quia tunc omnis essentia et omne ens essent recepta in alio a se. — Praeterea, [a] potius deberet dici quod esse commune limitatur per specialia esse aut per differentias essendi specificas quam quod limitetur et distinguatur per varias essentias in quibus recipitur. — Praeterea, albedo non mutat speciem propter diversitatem suorum subiectorum et idem est de aliis formis; ergo nec esse mutabit speciem propter diversitatem suorum recipientium. — Praeterea, recipiens in quantum recipiens nihil efficit [b] in recepto, immo in quantum recipiens dicit solum potentiam passivam et non activam; ergo receptiva ipsius esse nullam distinctionem aut limitationem facient in ipso. Igitur frustra auctores primae positionis fundaverunt se in praedicta ratione dicentes quod si esse non esset in alio receptum, tunc esset omnino unum et illimitatum et imparticipatum, non advertentes quod hoc ipsum sequetur de essentia et etiam de materia et de omni supposito seu prima substantia, quia constat quod ista non sunt in alio a se recepta. Dato etiam quod per sua subiecta limitaretur et numeraretur, adhuc huiusmodi limitatio non esset aliud quam eius individuatio et numeralis multiplicatio; ergo esse in omnibus rebus differret solum numero et non genere vel specie. Quis autem dicet quod esse substantiale vel accidentale seu esse per se et esse in alio et esse simplex et extensum, spirituale et corporale, vivens et non vivens, intellectuale et non intellectuale non differant genere vel specie? — Sciendum igitur quod nec enti nec ipsi esse ex ratione sua generali aut speciali convenit illimitatio vel unitas, licet ex ratione generali non habeat limitari vel distingui. Et idem est de quolibet communi et universali, quia si haberet, tunc nunquam posset esse in aliquo sine praedicta illimitatione et unitate et tunc quodlibet universale

---

[a] Al. m. corr.; idem subinde. [b] Ex *effeicit.*

esset realiter unum et illimitatum in omnibus individuis suis; abstractio (a) igitur quae competit esse creato cummuniter sumpto non negat limitationem aut sui multiplicationem, sed sola abstractio divini esse hoc facit.

Sed dicunt quod Boethius, in libro *De hebdomadibus*, dicit (1): « Diversum est esse et id quod est, ipsum enim esse nondum est; at vero quod est accepta forma essendi est atque consistit, quod est, participare aliquo potest, sed ipsum esse nullo modo aliquo participat »; et post: « Omne simplex esse suum et id quod est unum habet; omni composito aliud est esse, aliud ipsum est ». — Ad quod dicendum quod Boethius per « esse » intelligit formam substantialem, per « quod est » vero intelligit materiam. Quod patet primo, quia ipsum esse vocat formam essendi receptam in ipso quod est, sicut patet in auctoritate praemissa. Secundo, quia ibidem dicit: « Diversum est esse aliquid et esse aliquid in eo quod est »; illic enim accidens, hic substantia significatur; ex quo patet quod ipsum esse simpliciter sumptum vult esse substantiam. Tertio, quia paulo post dicit: « Quorum substantia bona est, id quod sunt bona sunt; id quod sunt autem habent ex eo quod est esse; esse igitur ipsorum bonum est, igitur substantialia bona sunt ». Constat autem quod haec conclusio non sequitur ex praemissis, nisi ipsum esse sit substantiale rebus. Quarto, quia, libro *De Trinitate*, dicit (2): « Omne namque esse a forma est; nihil igitur secundum materiam esse dicitur, sed secundum propriam formam; sed divina substantia sine materia forma est atque ideo unum est et est id quod est; reliqua enim non sunt id quod sunt, unumquodque enim habet esse suum ex iis ex quibus est, id est, ex suis partibus et est hoc atque hoc, id est, partes suae coniunctae ».

Ad tertium dicendum quod essentia speciei est ita multiplicata in suis individuis sicut et suum esse; et ideo non est in eis eadem realiter, sed solum secundum modum intelligendi; sicut autem possumus eam intelligere communiter vel particulariter, sic et suum esse.

Ad quartum dicendum quod eadem materia habet sub diversis formis idem esse materiale; pro quanto vero habet diversas formas, pro tanto habet diversa esse formalia.

(a) V *abstractione*.

---

(1) *Quomodo substantiae in eo quod sint bonae sint* (PL 64, 1311).
(2) Cap. 2 (PL 64, 1250).

Ad quintum dicendum quod esse communiter sumptum non est proprium solius Dei, sed esse antonomastice sumptum; et hoc modo Sacra Scriptura et Deus ipse appropriat sibi nomen essendi et consimiliter appropriatur ei nomen essentiae. — Quod autem haec ita sint patet: Augustinus enim, V *De Trinitate* [a], capitulo 2, praemisso [1] quod « ab eo quod est esse dicta est essentia » subdit: « Et quis magis est quam ille qui dixit [2] Moysi: *Ego sum qui sum et dices filiis Israel qui est misit me ad vos?* sed aliae essentiae sive substantiae capiunt accidentia quibus mutantur, Deo autem aliquid accidere non potest et ideo sola est incommutabilis substantia vel essentia quae Deus est; cui profecto ipsum esse — unde essentia nominata est — maxime ac verissime competit ». Item, VII *De Trinitate*, capitulo 5 [3]: « Manifestum est Deum abusive substantiam vocari, ut nomine usitatiori intelligatur essentia quod vere ac proprie dicitur, ita ut fortasse solum Deum dici oporteat essentiam; est enim vere solusque incommutabilis est; quod nomen Moysi annuntiavit, cum ait: *Ego sum qui sum et qui est misit me* et cetera ». — Item, Hieronymus, *Ad Marcellam* [4]: « Deus solus qui exordium non habet verae essentiae nomen tenuit, quia in eius comparatione qui vere est, quia incommutabilis est, quasi non sunt quae mutabilia sunt »; et post [5]: « Solus igitur Deus est, cuius essentiae nostrum esse comparatum non est ». — Quod autem dicitur, scilicet quod soli [b] Deo est proprium quod sua essentia sit suum esse, nusquam legi in dicto alicuius sancti. Sed bene dicunt [c] quod soli essentiae divinae est proprium quod in sua ratione habet esse omnino incommutabile et pure necessarium et aeternum, quod vocatur esse a se; tale enim esse nullo modo includitur in aliqua alia essentia. Qui autem dicunt quod Deus non potest non [d] esse, quia sua essentia est suum esse, potius deberent dicere quod ideo [e] non potest mutari, quia in ratione [f] sua et in ratione sui esse cadit immutabilitas et aeternitas et essendi necessitas et non-essendi impossibilitas et quicquid est summae actualitatis. Quomodo autem dictum eorum non sit simpliciter verum in sequentibus ar-

---

[a] Sequitur lac. [b] Al. m. corr. in ras. [c] Al. m. ex *dicun.* [d] Add. interl. al. m. [e] Ex *omnino.* [f] Al. m. *i. r.*

---

[1] PL 42, 912. [2] Exod. 3, 14. [3] PL 42, 942. [4] *Ep. XV ad Damas.*, n. 4 (PL 22, 357). [5] L. c.

gumentis tangetur. — Sciendum etiam quod Hilarius non intendit dicere illud pro quo verbum eius est assumptum, nec omnino sic dicit sicut allegatum est. Non enim dicit quod esse non est accidens, sed dicit « esse non est accidens nomen » ; intendit enim ibi probare quod quando dicitur: Deus erat Verbum, quod ipsum Verbum non dicitur Deus solum nuncupative, sed potius dicitur quod est Deus simpliciter et realiter. Unde subdit (1) quod non (a) ita attribuitur sibi nomen Dei sicut Moysi, quando dicitur (2) constitutus esse deus Pharaonis, aut sicut aliis, quando dicitur (3) « *Ego dixi, dii estis* »; ut enim ibi ostendit, ipse modus loquendi docet eos nuncupative, non naturaliter aut ex natura sui generis dictos esse deos. Ostendens ergo quod Verbum realiter est Deus subdit (4): « Hic autem rei significata substantia est, cum dicitur: Deus erat; esse enim non (b) est accidens nomen sed subsistens veritas ». Ex quo patet quod vult dicere quod cum Verbum dicitur esse Deus, le « esse » significat entitatem realem et veram, non nominationem accidentalem. Et ita patet quod auctoritas eius praeallegata nihil facit ad propositum.

Ad sextum dicendum quod idem sub eadem ratione sumptum propriissime praedicatur de se, sed non si sub diversa ratione sumatur; alias propriissime diceretur quod Deus Pater est Filius, quia verissime sunt omnino idipsum; vere etiam ac proprie diceretur quod essentia Dei, in quantum est communis trium, generat et generatur, quod est falsissimum (c).

Ad septimum dicendum primo quod aliquid potest sub una sui ratione cogitari absque hoc quod cogitetur sub omni ratione sua; alias Deus nunquam vere cogitatur a nobis. — Secundo potest dici quod essentia nunquam cogitatur sine ratione essendi nominaliter sumpta; alias non cogitaretur sub ratione entis. Verum est quod ipsum esse potest dupliciter cogitari: uno modo, cogitando rationem et quidditatem eius; alio modo, cogitando ipsum ut praesentialiter existens aut ut praeteritum vel futurum. Et consimiliter potest essentia dupliciter cogitari. Primo igitur modo cogitatur res et eius esse, sed non cogitatur res esse actu; et consimiliter cogitatur tunc ipsum esse absque hoc quod sit actu

(a) Ex *est*. (b) Al. m. ex *ideo*. (c) Corr.

(1) Hilar., *De Trin.*, lib. VII, n. 10, 11 (PL 10, 206 sqq.). (2) Exod. 7, 1. (3) Psalm. 81, 6. (4) Hilar., *De Trin.*, lib. VII. n. 11 (PL 10, 208).

seu de praesenti. — Quod autem dicitur quod essentia potest cogitari non esse: hoc ipsum coguntur dicere de ipso esse; constat enim quod omne esse creatum potest pro aliquo tempore cogitari non esse, in tantum quod vere dicimus quod omne esse creatum potuit semper non esse; potuit enim Deus facere quod nunquam fuisset vel foret. Si ergo ratio praedicta bona est, sequitur quod omne esse creatum realiter differat a se ipso. Si etiam vera est ratio dicentium quod si essentia creata esset suum esse, nunquam posset non esse: sequitur quod si esse creatum est idem quod suum esse, nunquam poterit non esse; aut dicant quare magis sequatur illic quam istic. — Miror autem unde habent quare licet essentia sit idem quod sua essentia, non tamen ex hoc sequitur quod non (a) possit non esse essentia, cum possit tota annihilari. Miror, inquam, unde habent quare hoc ipsum non possit stare, si essentia est suum esse. Sed dicunt quod ideo essentia quae esset suum esse non posset corrumpi, quia idem non potest separari a se ipso; ergo esse non posset separari a tali essentia. Sed mirum quod non advertunt quod secundum hoc sequitur quod nullum esse poterit corrumpi; quia eadem ratione non poterit separari a se ipso. Argumentum autem nihil valet, quia res non annihilantur per divisionem sui a suo esse, sed potius per corruptionem ipsius essentiae; unde si per impossibile remaneret essentia separata a suo esse, indubitanter illa essentia adhuc esset actu essentia. — Rursus, cum dicitur quod essentia potest non esse, illa potentia non dicit aliud quam essentialem defectum seu defectibilitatem ipsius essentiae et sui esse. — Cum etiam dicitur quod esse nominaliter sumptum potest cogitari non esse, non autem esse (b) verbaliter sumptum, quia tunc consignificat praesens tempus et actualem existentiam sui in illo, ex quo videtur quod esse nominale differat realiter ab esse verbali: dicendum quod esse sumitur nominaliter ex hoc quod ipsum consideramus et consignificamus absque consignificatione alicuius temporis; tunc vero sumitur verbaliter, quando sumitur cum consignificatione (c) temporis praesentis vel praeteriti vel futuri; ex quo patet quod non differunt penes essentialem (d) et absolutam actualitatem ipsius esse, sed solum penes consignificationem et non consignificationem temporis. Nec est intelligendum quod esse nominale sic cogitetur non

---

(a) Add. interl. al. m. (b) V *esset.* (c) Al. m. ex *significatione.* (d) Ex *essentiales.*

esse quod ratio non entitatis sit eadem cum ratione ipsius esse, sed ex hoc solo quod esse, prout est a nobis absolute intellectum, potest cogitari non habere esse reale extra, id est, non habere se ipsum extra sed tantum in intellectu.

Ad octavum dicendum quod prima est vera in iis quae possunt esse sub utroque oppositorum, non autem quando alterum oppositorum non est aliud quam destructio ipsius rei; unde nunquam est sub eo realiter, sed solum imaginarie. Licet etiam essentia possit non esse, nihilominus ita est determinata ad suum esse sicut et ad suam essentiam, quia nec aliter potest amittere unum quam reliquum.

Ad nonum dicendum quod ipsum esse ita permanet [a] idem in tota duratione sicut et essentia, et ita successive durat essentia sicut et esse. Quomodo autem hoc sit in quaestione de aevo est tactum. — Si vero obicias quod esse quod idem numero perdurat in tota successione suae durationis non est ex se determinatum aut limitatum ad solum nunc praesens vel ad [b] solum futurum; ergo oportet quod differat ab illo [c] esse praesenti quod vocamus esse in hoc nunc et ab esse praeterito quod vocamus fuisse et ab esse futuro quod nondum est, quia ista sunt ex se limitata ad unum certum nunc: dicendum quod si huiusmodi nunc sic sunt inter se essentialiter diversa quod addant diversas essentias super esse rei, tunc quantum addit quodlibet istorum nunc ad esse rei quod est idem numero in omnibus ipsis, tantum addet esse in hoc nunc et in illo ad praefatum esse rei et non plus; si autem huiusmodi nunc non addunt diversam essentiam, sed solum eandem ut sibi ipsi continuatam iuxta modum in fine quaestionis de aevo tactum, tunc appropriationes ipsius esse ad hoc et ad illud nunc non addunt nisi rationes iterationis seu continuationis eiusdem essentiae et eiusdem esse [d].

Ad decimum dicendum quod quando dicitur quod essentia est suum esse, proprie agitur de illo esse quo essentia est actu essentia; huic [e] autem esse sic sumpto potest addi aliquis [f] modus essendi sicut et ipsi essentiae. Per illum autem modum essendi non variatur ratio specifica ipsius essentiae nec ipsius esse primo modo sumpti, quia ille modus non dicit formam absolutam nec dicit differentiam specificam alicuius essentiae vel naturae, sed solum dicit

---

([a]) Al. m. ex *permanen.* ([b]) Add. interl. al. m. ([c]) V *ille.* ([d]) Al. m. mg. ([e]) Al. m. mg. ([f]) V *aliquid.*

modum existendi, sive absolutum, quale est esse per se seu esse suppositi [a], sive relatum et ad aliud inclinatum, ut est esse partis in suo toto et [b] esse seu inhaerere accidentalis in subiecto et esse cuiuscunque naturae in supposito alterius naturae; et tale est esse naturae humanae in Christo. Quamvis autem modi isti essendi varientur, essentia rei remanente eadem, nihilominus substantiales sunt essentiis quarum sunt, quamvis non eo modo quo ipsa essentia est substantialis sibi ipsi. Quomodo autem hoc sit et qua ratione alibi est ostensum.

Ad illud autem quod secundi dicunt, scilicet quod esse sequitur essentiam, quia ultra intellectum essentiae aliquid addere videtur: dicendum quod ex modo intelligendi non debet semper inferri modus rei, quamvis nec illud quod dicunt sit simpliciter verum, sicut ex praedictis patet. — Quod vero dicunt quod esse se habet per modum actus verbalis: dicendum quod sumendo actum pro actione neutrum habet rationem actus; sumendo vero actum pro actualitate sic esse dicit eam in concreto, essentia vero in abstracto, sicut faciunt currere et cursus.

QUAESTIO IX.

Tertio [c] quaeritur an esse rerum creatarum, spiritualium saltem [d], sit successivum vel habeat totam durationem suam simul.

Et quod totum simul videtur.

1. Nullum simplex et indivisibile potest mensurari mensura composita quanta et continua; sed esse rerum, saltem spiritualium [e], est simplex et indivisibile; si autem habet durationem successivam, habet mensuram compositam quantam et continuam; ergo et cetera.

2. Item, variatio propriae passionis causatur a variatione proprii subiecti; ergo et variatio durationis ipsius esse causabitur a variatione ipsius; ipso igitur non variato et mensura erit non variata.

---

[a] Al. m. corr. [b] Add. interl. al. m. [c] B¹ *Secundo.* [d] B⁷ B¹ om. *s. s.* [e] B⁷ B¹ om. *s. s.*; *spiritualium* al. m. ex *specialium.*

3. Item, omnis variatio continua aut est motus aut sequitur motum, quoniam variatio includit factionem unius et destructionem alterius; sed in esse aeviternorum non est motus nec duratio eorum sequitur motum; ergo ibi nulla est variatio; sed in omni successione est variatio, cum ibi sit dare praeteritum et futurum; praeteritum autem est cuius esse est destructum, futurum autem est quod de novo acquirit esse, quando fit praesens ([a]); ergo et cetera.

4. Item, solus motus est subiectum per se et primae ([b]) durationis successivae aut saltem mobile in eo quod mobile seu in quantum motui subiectum; sed esse in quantum tale non est motus nec mobile nec motui subiectum et maxime esse rerum immobilium; ergo et cetera. — Probatio primae: motus enim, secundum Aristotelem ([1]), est per se subiectum et causa temporis, in tantum quod vult quod « tempus non sit aliud quam numerus motus secundum prius et posterius »; sed omnis mensura successiva nihil aliud est quam tempus, quia quicquid formale seu quaecunque differentia formalis invenitur in uno, et in reliquo; non enim potest poni pro differentia specifica et formali quod unum est mensura mobilium, aliud immobilium, quia sic differret specie linea corporis mobilis a linea corporis immobilis; nec diversitas materialis subiecti sufficit ad diversificationem formamalem accidentis seu specificam, nisi cum hoc implicet aliquam differentiam formalem et specificam in ipso accidente; qualis non videtur posse hic dari, quia in utroque nihil amplius invenitur quam successio seu mensura successiva secundum prius et posterius, et maxime quia talis mensura exigit ([c]) in subiecto prius et posterius quod numeret et mensuret.

5. Item, quod simpliciter impossibile est esse nulli enti potest convenire; sed successionem durationis impossibile est esse, quia nec divisibile potest succedere divisibili nec indivisibile indivisibili; divisibile quidem non, quia in successivis quod praeteriit nihil est nec quod ([d]) futurum est; ergo solum illud erit quod actu praesens est; sed nullum divisi-

---

([a]) B[7] *sed motus non est aliud quam continua acquisitio alicuius formae vel termini cum continua destructione alterius* pro *sed in esse aeviternorum... praesens.* ([b]) B[1] *primum.* ([c]) B[7] *successiva* pro *successio seu... exigit.* ([d]) Ita B[7] B[1], V om.

([1]) *Phys.*, IV, 11, 219b sqq.

bile successivum potest esse simul actu praesens, quia una pars semper prior est altera; ergo nullius successivi potest esse aliquid [a] actu praesens nisi indivisibile; sed non praeteriit nisi quod aliquando fuit praesens nec futurum est quod aliquando non [b] erit praesens; ergo nihil praeteriit nec futurum est nisi indivisibile; indivisibile etiam indivisibili succedere non potest, quia simplex simplici additum facit maius; in successivis autem posterius additum priori maiorem successionem facit; ergo nullum successivum potest aliquo modo esse.

6. Item, omnis successio dicit fluxum alicuius fluentis [c] quod manet in toto fluxu, sicut mobile in toto motu; sed in duratione successiva non potest esse aliquid fluens nisi suum nunc; hoc autem in aeviternis non fluit, sed potius invariatum manet; ergo et cetera.

7. Item, nulla duratio potest componi ex solis et meris instantibus; sed si esse aeviternorum habet durationem successivam, eius duratio ex talibus componetur; esse enim eorum, cum sit simplex, nunquam potest esse nisi in instanti; si enim esset in aliquo divisibili, tunc oporteret quod una pars eius esset in una parte illius divisibilis et alia in alia; ergo sua duratio in qua erit non poterit habere nisi sola instantia. — Item [d], Dionysius, 10 capitulo [1] *De divinis nominibus:* « Proprietas aevi est antiquum et invariabile et totum secundum totum metiri »; et post [2]: « Nos aevo participaturos theologia dicit, quando incorruptibile semper eodem modo habens aevum consequemur ». — Item, Augustinus, XII *De Civitate*, 15 [e] capitulo [3]: « Si immortalitas angelorum non transit in tempore nec praeterita est, quasi iam non sit, tamen eorum motus ex futuro in praeteritum transeunt »; hic videtur innuere quod quantum ad suum esse nullam successionem habeant. Et XII *Confessionum*, capitulo 4, dicit [4] quod « angeli beati non habent futurum quod expectent nec praeteritum quod meminerint, nulla vice variantur nec in tempora ulla distenduntur ». Item, libro *83 Quaestionum* quaestione 71 [5]: « Inter aevum et tempus hoc distat quod illud stabile est, tempus autem mutabile ».

---

[a] Ita B^7, V B^1 om. [b] Al m. mg. [c] Ex *fluens*. [d] B^7 B^1 om. ab hoc argumento usque ad *sui subiecti*, pag. 163. [e] In ras.

---

[1] Cap. X, § 3 (PG 3 938). [2] L. c. (PG 3, 938 sq.); nota quod Pseudo-Dionysius hoc non de aevo sed de aeternitate dicit. [3] PL 41, 364. [4] Cap. 11 (PL 32, 830). [5] Q. 72 (PL 40, 84).

Item [a], in ipsa substantia aeviternorum aut in eorum esse substantiali nulla cadit successio secundum se, cum in ipsis secundum se non sit dare prius secundum durationem nec posterius, cum esse eorum sit simplex et semper simul totum; sed eorum duratio non differt ab eorum esse, ut probabo [b]; ergo et cetera. — Probatio minoris: si enim differt, oportet quod sit accidens etiam separabile, cum secundum partes suas adveniat et recedat ipsis manentibus et in nullo secundum substantiam variatis; sed accidens eorum nullo modo esse potest; omne enim accidens recipit esse et permanentiam seu durationem a suo subiecto et in suo subiecto; ergo aevum recipiet hoc a suo subiecto potius quam e contrario. Subiectum etiam est naturaliter prius actu quam suum accidens, ita quod semper eius existentia praecedit natura existentiam sui accidentis, et sic tota existentia seu permanentia subiecti praecedet totam existentiam cuiuscunque sui accidentis; ergo praeter ipsum aevum habebunt aeviterna aliam durationem seu permanentiam ipso aevo naturaliter priorem.

Praeterea, posito quod Deus nihil aliud det aeviternis nisi solum suam substantiam et suum esse: eo ipso intelligeretur durare et durationem habere; unde duratio nihil aliud esse [c] videtur quam ipsum esse continue existens nec eius instans videtur esse aliud quam praesentialiter esse seu quam esse praesentiale.

Praeterea, si est accidens, aut Deus concreat ipsum cum suo subiecto aut oritur ab ipso subiecto, si est concreatum; ergo ita Deus potest illud idem conservare, sicut et ipsum esse, absque omni variatione et successione. Tunc etiam non esset aliud durare in eis quam eis concreari seu infundi unum accidens, sive infunderetur semper aliud et aliud sive unum solum ab initio. Si vero oritur a subiecto, ergo subiectum erit causa originalis et efficiens suae durationis et permanentiae. Nec videtur quod plus debeat originare aliud et aliud quam in aliis proprietatibus; de quibus clarum est quod semper eadem et simul tota generantur.

Praeterea, si est accidens, oportet, ut videtur, quod informet omnia de quibus [d] poterit dici quod veraciter durant; et ita nihil erit in subiecto, quin totum informetur ab ipso

---

[a] Has obiectiones non numeravi, quia in fine quaestionis nulla solutio datur, responsum aliquod immediate sequitur. [b] Al. m. corr. [c] Ex *esset*. [d] Sequitur ras. et lac.

aevo sicut et totum subiectum; informare autem non poterit ipsa, ita quod per ipsam durent sicut per suam durationem formalem et intrinsecam, nisi cuilibet illorum intrinsece inhaereat; haec autem, ut videtur, stare non possunt; ergo et cetera.

Praeterea, cum Deus posset separare ea quae realiter differant faciendo unum esse sine alio, saltem accidens a suo subiecto, et maxime cum esse subiecti in nullo dependeat a suo accidente: ergo Deus poterit facere angelos esse absque omni duratione; sed hoc patet esse impossibile; ergo et cetera.

Ad hoc ultimum dicendum quod quidam breviter volunt quod nihil addat (a); et isti dicunt quod in ipso esse angelorum cadit successio, non quidem hoc modo quod una pars ipsius esse constitutiva succedat alteri parti, sed hoc modo quod ipsum esse omnino idem manens succedit sibi ipsi per continuam et plurificatam sui ipsius productionem; et haec ipsa est successio aevi et non alia. — Sed quoniam communiter tenetur quod tam aevum quam omnes aliae quantitates sint accidentia, dici potest quod est accidens concreatum et tale quod suum subiectum non praecedit ipsum naturaliter quantum ad esse actuale seu quantum ad existentiam, quoniam hoc accidens tale est quod suum subiectum formaliter per ipsum durat; et ideo hoc est singulare in ipso. Nec est verum quod additur quod Deus possit facere subiectum (b) sine omni accidente, quoniam non posset facere corpus sine partium positione, utpote non corpus humanum, cum tamen positio sit accidens. — Quidam tamen magni volunt quod aevum sit accidens originatum in parte a suo subiecto, principaliter tamen ponunt ipsum esse a divina virtute rem in esse conservante. Sed sive sic sive sic (c) ad propositum non refert; quoniam quomodocunque sit accidens, nihil inconveniens, si sit in aevo successio, quamvis non sit in essentia vel substantia sui subiecti.

Contra: Nulli durationi quae est simul tota potest aliquid succedere vel addi; si ergo duratio ipsius esse est simul tota, nulla alia potest ei succedere vel addi nec etiam minui; ergo Deus non posset augere vel minuere durationem alicuius entis.

(a) Al. m. mg. *Ad hoc... addat.* (b) Al. m. corr.; al. m. mg. *sine.* (c) Al. m. mg. *s. s.*

[Respondeo]

Ad quaestionem istam quidam dicere voluerunt et[a] volunt quod esse illarum rerum quae non sunt subiectae motui sit totum simul quantum ad suam durationem; illarum vero quae subiectae sunt motui ponunt[b] esse in tempore eo modo quo mobile ponitur in motu et tempore, quod quidem per se ponunt in nunc fluente et ipso mediante[c] ponunt ipsum esse in tempore. Moti sunt autem ad hoc, quia omnis durationis successivae seu variabilis causam et subiectum dicunt successionem et variationem motus, in tantum quod variationem durationis ponunt in se necessario implicare variationem motus, sicut numerus in sua ratione necessario includit illud quod numerat seu cuius est numerus. Volunt enim quod duratio successiva non sit aliud quam numerus motus secundum prius et posterius; unde inter durationem successivam et tempus nullam distinctionem[d] ponunt, immo pro fabula habent differentiam quam quidam inter aevum et tempus assignant, scilicet quod aevum dicat successionem sine innovatione[e], tempus vero cum innovatione. Dicunt enim quod omnis successio necessario dicit innovationem et variationem; innovatio enim nihil aliud dicit nisi novum adventum seu factionem alicuius, successio autem essentialiter in se includit novum adventum et novam factionem praesentis et novam destructionem praeteriti, variatio autem haec duo simul includit. Contra hoc etiam sunt obiectiones ad primam partem factae quibus illi innituntur[f]. Moti sunt etiam ad hoc[g], quia cum secundum eos

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Al. m. ex *ponun.* [c] Ita B^{7} B^{1}, V *immediante.* [d] B^{7} B^{1} *differentiam.* [e] B^{7} B^{1} add.: *et quod aevum dicat continuationem formae in materia, tempus vero sequatur mobilitatem et transitum materiae et quod propter hoc aevum plurificetur quemadmodum et formae, tempus vero unum sit, quemadmodum et materiae, sive* (?) *maxime mobilium, ab eis ponitur esse una.* — Hoc additum om. etiam B^{6}, et recte quidem. [f] B^{7} B^{1} add.: *Si etiam aevum dicit continuationem formae in materia, tunc aevum etiam erit in omni re in qua potest poni aliqua continuatio cuiuscunque formae in materia, et ita erit in omnibus rebus tam corporalibus quam spiritualibus. Si etiam tempus sequitur mobilitatem materiae, tunc erit in omni mobili eo modo quo mobile, quamvis et actu non moveatur; quia si sequitur actualem motum eius et non eius mobilitatem, nisi in quantum subest motui, non ex hoc tempus consequeretur mutatio; de hoc tamen in sequentibus dicetur, quia non est directe huius quaestionis.* — Hoc additum om. etiam B^{6}, et recte quidem. [g] B^{7} *principale.*

nunc sequatur [a] per se et directe substantiam rei et esse, si ipsum esse est manens, et nunc necessario erit manens; nunc autem manens successionem non causat, sed solum nunc fluens secundum Aristotelem [1].

Alii vero non minus catholici dicunt quod esse omnium creatorum est successivum seu in successione, sed diversimode; quia quorundam esse sic est successivum [b] seu in successione quod tota eius entitas est in qualibet parte successionis, sicut et materia mobilis tota est in qualibet parte temporis mensurantis suum motum; aliorum vero esse sic est successivum quod una pars ipsius esse est in una parte durationis et alia in alia, quale est esse albedinis seu albi in motu dealbationis.

Et istis magis assentiendum iudico; nam durationem cuiuscunque rei creatae ponere totam simul multa [c] inconvenientia includit. Si enim hoc posset poni in aliquo absque inconvenienti, hoc fieri posset in iis quae dicuntur aeviterna; et tamen in iis multa inconvenientia includuntur. Quod patet, si attendamus ad eorum initium et ad eorum finitatem vel terminum et ad eorum dependentiam qua a Deo dependent et ad eorum coexistentiam qua temporalibus coexistunt et ad eorum operationem et ad durationis suae rationem.

Si enim aeviternorum duratio est tota simul et praesens, tunc impossibile est unum eorum esse vel fieri prius altero, in tantum quod nec Deus potuisset vel posset facere unum prius altero nec intellectus hoc intelligere. Omne enim quod sic fuit prius altero quod etiam est simul cum illo praeabundat in duratione respectu illius, quantum fuit illud prius; si enim in nullo praeabundat, in nullo fuit prius. Cum etiam in ea parte durationis in qua fuit illo prius non sit nec esse potuerit cum eo [d] simul: necessario oportet quod aliquam partem durationis habuerit quam non habet, dum est cum eo simul, et quam nunquam habuit illud cum quo nunc est simul; ergo in eo [e] quaedam pars durationis transiit in qua fuit prius isto et quaedam pars successit in qua simul est cum isto. Unde ex ista positione vi-

---

[a] Al. m. mg., del. *sequitur*. [b] Corr. [c] Al. m. mg., del. *mul*. [d] Ita B^6; V B^7 add. *esse*. [e] B^7 *ea*.

---

[1] *Phys.*, IV, 11, 218b 27 sqq.

detur sequi angelorum aeternitas ita a parte anteriori sicut ex parte posteriori, cum non sit maior ratio quare illud simplex nunc aevi per suam simplicitatem attingat totam aeternitatem suae existentiae a parte post quam a parte ante; et ad minus sequitur inde possibilitas aeternitatis eorum a parte ante; si enim tota simul potuit eis dari a parte post, constat quod ita bene potuit eis dari a parte ante (a).

Nec valet quod a quibusdam (b) dicitur quod in aeviternis potest dari prius et posterius respectu temporis, sed non per se et respectu propriae durationis: quia si ibi potest dari respectu temporis, necessario sequitur, ut infra ostenditur (c), quod et detur per se et respectu propriae durationis; et tamen omni fideli intellectui absurdissimum est dicere quod amoto tempore et intellectu temporis anima mea fuerit ita cito sicut primus angelus vel sicut anima Adae. Et ad minus hoc sequitur quod sine factione temporalium et temporis Deus non potuisset facere unum angelum prius altero nec posset facere simpliciter priorem nisi solum per respectum ad tempus (d); quod non solum absonum, sed etiam infidele videtur. Si etiam loquendo pro nunc aeviternitatis verum est dicere actu et realiter angelum esse beatum: verum erit tunc et de anima mea (e) loquendo pro nunc eiusdem durationis; nec erit respectu talis nunc seu talis durationis aliqua in hoc differentia. Cum etiam intellectus angeli possit intelligere suum esse et aliorum aeviternorum (f) non cointelligendo temporalia: ergo tali intellectu non potuit intelligere simul coexistere animam meam non esse et se ipsum esse, si sine respectu temporalium non potest in eis intelligi prius et posterius, cum modo tali intellectu videat animam Petri coexistere sibi; et tamen tali intellectu non potuit videre eius (g) coexistentiam, dum ipso existente ipsa non erat. Praeterea, quaecunque sunt secundum mensuram propriam aequalia, ad quantum se potest commetiri unum eorum per mensuram illam, ad tantum possunt et alia; illud enim quod posset se commetiri ad plura, constat quod plus haberet intra se de ambitu et potestate commetiendi se pluribus; unum igitur aeviternum non potest se commetiri pluribus temporibus quam aliud, nisi excedat illud in propria duratione, scilicet in aevo.

(a) B^7 om. *unde ex ista... ante.* (b) *A quibusdam* ex *aliquibusdam.* (c) Ex *ostendetur;* al. m. mg. *quod et detur.* (d) B^7 om. *nec posset facere... tempus.* (e) B^7 *in ea.* (f) Corr. ex *aeviteronorum.* (g) B^7 om.

Non [a] etiam valet evasio dicentium quod unus angelus non debet dici prior altero nec posterior nec unum aevum alio maius vel minus, quia aeva eorum sunt plura nullum ordinem inter se habentia; quae autem inter se ordinem non habent unum eorum non potest dici prius altero nec posterius, cum prioritas et posterioritas dicant quendam ordinem; quia necessario oportet dicere quod illi qui modo actu sunt [b] simul coexistant, sicut et vere conceditur quod simul beatificati sunt et ab Ecclesiastico [1] quod simul tam ipsi quam omnia creata sunt. Potuit autem Deus facere quod aliquo eorum actu [c] existente alius aliquando non coexisteret et tamen postea coexisteret [d], sicut et de animabus fecit; ergo oportet salvare coexistentiam et non existentiam per aliud et aliud nunc seu per possibilitatem alterius et alterius nunc in duratione eorum. Est etiam necessarium dicere quod ille qui altero existente fuit et non fuit minorem habuit durationem suae existentiae quam illi qui ipso existente et non existente semper erat; in durationibus autem impossibile [e] est esse maioritatem sine prioritate et posterioritate. Quae etiam simul coexistunt habent paritatem [f] suae simultatis [g] quae est medium inter prius et posterius, sicut aequalitas inter maius et minus; et ideo si inter ea non est possibilis ordo et proportio prioritatis et posterioritatis, nec simultatis et e contrario. Omnes etiam rationes tam praemissae quam sequentes probant in aevo seu in aevis prius et posterius; mirabileque est quod quae habent durationem et maxime eiusdem speciei non sint comparabilia ad [h] se invicem in duratione, cum temporalia et aeviterna in duratione sint sibi comparabilia et cum omnia subiecta sint sibi comparabilia in proprietatibus uniformibus seu unius generis et speciei, comparatio autem durationis non sit aliud quam comparatio secundum prius, simul et posterius. Unde talis evasio non videtur aliud quam fugae petitio.

Secundo patet hoc intuendo ad eorum finitatem vel terminum. Si enim tota duratio [i] eorum est simul, nihil poterit addi, etiam a Deo, durationi eorum; et

---

([a]) B^7 hoc et sequentia usque ad *fugae petitio* transponit infra post verba *simplicis nunc* (pag. 174). ([b]) Add. interl. al. m. ([c]) Corr. ex *actus*. ([d]) B^7 om. *e. t. p. c.* ([e]) Al. m. ex *possibile*. ([f]) Ex *paritatatem*. ([g]) Ex *simulitatis*. ([h]) Ita B^7, V *aliud*. ([i]) B^7 *in tota duratione* pro *t. d.*

([1]) Cap. 18, 1.

tunc Deus non posset facere unum plus durare quam reliquum; quod, ut credo, non solum est falsum sed etiam infidele; et tamen in hoc ipso implicatur quod habeant durationem actualiter infinitam [a] et sic etiam esse actualiter infinitum. Si enim duratio ipsorum est finita: cum omni finito possit aliquid addi, et durationi eorum poterit addi; durationi autem addi non potest non intellecta successione. Cum etiam in omni finito sit dare terminum et intelligere ultra quem se non extendit: sic et in duratione finita erit dare terminum ultra quem se non extendet; et tunc ultra illum nullo modo existet, nisi alia duratio addatur.

Nec valet [b] quorundam evasio dicentium quod duratio aeviternorum est infinita negative, sed non positive; negat enim infinitum defectum non existendi [c] a parte termini, sed non ponit infinitum actum existendi: adhuc enim sequetur quod finito positive possit aliquid addi et quod finitum positive habeat positive terminum ultra quem non se extendat, et tamen praeter hoc oportebit dare quod negatio infiniti defectus existendi fundetur super positione infinitae existentiae; non enim iste infinitus defectus potest tolli, saltem simul et de praesenti, nisi per virtutem infinitam; de praesenti enim et simul negatur infinitus defectus in eo quod habet totam durationem simul quam habebit et habere poterit in [d] futuro seu respectu futuri. Licet etiam negatio infinitarum positionum [e] possit fundari [f] super essentia finita, ut negatio infinitarum [g] specierum in essentia lapidis, tamen negatio infinitorum defectuum quae est negatio infinitarum negationum videtur dicere quandam positionem infinitam; sicut enim illud negat positiones infinitas per infinitum defectum quem habet ratione suae finitatis, ita et istud videtur negare infinitas negationes ratione positionis infinitae; negatio enim negationis magis videtur dicere positionem secundum rem quam negationem, ut verbi gratia in proposito aeviternitas angeli negat non existentiam crastinam et quamlibet quae in futuro esse posset; non existentia autem crastina vel futura non potest negari nisi per positionem crastinae existentiae seu futurae; ipsae [h] enim negationes hoc ipsum dicunt secundum rem et nihil aliud; ergo istae infinitae negationes important infinitas positiones sive sub sim-

---

[a] Ex *infinitum*. [b] B[7] *patet*. [c] B[7] *defectivum non extendi* pro *d. n. e.* [d] Al. m. mg., del. *m*. [e] Al. m. mg. [f] Corr. [g] B[7] *finitarum*. [h] Al. m. mg., del. *propriae*.

plicitate sive sub extensione aut aequivalentia infinitarum positionum.

Hoc ipsum autem magis patet attendendo ad tertium, scilicet ad eorum dependentiam qua a Deo dependent. Sic enim maxime secundum fidem nostram esse creaturae dependet a Deo quod per solam desitionem seu cessationem dandi sibi esse statim cadit in nihilum. Secundum hoc autem nec Deus poterit intelligi posse cessare nec aliquod aeviternum posse annihilari; rem enim non esse, dum est, est contradictio manifesta; et eodem modo Deum non facere rem, dum eam facit sive pro illo nunc pro quo eam facit. Sed si tota duratio et existentia aeviternorum est simul et sic tota sibi praesens (a), non potest intelligi non fore nisi pro illo eodem nunc pro quo actu est nec Deum cessare a faciendo nisi pro eo nunc pro quo facit; si enim intelligas aliud sive secundum rem sive secundum aequivalentiam sive secundum intelligentiam, tunc usque ad illud solum extendebatur duratio aeviterni et ita non attingebat per sui praesentiam esse futurum; ex quo etiam ultra illud non attingebat, pro illo non posset habere existentiam, nisi super (b) durationem quae ad illud nunc terminabatur Deus durationem adderet.

Nec valet evasio quorundam dicentium quod quamvis aeviternum deficeret, quod ibi non esset successio aliqua secundum rem, quia non esse seu mera nihilitas nullo mensuratur (c) et ideo nec instanti creato nec Dei aeternitate mensuratur: quia cum intellectus verus sit qui dicit quod illud non esse non est (d) simul cum esse angeli quod per huiusmodi non esse negatur, sed est (e) eo posterius, oportet quod super aliquo veritas eius fundetur; et non est dare nisi terminum durationis ipsius esse certum et fixum cum possibilitate additionis alterius durationis; sicut patet in eo quod dicimus quod ultra ultimum caelum posset a Deo fieri aliud; per illud enim " ultra ", licet non significemus locum realem, significamus tamen terminum fixum ultimi caeli et possibilitatem ulterioris (f) loci. Sic et etiam est, quando dicimus quod (g) mundus antea potuit fieri; si enim caelum ultimum sive sub extensione sive per aliam viam attingeret infinitam distantiam, tunc nihil esset dictu quod ultra ipsum posset aliquid fieri; et idem est, si mundus attingeret infinitatem

---

(a) B^7 *praesenter.* (b) Ita B^7, V *supra.* (c) B^7 *mensuraretur.* (d) Al. m. mg. (e) Add. interl. (f) B^7 *interioris.* (g) Ex *quond.*

durationis a parte ante. Implicat igitur non esse quod post esse ponitur veram possibilitatem successionis alterius nunc; et pro tanto dicitur mensurari alio nunc, quia non potest intelligi ibi aliqua entitas nisi ut in alio nunc; pro tanto vero mensurari dicitur Dei aeternitate, quia Dei aeternitas attingit omne nunc possibile coexistere illi non esse quod negat et [a] consequitur esse angeli.

Item, ponatur quod Deus angelum annihilatum faciat esse: tunc non erit dubium quod nunc mensurans esse datum post annihilationem non est idem vel simul cum illo nunc quod mensuravit esse eius ante annihilationem, immo impossibile est etiam intelligere quin sit posterius et quin sit magis posterius quam si annihilatio non fuisset intermedia. — Item, quam cito verum est dicere, « angelus non est », tam cito potuit Deus facere unum alium angelum cuius esse non fuisset prius nec posterius quam non esse prioris angeli; ergo nunc mensurans esse huius angeli est posterius nunc mensurante esse angeli prioris et aevum illius aevo istius et tamen immediate se habens et immediate [b] consequens hoc ad illud; talibus autem potest considerari unum commune successivum. — Item, si esse aeviterni totum est simul, ergo tota conservatio qua a Deo conservatur iam tota facta est et etiam tota illa quae a Deo sibi dari potest; sed quod factum est et datum non potest a Deo fieri non factum et non datum; ergo impossibile est ipsum non conservari pro infinito futuro et pro omni conservatione Deo possibili; mirabile est etiam, si habere de praesenti omnem conservationem qua a Deo potuit conservari non implicat veram et realem infinitatem conservationis passivae, cum Deus potuerit dare conservationem aliam et aliam in infinitum.

Hoc etiam magis patet attendendo ad quartum, scilicet ad coexistentiam eorum qua tempori et temporalibus coexistunt. Si enim duratio angeli tota est simul et simplex, impossibile est quod possit coexistere diversis nunc temporis et continuae successioni eius, nisi saltem habeat virtualem quantitatem et ambitum in sua simplicitate; totaliter enim adesse non potest cuilibet nunc et toti successioni, et ideo secundum partem suae virtualis quantitatis coexistit uni nunc et secundum aliam aliii nunc et secundum aliam [c] continuae successioni; ergo

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Ita B^7, V *mediate*. [c] B^7 om. *alii... aliam*.

infinito tempori non potuit coexistere nisi per infinitam quantitatem virtualem. — Item, si sua praesentia coexistit infinito tempori, simul adest infinito tempori suo modo sicut et Deus, ita quod si per impossibile posset esse infinitum tempus simul, coexisteret omnibus partibus eius, et ita simul attingeret infinitum in actu. — Item, nunc temporis minus est ipsa duratione aeviterni seu quam nunc [a] eius, si tota in uno nunc comprehenditur; si enim esset aequale, tunc non extenderet se ultra nunc temporis; et sic etiam potest dici [b] de omni tempore finito quod est minus eo, quia extendit se ultra omne tempus finitum, quodcunque detur; sed hoc est impossibile, nisi sit actu infinitum. — Item, cum in duobus nunc [c] temporis possint contradictoria esse vera, in [d] uno autem nequaquam, pro eo quod non possunt simul verificari: si unum nunc angeli coexistit multis nunc temporis in eodem nunc aevi, contradictoria verificabuntur; et tamen impossibile est quod ibi sint simul; sed ibi non possunt non esse simul, si nulla ibi sit successio aut nulla virtualis quantitas secundum aliud et aliud sui attingens [e] ad contradictoria; si autem secundum virtualem quantitatem attingit ad contradictoria, tunc sicut prius ad successionem infinitarum contradictionum non poterit nisi per infinitam [f] virtualem quantitatem. — Item, quod [g] in uno nunc temporis non possint contradictoria esse aut est ratione suae simplicitatis aut ratione suae parvitatis. Si ratione simplicitatis, ergo nec in nunc aevi, nisi ipsum nunc aevi sit magis compositum quam nunc temporis. Si vero ratione suae parvitatis, ergo nec in nunc aevi, nisi ipsum sit maius quam nunc temporis; sed maius esse non potest, nisi plus positive comprehendat de ratione durationis seu morae vel permansionis; si autem positiva comprehensione excedit duo nunc, ergo et excessus quo excedit quodcunque determinatum tempus erit [h] per positivam comprehensionem et sic per realem infinitatem. — Item, omnis simplicitas aequivalens et praevalens extensioni plus ponit de entitate quam talis extensio; sed omnis simplicitas ambiens aliquam extensionem seu commetiens se ei praevalet tali extensioni; ergo plus ponit de entitate quam ipsa; ergo simplex commetiens se infinito tempori verius ponit infinitatem actualem

---

(a) Al. m. mg. (b) B^7 *posset dicere* pro *p. d.* (c) B^7 add. *eiusdem.* (d) Add. interl. al. m. (e) B^7 *attinget.* (f) Al. m. mg. *p. i.* (g) Al. m.; sequitur lac. (h) Sequitur ras.

quam ipsum, utpote si angelus commetiret se infinitis locis, nobiliorem et maiorem haberet infinitatem quam infinita loca.

Nec valet evasio dicentium quod hoc locum non habet nec veritatem in iis quae successive et non simul commetiuntur se seu [a] coexistunt tali extensioni; si enim angelus transeundo attingeret infinita loca, non propter hoc oporteret quod esset infinitus, aut si ipso stante immoto multa circa ipsum transirent et per hoc multa sibi successive coexisterent. Sic autem dicunt de aevo, quia ipsum non simul sed successive pluribus temporibus coexistit et hoc per transitum temporis, non per transitum eius; quia superiora probant necessario coexistentiam [b] sui esse simul cum [c] pluribus temporibus a parte ipsius et quod secundum aliam et aliam partem virtualis quantitatis coexistat [d]. Coexistere etiam quo angelus uni parti temporis existit aliud est ab illo quo alteri parti temporis coexistit [e], sicut et existere angeli in uno loco circa ipsum transeuntem aliud est ab illo quo existit in loco postea succedente, sed multa coexistere non sunt aliud quam partes aevi aut quam partes subiecti eius. — Praeterea, si uni rei non motae localiter multa loca successive circa ipsum transirent, sicut tempora sibi invicem succedunt et succederent circa aevum, posito quod sit simplex, hoc scilicet modo quod unum in loco posteriori attingeret illud et sic semper magis ac magis posteriorando loca, ut verbi gratia posito quod mihi stanti in uno loco unus homo praesentialiter [f] mihi assistat in hoc nunc et in sequenti nunc alius veniat post eum et in loco qui sequitur post ipsum et sic iterum alius et alius in infinitum, ita quod unusquisque sit post alterum, non solum ordine temporis sed etiam ordine loci: nulli esset dubium quin res illa quae sic commetiretur se in infinitum omnibus attingeret ad loca infinita seu ad spatium infinitum locorum sibi succedentium in [g] infinitum. Sic autem necessario esset de tempore, quoniam nunquam pars temporis sic semper succedit in ordine suo quod nunquam secundum eandem rationem distantiae possunt uni et eidem assistere nec e contrario [h]. — Item, posito quod Deus nunc temporis conservet, ne deficiat, sicut ab istis ponitur de nunc aevi, necessario aliquid

---

[a] Ita B^7, V *se.* [b] Al. m. ex *existentiam;* B^7 *aevi* pro *sui.* [c] B^7 *a.* [d] Al. m. ex *existat.* [e] Al. m. ex *existit.* [f] Al. m. corr. [g] Add. interl. al. m. [h] B^7 om. *Praeterea... contrario.*

sibi additur; maius enim efficitur et maiorem existentiam et conservationem accipit; unde et duo contradictoria tunc possent esse sub eo simul; sed nunc aevi non potest pluribus temporibus coexistere [a] nisi per continuam conservationem; ergo secundum quod pluribus coexistere ponitur, eo ipso maius esse ponitur.

Quinto patet idem aspiciendo ad eorum operationem. Operationes enim angelici intellectus et voluntatis, quamdiu durant, ita sunt totae in quolibet [b] suae durationis sicut et esse eius; non enim habent suum esse in successione diversarum partium sicut motus, et maxime illae quae Dei aeternitati altissimae [c] et immediatissimae coniunguntur, ut Deum videre seu aliqua in eo et ipso perfrui, ita mensurabuntur uno nunc aevi simplici sicut et esse eius, et tamen in istis cadit successio; succedit enim una operatio alteri durante eodem esse angeli, utpote quando de uno obiecto transit ad aliud vel quando de velle transit ad nolle et e contrario [d]; ergo idem esse angeli commetitur se duobus nunc sibi succedentibus consimilis generis et speciei cum suo; sed hoc est impossibile, nisi in sua duratione cadat successio. Licet [e] autem quidam dicant quod sicut lux continue alia et alia generatur etiam sole et aere immoto, quod sic actus praedicti semper fiunt alii et alii [f]; dicunt enim quod proprietas est solius Dei continue et quasi pluries posse facere simpliciter idem [g] et tamen nolunt quod propter hoc fiant consimiliter sicut motus, quia motus non potest esse totus in quolibet [h] nunc sui temporis nec aliqua pars eius attingit plene et secundum se totum suum terminum nec terminum totius motus [i]; praedicti autem actus, quamquam fiant semper alii et alii, plene semper attingunt totum obiectum qui est terminus eorum et ita bene possunt esse in uno nunc sicut et in parte divisibili suae durationis. Posito autem quod ita esset sicut isti dicunt, — non est enim hoc multum certum —, tamen contra eos qui tenent positionem istam non [k] valet, quia ipsi tenent quod primo dictum est de actibus angeli. — Item, angelus intelligit quicquid in eo est actu, saltem naturalia sua; ergo intelligit totam durationem suam, ex quo tota est in eo actu et simul; sed ipsa per id quod

---

[a] Al. m. ex *existere*. [b] B[7] *qualibet parte*. [c] B[7] *altissimo;* al. m. mg. *et immediatissimae*. [d] B[7] om. *utpote... contrario*. [e] Ita B[6], V *sed*. [f] Sequitur anacoluthon. [g] Al. m. mg. [h] Ita B[6], V *qualibet*. [i] Ita B[6], V add. *quod*. [k] Ita B[6], V *rem*.

habet praesentialiter potest attingere infinitatem temporis; ergo intelligit aliquid quod sua actualitate praesenti attingit ad infinitum et sic etiam per consequens intelligit tempus infinitum.

Sexto patet aspiciendo ad durationis suae rationem. Cum enim ratio [a] durationis, quando idem durat invariatum, dicat eiusdem permansionem et hoc sit idem quod dicere eiusdem esse iterationem seu continuationem, continuatio autem et iteratio [b] necessario includant aliquam diversitatem — licet enim id quod iteratur et manet semper sit idem, ipsa tamen iteratio est alia et alia et continuatio varias partes habet ex [c] quibus componitur, licet ipsum esse quod per talem continuationem durat et permanet semper sit idem —: unde idem videtur dicere quod duratio non habeat extensionem et successionem et dicere quod aliquod corpus sit quantum et continuum et tamen nullam habeat partium extensionem nec compositionem. Idem etiam videtur dictu quod nunc habeat magnitudinem more permansionis [d] et dicere quod punctus habeat quantitativam extensionem; sicut enim punctus dicit simplicitatem parvitatis in corporalibus, ita et nunc in durationibus. Istud autem plenius appareret, si quis fideliter intelligeret quod creatura ad divinae simplicitatis immensitatem accedere magis ac magis [e] non potest nisi per diversarum perfectionum aggregationem et compositionem: tunc enim consimiliter videret quod ad simplicissimae aeternitatis Dei immensitatem accedere non potest nisi per durationis et conservationis compositionem et aggregationem; hoc autem est de natura durationis et permansionis quod in ea non potest intelligi aggregatio partium nisi secundum prius et posterius seu secundum successionem, quia quaecunque simul sunt non habent rationem nisi unius simplicis nunc [f].

Pro ista autem parte est manifeste Anselmus, *Proslogion*, 20 capitulo, loquens de Dei aeternitate ubi sic ait [g 1]: « Hoc quoque modo transis [h] omnia etiam aeterna, quia tua et illorum aeternitas tota tibi praesens est, cum illa nondum

---

[a] In mg. [b] Ita B^7, V *iterato*. [c] Al. m. mg., del. *in*. [d] Ita B^7, V *permasionis*. [e] Al. m. mg. *a. m.* [f] B^7 hic ponit *non etiam valet... fugae petitio* (pag. 167). [g] Al. m. *u. s. a.* [h] Ita B^7, V *transit*.

[1] PL 158, 238.

habeant de sua aeternitate quod futurum est; sic quippe semper es ultra illa, cum semper ibi sis praesens, sed cum illud (a) semper sit tibi praesens ad quod illa nondum pervenerunt ». Et 22 capitulo dicit (1) quod « omne aliud ens praeter Deum habet fuisse quod non iam est et futurum esse quod nondum est » ; et ideo secundum eum nullum aliud ens est proprie et absolute. — Hieronymus etiam in quadam epistola (2).

Via autem philosophorum paganorum (3), quantum credo, decepit istos; illi enim coacti fuerunt ponere in intelligentiis durationem simplicem, quia posuerunt eas exire a Deo necessario et aeternaliter et eas impossibile destrui et habere quandam rationem universalitatis in sua essentia seu totum ambitum suae speciei, qui comprehendit, quantum est de sui ratione, totam aeternitatem tam a parte ante quam a parte post; universale enim secundum rationem suae universalitatis excedit omne tempus et omnem locum. Posuerunt etiam in eis operationes intrinsecas invariabiles et aeternas, immo etiam eis (b) consubstantiales, sicut apparet inspicienti subtiliter dicta eorum et maxime sequacium Aristotelis; nec mirum, quia posuerunt eas tanquam deos, licet inferiores Deo summo. Istis autem positis quae directissime (c) evacuant totam catholicam fidem necessarium fuit tenere durationem earum esse simul simplicem et actu infinitam; isti autem in parte dicta eorum accipientes, pro quanto videlicet visa sunt eis non repugnare fidei, visi sunt non attendisse quod contradictio implicabatur in accipiendo partem dicti cum abiectione partis alterius quae fidei aperte contrariabatur.

[Solutio Obiectorum]

Ad rationes igitur in (d) contrarium dicendum et primo ad primum: quia prima propositio falsa est de mensura successiva. Sicut enim eidem parti mobilis potest inesse (e) quantitativa successio motus, sic eidem enti quan-

---

(a) Al. m. corr. (b) Al. m. mg. (c) Ex *directeissime*. (d) Al. m. mg. (e) Ex *insesse*.

---

(1) PL 158, 238. (2) *Comment. in ep. ad Titum*, cap. 1 (PL 26, 559 sq.). (3) Auctor Arabes medii aevi qui Aristotelismum Neoplatonismo mixtum profitebantur prae oculis habet.

titativa successio durationis. Est tamen sciendum quod mensura, si proprie accipiatur, exigit in mensurato aliam quantitatem numero, specie tamen consimilem et proportione aequalem; mensuratio enim idem est quod certificatio rei mensuratae per aliquid fixum et certum eiusdem generis; et hoc modo semper mensura quanta et composita habet mensuratum quantum. Quando autem nihil aliud dicit [a] quam quantitatem rei intrinsecam, non oportet quod subiectum seu mensuratum sit quantum alia quantitate quam ipsa; alias iretur in infinitum. Et ideo non oportet quod esse respectu quantitatis spectantis ad genus durationis seu successionis sit quantum alia quantitate quam sit quantitas durationis. Quidam tamen dicere voluerunt quod quantitas ista non est quantitas ipsius esse immediate, sed permanentiae seu conservationis eius; quid tamen talis quantitas addat super permanentiam ipsius esse non est mihi clarum. Unde et aliqui alii dixerunt quod permanentia ipsius esse et quantitas durationis eius idem sunt.

Ad secundum dicendum quod duratio ipsius esse non est talis passio eius quod causetur ab ipso, sicut communiter propriae passiones causantur a propriis subiectis, cum idem sit principium essendi et conservandi; causa autem suae variationis praeter causam suam efficientem est natura eius, quia scilicet eius esse et essentia est in continuo fieri seu continuo transitu [b]; et ideo statim post suam factionem naturaliter transit et deficit.

Ad tertium dicendum quod non omnis variatio est motus nec sequens motum, sumendo large variationem; in proposito enim non est variatio eius quod conservatur et quod per conservationem continuatur, scilicet ipsius esse, sed solum continuationis eius; quia continuatio succedit continuationi et conservatio conservationi [c]. Et pro tanto verum est quod non dicit innovationem, quia non ipsius continuabilis; dicit tamen innovationem [d] partium ipsius continua-

---

[a] Sequitur ras. [b] B[7] *continuus transitus* pro *c. t.* [c] B[7] addit: *in motu autem non dicit eiusdem continuationem aliam et aliam, sed potius translationem de alio in aliud. Unde continuitas quae est in motu habet in continuabili partes alias et alias et non solum in ipsa continuatione; quia ipse motus habet de se partes alias et alias per quarum continuationem motus existit et datur. Quod non habet duratio esse permanentis, cum sit continuatio eiusdem semper et non alterius et alterius continuabilis, licet continuationis partes sint aliae et aliae.* [d] B[7] om. *quia non... innovationem.*

tionis; quae innovatio, cum non sit formarum subiecto dantium [a] esse formale et absolutum, non est innovatio includens motum. Et ut breviter dicam, non videtur haec continuatio super ipsum esse absolute acceptum aliquid addere nisi rationem prioris et posterioris; ipsum enim esse ut posterius acceptum continuatur sibi ut est prius acceptum; sicut et Aristoteles de tempore dicit [1] quod non addit ad motum nisi rationem numerationis per prius et posterius seu per rationem prioris et posterioris. Additio autem seu iteratio sui ipsius ad se ipsum quae magis proprie dicitur continuatio non dicit in se ipso acquisitionem alicuius alterius a se, sed solum acquisitionem, ut ita dicam, sui ipsius, cum ratione tamen prioris et posterioris; factio enim [b] durationis non dicit impressionem alicuius accidentis in re durante seu eductionem alicuius de ea, sed magis continuum fieri rei durantis seu aliquid consequens ipsum; esse enim rerum secundum Avicennam [2] et multos alios sapientes continue fit et est a Deo, in tantum quod conservari a Deo non est aliud quam continue esse et fieri ab eo; et ideo successio seu variatio talis durationis non dicit nisi successivam factionem ipsius esse aut cum ipso esse.

Ad quartum dicendum quod prima propositio falsa est: non enim solus motus est subiectum durationis successivae, sed omne durabile. — Ad id autem quod additur quod omnis mensura successiva sit idem quod tempus, quia nulla differentia formalis inter ea inveniri potest, fateor me nescire dare differentiam formalem. Nec tamen propter hoc tenendum mihi esse iudico aevum non esse successivum, quia maius et periculosius inconveniens est et, ut credo, evidentius tenere aevum non esse successivum quam tenere quod sit eiusdem speciei cum tempore; propter hoc [c] autem minus inconveniens et ignotius tollendum [d] non est concedendum maius et manifestius, sicut quidam in proposito fecerunt; haec enim est summa ratio quae movit solemniores huius positionis ad tenendum quod aevum non sit successivum.

---

[a] B[7] *dicentium*. [b] Sequitur ras. [c] B[7] om. [d] Ita B[7], V *intelligendum*.

---

[1] *Phys.*, IV, 11, 219b 1 sqq. [2] *Metaph.*, tract. VI, cap. 1, f. 91v col. 2.

Ad quintum dicendum quod cum motus sit de manifestissimis non solum intellectui sed etiam sensui: non solum est patens successionem possibilem esse, sed etiam actu esse. — Ad id autem quod dicitur quod nihil divisibile potest actu praesens esse · dicendum quod si praesens dicat idem quod actu in nunc existens seu idem quod ipsum nunc: sic verum est; hoc enim modo praesens non dicit aliquam partem temporis sicut nec nunc. Si vero praesens [a] dicat idem quod actu existens, quamvis non in nunc: sic falsum est: pars enim divisibilis [b] temporis actu est existens, sed non in nunc; sicut enim nunc existit in se ipso, sic et pars temporis in se ipsa. Quia autem actu ens vel actu existens magis proprie significat et consignificat [c] praesentialitatem significatam per nunc quam aliam; quia alia non habent plenam rationem entis, sed magis cuiusdam fieri, quod quasi in infinitum distat a praesenti, pro eo quod habet entitatem suam semper admixtam defectui et non entitati et quia suum esse non habet nisi in continuo fluxu partium suarum: ideo multi crediderunt quod nihil esset secundum rem de ipsis successivis nisi solum nunc aut quod est in nunc; quibus obviat apertissime ipse motus. — Quod autem dicitur quod pars quae praeteriit non est: si sumatur praeteritum respectu praesentis secundo modo accepti, verum est; si autem sumatur respectu praesentis primo modo accepti [d]: falsum est, nisi sumatur esse proprie pro sola entitate quae tota [e] simul habet esse in nunc; et idem dicendum est de futuro.

Ad sextum dicendum quod non credo quod in duratione successiva debeat poni pro fluente ipsum nunc, sed potius ipsa res durans cuius fluxus non est aliud quam continuum eius conservari vel fieri seu quasi continua eius iteratio, licet Aristoteles dicere videatur in *Physicis* [1] quod idem nunc fluit semper in tempore. Unde dicit quod idem nunc secundum essentiam manet in toto tempore, licet aliud et aliud seu potius alterum et alterum secundum esse, argumentum sumens ex hoc quia aliter oporteret quod post nunc sequeretur aliud nunc aut quod ipsum nunc commetiretur se seu quod coexisteret tempori divisibili; pro eo quod si idem

---

[a] Ita B^7, V *praeses.* [b] B^7 *divisi.* [c] Al. m. mg. *e. c.* [d] Al. m. mg. *verum est ... accepti.* [e] Ex *toto.*

---

[1] Lib. IV, 11, 219b 10 sqq.

nunc non manet, oportebit quod desinat esse aut in nunc immediate sequenti aut in tempore; si autem primum detur, tunc erit immediate nunc post nunc; si vero secundum, tunc non commetietur se tempori. Arguit etiam ex hoc: quia, ut dicit, nunc sequitur id quod fertur sicut tempus motum; id autem quod fertur manet semper idem, quamvis alteratum in toto motu. — Quamvis autem quidam dubitent an ipse intendat hoc asserere, sive tamen asserat sive non: non video quod possit stare, quia etiam superiora inconvenientia magis in proposito includuntur. Si enim ipsum nunc (a) semper manet et hoc in fluxu, ipsummet immediate est sibi prius et posterius, prout est sibi alterum et alterum secundum esse; sic (b) etiam verius coexistet toti tempori. Et praeter hoc omnes partes (c) temporis erunt actu divisae, quia ubicunque est actu nunc vel punctus, ibi est actualis divisio et terminatio; unde sicut punctus non potest esse inter partes lineae nisi in potentia, quin sint inter se divisae: sic nec nunc inter partes temporis. Cum etiam nunc non sit aliquid mobile, quomodo potest esse fluens? Cum etiam nunc non informetur partibus temporis nec fluxu earum nec sit tale quid quod possit ab alio informari, quomodo potest esse idem secundum essentiam, alteratum vero quasi per accidentia varia? Cum etiam propter alterationem unum subiectum non possit dici duo: tunc nullo modo in toto tempore poterit dici veraciter esse plura nunc, cum tamen omne continuum habeat in potentia plura nunc vel puncta, sicut plures partes et actu plura, si sit actu divisum (d). Et tamen contra primum superiora non cogunt; instantis enim desitio, si sumatur pro hoc quod est primo non esse, est in tempore eo modo quo negatio potest esse in aliquo; unde nunc deficit seu primo non est in tempore immediate sequenti. Nec tamen propter hoc sequitur quod commetiatur se tempori, sed potius quod eius negatio seu desitio commetitur se tempori. Nec est vis facienda in eo quod dicitur quod primum eius non esse sit in tempore, cum in tempore non sit dare primam partem, quia primo non esse sumo pro immediate non esse; tempus enim immediate sequitur nunc, etsi (e) non sit dare aliquam partem eius quae primo sequatur (f) nunc. — Quod autem additur quod (g) nunc sequitur id quod fertur, sicut

---

(a) Ex *tunc*. — (b) Al. m. mg., del. *secundum*. (c) Ex *pars*. (d) Ita B^7, V om. (e) Ex *sit*. (f) Al. m. mg., del. *sequitur*. (g) In mg.

tempus [a] secundum quod tempus sequitur motum: potius deberet dici quod nunc sequitur mutationem seu mutatum esse, sicut tempus motum; sicut enim nunc est aliquid temporis indivisibile partes eius continuans et terminans, sic mutatio est aliquid motus, mutatio autem in motu est alia et alia. Si etiam nunc sequitur id quod fertur: tunc ita [b] erit unum sicut id quod fertur et ita parum continuabit partes temporis sicut id quod fertur partes motus. Si etiam manet in toto tempore sicut id quod fertur: ergo nunc temporis simul fluit et permanet et ita simul habet conditiones contrarias, quia secundum eos nunc permanens facit aevum et fluens facit tempus; tunc etiam habebit quantitatem permanentiae et nunc maiorem nunc minorem. In aeviternis [c] igitur non manet idem nunc nec fluit, sed nunc deficit et partes durationis succedunt.

Ad septimum dicendum quod licet quidam concedant quod aliqua duratio possit componi ex solis instantibus, non tamen ita quod ex eis fiat unum continuum nec quantum proprie, volunt enim quod instans in aliquibus possit immediate succedere instanti: concesso tamen eius opposito quod magis est probabile non sequitur quod aevum, quamvis sit successivum, ex solis nunc componatur; esse enim aeviternorum, licet sit simplex seu totam entitatem suam habens [d] in quolibet suae durationis, non est in partibus divisibilibus suae durationis tanquam manens, sed tanquam fluens, non quidem fluens per varias formas, sed per aliam partem conservationis suae et permanentiae. Videmus autem quod unum mobile quod stando non potest [e] esse nisi in loco sibi aequali et adaequato, tamen per motum et in fluxu est in loco sibi inaequali; et cum nunquam simul possit esse in loco maiori se et cum semper sit in loco immediate, tamen quando recedit a loco sibi adaequato, non est dare aliquem locum adaequatum in quo sit; sicut post [f] terminum a quo non est dare immediate alium terminum seu primum mutatum; unde non est maior difficultas in aevo quam in localitate mobilis quod actu movetur. Et ideo dicendum quod esse in parte divisibili suae durationis non est per aliam et aliam partem sui, sed solum per quendam continuum transitum. Argueretur autem bene, si in parte divisibili suae durationis poneretur existere in aliquo uno

---

[a] B^7 add. *motum*. [b] Al. m. mg. [c] Al. m. *i. a.* [d] Al. m. mg. [e] Ita B^7, V om. [f] Ita B^7, V repetit *post*.

nunc; hic autem non ponitur existere sic, sed potius in tempore existit in eodem tempore, in transitu enim existit in transitu et non stando nec manendo [a]. — Ad illud autem Dionysii dicendum quod sicut nos dicimus hoc tempus est pulchrum, clarum et bonum, illud vero malum, triste et turbulentum, attribuentes tempori proprietates sui subiecti: sic potest dici quod Dionysius dicit aevum invariabile et semper eodem modo se habens propter hoc quia suum subiectum est huiusmodi, non quia ipsum secundum se et suas partes habeat successionem et variationem. Quae variatio nullam transmutationem formarum absolutarum ponit, sed solum variationem durationis; nec ponit in ipsa variationem, in quantum est ens, ita quod de tali ente fiat tale ens ac si esset alteratum, sed solum ponitur variari, in quantum est durabile seu durans. — Et idem potest dici ad illud Augustini, *De 83 quaestionibus:* quod enim tempus [b] dicit esse mutabile, quia subiectum eius est motus vel mobile, aevum vero stabile, quia subiectum eius [c], etiam in quantum est eius subiectum, non movetur aliqua specie motus sed solum fit in ipso quaedam durationis successio eo ipso quo ipsum subiectum in identitate sui esse continuatur seu quasi iteratur. — Ad illud autem Augustini, *De Civitate*, posset dici quod non loquitur assertive sed conditionaliter. Posito tamen quod ita credat, non negat quod ibi nihil sit praeteritum, sed quod immortalitas eorum non est praeterita; nec de illa negat hoc absolute, sed quod non est hoc modo praeterita quasi iam non sit, hoc est, quasi iam pro sequenti nunc totaliter esse desierit.

Quoniam autem in tota ista responsione hoc semper videtur poni quod in duratione aevi sit variatio, ita quod aliquid ibi desinat esse simpliciter, illa scilicet pars durationis quae transit in praeteritum, et ita quod aliquid de novo acquirat esse quod antea non fuerat, pars videlicet durationis futura, quando de novo fit praesens, et quod propter hoc non ponitur ibi esse variatio formarum absolutarum, qualis est in alterationibus seu in aliis motibus; hoc autem non solum sit contra solemnem magistrum huius positionis [1] qui manifeste ponit quod in aevo sit successio

---

[a] Hic desinit B[7]. [b] *Tempus enim* pro *e. t.* [c] Al. m. mg.

[1] Est certe aliquis theologus qui Aristotelem sequitur, fortasse est S. Thomas. Cfr. *S. th.*, I, q. 10, a. 5; *Quaest. quodlib.*, V, art. 7, q. 4.

absque aliqua innovatione et variatione per solam continuationem eiusdem esse; sed etiam sit, ut videtur, iste modus sui ipsius destructivus acsi contradictoria in se implicans, quoniam illud praeteritum quod ponitur totaliter desiisse aut erat accidens vel substantia; et si substantia, tunc esset ibi corruptio substantiae; si autem accidens, non poterat esse sola relatio, quoniam illa non advenit nec recedit nisi per adventum et recessum alicuius absoluti in quo fundatur, nec etiam duratio seu permanentia videtur solam relationem dicere, immo quantitatem vel continuum existere: ergo secundum hoc oportebit quod aliqua forma accidentalis et absoluta recedat a substantia aevi et quod aliam absolutam acquirat semper, quando futurum fit praesens. Ergo si est ibi variatio secundum durationem, eo ipso erit ibi variatio et transmutatio subiecti secundum formas absolutas et accidentales aut saltem secundum talia accidentia qualia oportet esse terminos motuum et mutationum, saltem sicut sunt varia ubi secundum quae fit motus localis. Et saltem hoc oportebit dicere quod ipsum subiectum vere moveatur et transferatur de una parte aevi ad aliam. Et tunc oportebit dare aliquem motorem qui impellat ipsum subiectum aevi et qui per (a) motum ipsius generet unam partem aevi corrumpendo aliam; nisi forte dicas quod aevum sit in ipso angelo per quendam influxum, sicut fiunt diversae illuminationes in aere; et hoc non potest intelligi, quia tunc angelus seu quodcunque aliud subiectum aevi prius esset actu quam sua duratio nec durare in ipso esset aliud quam accidentia varia fieri in ipso.

Praedictus etiam modus videtur esse contrarius illi modo qui dicit conservationem angeli non esse aliud quam continuum exitum sui esse a Deo absque hoc quod aliquid realiter per essentiam diversum addat ad ipsum esse sic conservatum. Et consimiliter est contra illum modum qui ponit quod creatio passio seu creari nihil addit realiter per essentiam diversum ad rem creatam; quoniam secundum modum praedictum prior conservatio quae non videtur esse aliud quam prior pars durationis erit omnino alia per essentiam tam a conservatione quae fit in sequenti nunc quam ab (b) ipsa re quae conservatur; quoniam eorum quae omnino sunt eadem et indifferentia secundum essentiam impossibile est unum corrumpi altero existente et e contrario et impossibile est quod alterum eorum tunc acquirat esse, quando alterum

(a) Al. m. mg. (b) Al. m. mg.

corrumpitur, et maxime sic quod nullo modo aliter possit fieri in esse. Substantia autem angeli secundum istum modum remanet priori conservatione praeterita et corrupta, et erat antequam sequens fieret et esset, et quando prior corrumpitur, sequens generatur et non aliter; ergo sequitur quod omnino ad invicem differrent per essentiam. Qui autem dicit quod conservatio prior differat per essentiam a sequenti, eo ipso ponit quod differant per essentiam ab ipsa re conservata, quoniam quaecunque sunt per essentiam totaliter eadem uni et [a] eidem necessario inter se sunt omnino per essentiam [b] eadem. — Et sic patet quod praedictus modus tam sibi ipsi quam illis modis dictis est contrarius.

Quidam igitur volens [c] positionem magistri praedicti et istos modos de conservatione et creatione salvare et contrarietates [d] praedicti modi evadere dicebat [e] quod omnino idem est secundum essentiam id quod in aevo praeterit et id quod sequitur; secundum tamen [f] aliam rationem praeterit et secundum aliam sequitur. Cum enim dicimus quod ibi est aliud et aliud fieri et aliud et aliud existere seu conservari, idem tamen omnino esse quod diversa factione pluries, ut ita dicam, existit seu plures existentias habet: ipsa fieri et ipsa existere non sunt diversa, ita quod realiter habeant aliam et aliam essentiam, sed solum sunt diversa secundum rationem fieri seu factionis et essentiae actualis seu existentiae prioris et existentiae posterioris; ita quod ipsum esse, in quantum est suum existere et in quantum est suum fieri sive in quantum existit et fit, est diversum a se ipso, in quantum alia vice iterum existit et fit, non autem secundum absolutam rationem suae essentiae seu suae entitatis. Et eodem modo ipsae existentiae et ipsa fieri, in quantum sunt idem quod ipsa essentia et esse angeli, sic semper manent quemadmodum et ipse angelus; secundum tamen rationes suas diversificantur [g] et geminantur, praetereunt et sequuntur, ita quod sunt partes unius continuae existentiae et unius continui fieri.

Ad id autem quod supra arguitur quod si praetereunt et sequuntur et una est altera non existente, quod oportet eas essentialiter esse diversas, dicebat quod hoc verum esset, si

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Ex *enessentiam.* [c] Ex *valens.* [d] Al. m. ex *contrarietas.* [e] Al. m. [f] Al. m. mg., del. *talem.* [g] Ex *diversicantur.*

secundum rationem essentiae seu secundum hoc quod sunt quaedam essentiae una posset destrui altera existente, et e contrario; non autem, si secundum rationem existentiae et existentis et secundum rationem fieri et factionis in quantum huiusmodi et non aliter hoc contingat. Unde dicebat quod ibi non est aliqua praeteritio aut futuritio, ita quod aliqua essentia desinat simpliciter esse essentia aut de novo acquirat aliquam entitatem quam antea non haberet, sed solum est ibi hoc modo quod eadem essentia desinit existere et fieri accipiendo aliud existere et aliud fieri; aliud autem dico, non quasi sint diversa entia seu tota, sed eo modo quo partes unius continui possunt dici aliae et aliae (a) seu aliud et aliud.

Quaerenti autem quomodo existere et fieri poterant transire et desinere secundum istas rationes et tamen remanere secundum totam suam essentiam aut quomodo in creatura potest inveniri talis rationum diversitas quod secundum eas aliqua possunt dici aliud et aliud, sicut vere potest dici quod aliud est existere praeteritum ab existere praesenti et tamen cum hoc in ipsis sit omnimoda identitas essentiae, cum huiusmodi conditio solis divinis personis propria esse videatur et magis esse divina conditio quam creata: respondebat quod si istae rationes dicerent id quod dicunt per modum formae vel entitatis (b), quod haec nullo modo possent verificari; sicut nec in divinis personis illa quae ibi plurificantur, si tales rationes dicerent, possent ibi plurificari. Si etiam dicerent rationes correlativas aut tales quod intellectus et existentia unius dependeret ab intellectu et existentia alterius, non posset una ratio tolli absque (c) altera. Si etiam per hoc desinerent et advenirent quod aliquid fieret in ipso esse sicut in subiecto et aliquid ab ipso deperiret quod non erat omnino id ipsum cum ipso esse seu cum ipso ente, non posset hoc fieri sine variatione essentiali. In proposito autem nihil horum est; non enim dicunt id quod dicunt per modum entitatis nec existentia unius dependet ab existentia alterius nec desinunt aut adveniunt nisi per hoc quod ipsum esse seu ipsum ens secundum quod prius fiebat et existebat desinit, ita quod si iterum non fieret, omnino et quoad essentiam et quoad existentiam in nihilum cederet. Dicebat etiam quod non sunt aliud et aliud, le « aliud »

(a) Al. m. ex *alia;* add. interl. al. m. *et.* (b) Al. m. ex *entis.* (c) Al. m. mg.

sumpto neutraliter, ita quod dicant alietatem essentiae, sed solum prout sumuntur adiective, ita quod dicant tantum alietatem existentiae et factionis.

Instanti autem adhuc amplius et quaerenti quid facit priorem rationem desinere et sequentem incipere et quare non vere possit dici prior ratio quae desiisse dicitur adhuc esse, cum in sua essentia adhuc existente ipsa veraciter includatur: respondebat quod totum istud patet ex natura factionis et productionis ipsius esse (a); est enim natura eius talis quod non potest stare nisi per unum nunc, sicut et de motu patet. Unde ad hoc quod duret diutius oportet eam in partibus aliis et aliis seu in factionibus continuis continue renovari. Quae renovatio idcirco nihil addit essentialiter diversum, sed solum idem renovat et reiterat, quoniam haec est natura productionis quod primum et immediatum productum ab ipsa non differt per essentiam; alias ipsa a se ipsa essentialiter differret, cum ipsa semper sit primum productum. Et etiam de natura eius est quod quando aliquid secundum se totum est productum, et simul cum hoc est primum productum; sicut est in creatione rerum quod ipsa nihil addat ad essentiam rei, quamvis dicat veram rationem productionis eius. Quando igitur est tale agens quod potest pluries idem (b) producere, ita quod quicquid producit primo producit secundo, sicut Deus hoc vere potest, nisi negetur esse omnipotens: tunc necessario sequitur quod productiones et existentiae plurificentur, nulla essentia alia addita, ita quod idem penitus addatur et succedat sibi ipsi. Nec negatur quin ratio prior remaneat secundum quod in essentia implicatur, hoc est, secundum quod est idem sibi, et tamen vere desierit sicut et ipsa tota essentia quantum ad priorem existentiam et etiam quantum ad se ipsam, prout est propria prioris rationis seu prioris existentiae, quamvis ipsa essentia non desierit, prout est communis priori existentiae et sequentibus, quoniam sic (c) semper salvatur in sequentibus.

Dicebat etiam quod hoc non erat divina conditio, sed potius quaedam miranda similitudo et imago personalis distinctionis divinarum personarum. Si enim hoc esset divina conditio, aut hoc esset ex eo quod plures rationes reales sunt idem secundum (d) rem — et hoc non est verum, cum multas tales in omni ente creato sit necessario dare — aut ex eo quod una desinit alia adveniente et e contrario, et

---

(a) Al. m. mg. (b) Al. m. mg. (c) Al. m. mg. (d) Al. m. mg.

hoc multo minus potest dici, quia desinere et advenire sunt conditiones Deo contrariae et repugnantes potius quam divinae. In hoc autem est pulchra imago personalis productionis in Deo existentis quod istae rationes spectant ad fieri et ad existere, ita quod possunt dici aliquo modo plura fieri et plura existere seu plures factiones et existentiae absque diversitate essentiae; sicut suo modo in divinis sunt plures productiones et existentiae cum summa identitate essentiae et sicut ibi quodammodo productio est ratio plurificationis existentiae potius quam e contrario, sic et in [a] proposito. — Deficit tamen [b] haec imago ab exemplari aeterno, quoniam illae existentiae et productiones sunt increatae, independentes, producenti coaequales et consubstantiales, nullius totius partes et maxime totius continui, immo personae completae et plures [c] et omnino indeficientes nec aliquam successionem inter se habentes; istae vero sunt creatae, dependentes, continue deficientes et sibi succedentes et unius continuae existentiae et continuae factionis partes et unius personae rationes diversae. Et ex iis manifestum esse dicebat quod non sunt divinae conditiones, sed solum quaedam imago divinarum conditionum, ab illarum tamen nobilitate in infinitum deficientes.

Et ad maiorem commendationem sui dicti verba Dionysii et Augustini superius in arguendo allegata magis hoc sonare dicebat, quod scilicet in aevo sic sit mansio et statio seu continuatio quod nulla sit ibi variatio, corruptio nec mutatio; utrumque enim aevo attribuunt, quod scilicet sit stabile et stans et manens, invariabile et immutabile et semper eodem modo, secundum rem scilicet et essentiam, se habens et quod immortalitas angelorum non sit praeterita, quasi iam [d] non sit. In quo Augustinus innuere videtur quod aliquo modo possit esse praeterita, quantum scilicet ad priorem rationem existentiae, ita tamen quod omnino tota remaneat secundum totum suum esse, ita scilicet quod idem secundum rem et essentiam sit praeteritum pro priori nunc et praesens pro sequenti.

Secundum autem hanc viam nitebatur astruere differentiam inter tempus et aevum quam communiter sancti ponunt: quoniam partes temporis realiter et secundum suam essentiam transeunt et inter se differunt, ita quod tempus

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. mg. [c] In marg. *i. p. c. e. p.*, del. *et unius personae rationes diversae.* [d] Add. interl.

est continuum habens successionem partium secundum suam essentiam differentium et transeuntium, aevum vero continuum habens successionem partium secundum solam rationem, realem tamen, differentium et transeuntium, non autem secundum essentiam; nisi forte essentiam accipias, non prout est communis utrique rationi seu utrique existentiae, sed solum prout est propria unicuique earum eo modo quo et in divinis essentiam, prout est Patris [a] propria, ponunt quidam generantem et, prout est Filii [b] propria, ponunt eam genitam, ita quod, prout est Filii propria, est personaliter a se ipsa distincta, prout ipsa est propria Patris, non autem prout est communis utrique personae. Pro quanto autem in rebus temporalibus invenitur statio et permanentia continua unius et eiusdem, pro tanto dicebat eas participare mensuram seu durationem consimilem aevo. — Non tamen propter hoc deberet dici aeviternas, sed potius temporales; quoniam aeviternum dicimus quod est supra tempus et supra motum et corruptionem quantum ad suum esse substantiale et quantum ad suas proprietates naturales; temporalia vero dicimus illa quae quamquam actu non transmutentur, necessitatem tamen habent in se transmutationis et corruptionis, ita quod secundum legem suae naturae sunt subiecta necessario motui et corruptioni. Nec mirum, quia per consimilem modum ponit Augustinus et Magistri quod angelus secundum suum esse sit aeviternus, secundum tamen suas actiones et motus participet aliquid de mensura temporis; sicut patet XII *De Civitate*, capitulo 15 [1], et alibi pluries XII *Confessionum* [2] materiam primam rerum corporalium dicit carere tempore sicut et angelum, quod non potest intelligi nisi secundum quid, scilicet secundum suam essentiam, non secundum sua esse formalia. Et etiam Magistri dicunt caelum secundum suam substantiam non mensurari tempore, sed solum secundum suum motum.

Dictum autem istius caute diiudicandum potius quam asserendum esse censeo, ne forte in aliquo praeiudicet sanae fidei et intelligentiae. Hoc solum indubitanter assero quod in aevo est successio, quoniam ex capitulo opposito multa fidei contraria sequi videntur, sicut supra aliqualiter patuit.

---

[a] Ex *temporis*, idem subinde. [b] V *sibi*.

---

[1] PL 41, 363 sq. [2] Capp. 9, 12, 13 (PL 32, 829 sqq.).

QUAESTIO X.

Quarto [a] quaeritur an sint solae duae durationes numero rerum creatarum vel plures seu an sint solum duae numero mensurae existentiae rerum creatarum seu plures aut una sola numero.

Et quod duae solae videtur.

1. Sicut se habet tempus ad temporalia, sic aevum ad aeviterna; sed secundum Anselmum, libro *De veritate* (1), non est nisi unum tempus omnium temporalium, et idem vult Aristoteles (2); ergo non erit nisi unum aevum omnium aeviternorum; sed secundum omnes aevum et tempus sunt duae mensurae seu durationes; ergo sunt duae numero et solum.

2. Item, sicut quae sunt simul loco [b] non habent nisi unum locum numero, ita quae sunt simul duratione seu tempore non habebunt nisi unam durationem numero; sed omnia quaecunque sibi coexistunt in tempore sunt simul tempore et eodem modo quae sibi coexistunt in aevo sunt simul [c] aeviternitate; ergo omnia temporalia non habent nisi unum tempus numero nec aeviterna nisi unum aevum.

Quod autem sint plures, tot videlicet quot durabilia, videtur.

3. Quot modis enim dicitur unum correlativorum [d], tot modis et reliquum; sed mensura et mensuratum et duratio et durabile sunt correlativa; ergo et cetera.

4. Item, si non est nisi unum tempus omnium temporalium, tunc non habebit nisi unum subiectum numero; et illud necessario erit tale quod per suum tempus sit aptum mensurare et continere omnia temporalia, sicut mensurans omnia sua mensurata et sicut locans omnia sua locata; tale autem videtur solum primum mobile; sed in motibus et affectioni-

[a] B^7 B^1 *tertio.* [b] B^7 B^1 *loca.* [c] B^7 B^1 add. *in.* [d] B^7 B^1 *relativorum.*

(1) *Dial. de verit.*, cap. 13 (PL 158, 486). (2) *Phys.*, IV, 13, 223b 2 sqq.

bus angelicis est tempus qui nullo modo subesse nec contineri nec mensurari possunt a motu primi mobilis; ergo et cetera.

5. Item, omne quod sequitur formam multiplicatur secundum multiplicationem formae; sed aevum est propria passio sequens formam aeviternorum: sicut enim materia causa est variationis, ita forma causa est invariabilitatis et conservationis; sed in aeviternis et in omnibus rebus plurificantur formae sicut et res; ergo in aeviternis sunt plura aeva numero (a).

Quod autem sit una sola mensura omnium durabilium videtur.

6. Secundum enim Aristotelem, X *Metaphysicae* (1), in unoquoque genere est reperire aliquod unum primum et minimum seu simplicissimum quod est mensura omnium aliorum; sed omnes substantiae creatae sunt in uno genere substantiae; ergo in genere substantiae erit dare unam minimam substantiam quae sit mensura omnium aliarum, et idem erit in omni genere durabilium et durationum.

7. Item, idem est numero locus spirituum et corporalium; ergo a simili eadem erit duratio.

[Respondeo]

Ad quaestionem istam aliqui aliquando dicere voluerunt quod essent tot (b) durationes et tempora quot (c) sunt durabilia seu actu existentia et quod unitas numeralis quae attribuitur tempori attribuatur ei a solo intellectu, sicut suo modo ab eo attribuitur unitas et communitas universalibus. Sicut enim si duo corpora vel duae superficies intra se existerent, intellectus statim imaginaretur eis unam communem quantitatem et unum communem locum, quamvis non essent sub exteriori locante: sic duobus durabilibus et duabus eorum durationibus sibi coexistentibus intellectus imaginatur unam communem durationem, maxime quia quantum ad longitudinem successionis non faciunt aliquid maius et ideo in reputatione et acceptione eius non computantur nisi pro uno; in numerationibus

(a) B^7 B^1 om. (b) Al. m. mg. (c) B^7 *quod.*

(1) Cap. 1, 1052b 20 sqq.; X, 2, 1053b 25 sqq.

enim longitudinis temporum secundum prius et posterius non valent plus quam una sola.

Movebantur autem isti tribus ex causis: ex parte scilicet subiecti durationis rerum et ex parte mensurationis et ex parte ipsiusmet durationis.

Ex parte quidem subiecti: Quia [a] ad plurificationem propriorum subiectorum sequitur necessario plurificatio propriorum accidentium et passionum; omne enim accidens trahit unitatem numeralem a suo subiecto sicut et esse vel existere et non e contrario; unde sicut subiecti existentia naturali ordine praeexigitur ad esse accidentis, sic et subiecti unitas ad unitatem eius; unde ad unitatem numeralem accidentis non sufficeret ponere plura subiecta quae pro tanto solum unum essent, quia subessent eidem accidenti; velut quidam dixerunt quod omnes motus simul existentes respectu temporis non habent nisi rationem unius subiecti, quia non habent nisi rationem unius dimensionis vel mensurabilis respectu eius, scilicet in longum vel secundum prius et posterius; sic enim omne accidens posset poni in pluribus et etiam in [b] infinitis subiectis [c] et sic subiectum traheret unitatem ab accidente et non e contrario; et tamen per hoc nulla poneretur unitas in potentia susceptiva accidentis nec in dispositionibus susceptivis; quodlibet enim subiectum haberet aliam et aliam, essetque [d] mirabile, si subiecta essent in pluribus temporibus vel locis, quomodo unum accidens secundum se totum posset esse in unoquoque et informare unumquodque.

Sed ut isti dicebant, quot sunt durabilia, tot sunt subiecta durationum; tum quia duratio unicuique convenit et solum per hoc quod est durabile seu per hoc quod sua existentia habet in se prius et posterius, sive per continuationem unius et eiusdem, sive per successionem et mutationem variarum formarum, sicut est in motu — non enim duratio propter aliud potest convenire etiam primo [e] mobili — ; tum quia quocunque durabili ablato omne durabile manens habebit vere durationem, sicut si illa non essent ablata, quod esset impossibile, si non per se et sufficienter in isto maneret sicut in proprio subiecto, unde et in motibus, motu primi mobilis et quocunque alio amoto, quicunque motus

---

[a] Add. interl. al. m. [b] B^{7} *in*. [c] B^{7} om. [d] Add. interl. al. m. *que*. [e] Ita B^{7} B^{1}, V *prima*.

existeret eodem modo penitus [a] esset in tempore sicut et si illi essent; tum quia nulli [b] durationi potest dari unum subiectum primum, ita quod in illo solo sit sicut in subiecto et non in aliis durabilibus [c].

Non enim, ut dicebant, est dare pro subiecto temporis unam materiam numero omnium, quia talis est impossibilis esse, sicut a multis [d] efficaciter probatur; et quia durationes non conveniunt rebus per hoc quod sunt in potentia seu in materia, sed per hoc quod sunt actu — unde nec mobile habet durationem convenientem [e] motui per hoc quod est mobile, sed per hoc quod est actu motum —; et quia illi iidem qui ponunt materiam numero unam in omnibus ponunt eam diversam secundum esse formalia et ita diversam secundum formas substantiales et accidentales, duratio autem formalem actum dicit, cum sequatur esse seu existere seu motum. Non etiam erit dare unum motum pro subiecto primo temporis, ut videlicet motum primi mobilis, quia duratio seu tempus non convenit motui alicui per hoc quod est in tali specie motus, sed per [f] hoc quod est actu existens vel per rationem motus generalem, et tunc ubicunque erit ratio motus, erit ratio subiectiva temporis; et quia tempus temporalibus inesse videtur, etiam dum actu non moventur, nisi fortassis ponantur tunc esse in aevo. Non enim poterat dici secundum istos quod a quibusdam dicitur: quod temporalia, dum sunt in quiete, per accidens sint in tempore, quasi quies sit privatio motus, et ita non competat duratio nisi per accidens sicut nec esse; quia manentia formae post motum introductae quae hic quies nominatur plus habet de veritate essendi et existentiae quam motus, ut manere in centro perfectiorem actum dicit gravitatis quam moveri ad centrum, quia finalem.

Si etiam esse aeviternorum in sua continuatione et non solum in suis operationibus habet veram successionem, non minus hoc erit de esse rerum temporalium quod in sua permanentia et continuatione habebit veram successionem et non solum in suis transmutationibus; aut igitur successio suae continuationis erit per se in tempore vel tempus aut in aevo. Amoto etiam omni motu plus realiter dicimus stetisse eum qui stetit in eodem loco per totum diem quam eum qui per [g]

---

[a] B^7 *positus si*, B^1 *positus*. [b] Ita B^7 B^1, V *illi*. [c] B^7 *durationibus*. [d] Sequitur mac. et lac. [e] Ex *conveninmentum*. [f] Ex *semper*. [g] Add. interl. al. m.

horam; ergo ipsa statio habet veram quantitatem et veram pluritatem partium; alias statio diurna non erit realiter maior statione unius horae. Nec poterit dici quod omnia temporalia nullum actum habent nisi in continua transmutatione, quia negare quietem in temporalibus est contra sensum et contra rationem et etiam contra eorum Aristotelem (1). Prout autem isti dicebant, Aristoteles coactus fuit ponere quietem rerum temporalium per accidens in tempore et non per se, quia posuit (a) motum esse proprium et per se subiectum temporis et non actu esse vel existere sub permanentia vel continuatione seu duratione.

Non etiam, ut dicebant, est daré unum primum subiectum aevi, formantes ad hoc consimiles rationes immediate praecedentibus et praeter has dicentes quod si pro primo subiecto eius detur primus et simplicissimus angelus eo modo quo pro subiecto temporis datur ab Aristotele (2) motus primi mobilis: tunc si primus angelus fuit ille qui nunc prae omnibus est damnatus, ipse adhuc erit secundum suam durationem mensura omnium aliorum. Cum etiam habitus et actus gloriae maiorem habeant simplicitatem et nobilitatem ipso naturali esse, et qui prior fuit in naturalibus potuerit (b) esse posterior in gratia et gloria et e contrario: sic sequeretur quod qui fuit primum subiectum aevi (c) secundum naturam desineret esse post donationem gloriae, et qui per naturam non fuit primum subiectum aevi fieret hoc per ampliorem gloriam. In angelis etiam non invenitur ille ordo causalitatis unius ad alterum quem Aristoteles (3) ponit inter motum primi mobilis et alios motus et propter quem ponit ipsum habere rationem mensurae sicut et causae ad alios inferiores motus, licet dictum hoc Aristotelis, de prioritate scilicet et ordine motus huius, veritati fidei in aliquibus repugnet, sicut et multa alia dicta eius.

Ex parte vero mensurationis sic arguebant: Omnis enim mensura seu omne mensurans exigit in mensurato quantitatem aliam numero a quantitate mensurae seu

(a) Al. m. ex *posui*. (b) Al. m. (c) B^{r} om.

(1) *Phys.*, II, 1, 192b 20 sqq.; III, 2, 202a 3 sqq.; V, 2, 226b 15 sqq.
(2) *De caelo*, I, 9, 279a 9 sqq.; II, 12, 292b 22 sqq.
(3) *De caelo*, II, 12, 292b 22 sqq. et passim per totum II. librum; *Metaph.*, XII, 8, 1073a 23 sqq.

mensurantis; sicut enim nihil mensurat proprie nisi quantitas alicuius subiecti mensurantis, ita nihil mensuratur proprie nisi quantitas [a] alicuius; quod tunc mensurari dicitur, quando eius quantitas per aliam quantitatem notiorem certificatur; unde impossibile est pannum per cannam vel palmum posse mensurari, nisi aliquam de se et per se habeat quantitatem. Si igitur tempus vel quaecunque alia duratio mensurat aliqua in quibus non est tanquam in subiecto [b], necessario exigetur quod praeter ipsum tempus mensurans detur in praedictis mensuratis ab eo aliqua quantitas alia numero a tempore mensurante, consimilis tamen in specie, quia aliter non posset mensurari ab eo, quemadmodum de locante et locato videmus.

Ex parte vero durationis sic arguebant: Unaquaeque enim res, sicut habet esse vel existere sibi proprium, sic et durationem; duratio enim non pro alio hic accipitur quam pro permanentia et conservatione propriae existentiae, sive hoc fiat per continuam generationem propriarum partium velut in motu, sive fiat per sui ipsius continuationem sicut in invariabilibus [c] seu sicut in iis quae manent non mota.

Ista autem via longe est ab aula [d], quia a nullo magno communiter hodie, quod sciam, tenetur. Omnes enim communiter volunt quod sint duae mensurae durationum specie, scilicet tempus et aevum, et quod tempus sit unum solum numero; licet quidam magnorum in hoc diversificentur quod aliqui eorum ponunt plura aeva, aliqui unum solum negantque ut plurimum [e] principia rationum opinionis praemissae, volunt enim plures quod plura possint habere rationem unius subiecti respectu aliquorum accidentium, scilicet respectu temporis et numeri et forte loci, alii vero quod primum mobile possit esse primum [f] subiectum temporis, alii vero quod prima materia quam ponunt unam numero. Et ideo omnes communiter rationes praemissas frivolas et acephalas reputant; praemissis enim fundamentis negatis nihil roboris habent.

Et ideo ad praesens nobis tenendum est tempus esse unum numero, concordat enim hoc tam dictis sanctorum quam opinioni communi; de aevo vero se-

---

[a] Al. m. mg. *n. q.* [b] B^7 *subiecta.* [c] Al. m. ex *variabilibus*, quod habet B^7. — [d] Al. m. mg.; non elucet sitne in textu del. *istia.* [e] Sequitur ras. et lac. [f] Al. m. mg. *p. e. p.*

cundum diversos varie sentiri potest, quia quidam unum aevum tantum ponunt, quidam plura.

Respondendum igitur ad obiecta, omnia enim aequaliter sunt contra istam partem.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum enim dicendum quod posito quod tempus sit unum, non sequitur secundum aliquos quod aevum sit unum, quia aevum secundum eos sequitur formam et tempus materiam.

Ad secundum dicendum quod non est omnino simile de loco et tempore; locus enim non dicit aliquid ipsius locati, sed est solum in locante sicut in subiecto; unde et locus non dicitur proprie esse in locato (a), sed potius e contrario locatum in loco. Duratio autem videtur dicere aliquid ipsius durabilis; non enim potest inveniri in aliquo alio nisi in durabili, sicut locus invenitur in alio a locato. Imaginatio tamen quod duratio sit aliquid extrinsecum a durabili, sicut locus a locato, ex hoc forte potuit surgere, quia durabilia ita dicuntur esse in duratione sicut et locata in loco et ita dicuntur aliqua simul esse duratione sicut et (b) loco. Simul autem non videntur esse quae non simul existunt in aliquo uno tertio, quamvis esse in nunc tali vel tali vel in duratione hac vel illa potius videatur dicere determinationem existentiae quam esse in; distinguitur enim esse quod est nunc ab esse prout est in sequenti nunc non tanquam aliud et aliud, sed tanquam idem iteratum et quasi sibi ipsi additum et renovatum. Posito tamen quod sit omnimoda similitudo, adhuc magis sequeretur ex hoc quod essent plures durationes numero quam una vel quam duae, quia locus realiter dicit quantitatem locantis, utpote superficiem, et exigit in omnibus locatis alias numero, consimiles tamen in specie, quia sicut nihil potest locare non habens superficiem sibi propriam, eodem modo nec locari.

Ad tertium dicendum quod licet respectus unius correlativi plurificentur ad plurificationem correlativorum (c) aliorum, non tamen oportet quod id quod est correlativum seu illud in quo fundantur respectus ipsius (d) plurificentur; unus est enim pater plures habens filios, licet respectus paterni-

---

(a) Al. m. ex *loco*. (b) B[7] om. *locata... et*. (c) Al. m. corr. (d) B[7] *illi*, B[1] *ipsi*.

tatis sint plures. Sic una potest esse quantitas locans vel mensurans, licet respectus mensurationis sint plures secundum numerum mensuratorum.

Ad quartum dicendum quod bene volunt quidam quod motus angelici mensurentur alio tempore quam motus corporales, quamquam posito quod eodem tempore — sicut alii velle videntur — dici potest secundum istos quod materia prima quae secundum eos una numero est in angelis et corporibus est unum subiectum temporis; aut secundum alios poterit dici quod omnes motus habent rationem tantum unius subiecti respectu temporis. Et secundum istos negabitur verbum Aristotelis (1), hoc scilicet, quod primum mobile vel motus eius sit proprium et per se subiectum temporis.

Ad quintum dicendum quod concedi potest secundum illos qui ponunt aeva plura numero et unum solum tempus. Secundum vero alios diceretur quod aevum non plus sequitur formam quam tempus nec tempus plus materiam quam aevum; duratio enim potius videtur (a) causari a causa conservante rem in esse quam ab ipso esse; unde non videtur habere rationem propriae passionis quoad hoc quod oriatur ab eo in quo est, etsi habeat quantum ad alia; non enim aliud videtur esse rem durare quam rem conservari in esse nec aliud durationem causare quam rem in esse conservare. Tempus etiam non minus originabitur a forma rei temporalis quam aevum a forma aeviterni (b), quia omnis duratio rei temporalis dicit permanentiam alicuius actus in aliquo et e contrario; motus enim idcirco durare dicitur quod sua existentia permanet per continuam generationem suarum partium. Unde et IV *Super Genesim*, capitulo 9 (2), Augustinus dicit tempus esse (c) id ipsum quod motus, dicens sic: « Nec sic accipiatur quod dictum est quod tempus a creatura coeperit, quasi tempus creatura non sit, cum sit creaturae motus, ex alio in aliud consequentibus rebus » (d). Cum etiam motus dicat actum qui ita numero distinguitur ab alio motu sicut forma unius angeli a forma alterius angeli, tempus autem non insit materiae nisi per motum et solum, quando motus est in ea — unde et per motum ponitur distingui ab aevo plus quam per aliquid (e) aliud, teste Augustino, V *Super*

(a) B^7 B^1 om. (b) Al. m. ex *aeviternorum*. (c) Add. interl. (d) B^7 B^1 om. *unde et IV super... rebus;* B^7 *tam est* pro sequenti *cum*. (e) Add. interl.

(1) *De caelo*, I, 9, 279a 9 sqq.; II, 12, 292b 22 sqq. (2) *De gen. ad lit.*, V, 5 (PL 34, 325).

Genesim, capitulo 9 [1]: « Motus si nullus esset vel spiritualis vel corporalis creaturae quo per praesens posteris [a] futura succederent, nullum esset tempus omnino »; et XII *Confessionum*, dicit [2] materiam carere temporalibus sicut et angelum [b] —: si aevum propter numerositatem formarum numeratur, ita numeraretur tempus propter numerositatem motuum. Cum etiam tempus fluere dicatur a suo nunc, immo dicatur fere tota essentia temporis, nunc autem non minus videatur sequi formam quam materiam: ergo nec tempus. Materia etiam non est causa variationis nisi materialis et subiectiva, et sic etiam posset dici forma causa variationis formalis et terminalis et finalis; motor enim est eius causa efficiens.

Ad sextum dicendum quod posito quod in unoquoque genere sit aliquod unum primum mensurans alia, nihilominus esset dare in mensuratis eiusdem generis numeralem pluralitatem, ut posita aliqua substantia mensurante alias, aliae erunt vere plures substantiae numero, alias non poterunt mensurari secundum substantiam ab aliqua una substantia; quamvis verbum illud Aristotelis non multum cogat ad propositum, quia non loquitur de mensura eo modo quo hic nomine mensurae accipimus illud in quo aliqua sunt vel existunt, sicut et locata sunt in loco. Aristoteles autem accipit ibi nomine mensurae aliquid fixum et de sua natura certissimum cuius comparatione natura vel virtus vel quantitas vel consimilia certificari possunt, sicut ex applicatione palmi ad pannum quantitatem panni certificamus. Nec voluit ipse quod in quolibet genere esset simpliciter aliquid tale quod simpliciter esset primum et minimum, quia certum est quod in continuis non est aliquid tale, etiam secundum eum; sed sufficit quod sit secundum quid, utpote secundum aestimationem et acceptionem nostram, sicut est certa et fixa et tanquam prima apud nos quantitas palmi vel pedis.

Ad septimum dicendum quod sicut supra dictum est, non est simile de loco et duratione, quamvis spiritibus possit dari locus spiritualis et quod non sunt in loco corporali eo modo quo corpora.

---

[a] Ita B^7, V *posterius*. [b] B^7 B^1 om. *teste Augustino... angelum.*

---

[1] L. c. [2] Cap. 9, 12, 13 (PL 32, 829 sqq.).

QUAESTIO XI.

Quinto quaeritur an conservatio rerum in esse sit aliud quam earum creatio vel fieri.

Et quod sic videtur.

1. Quod creatur et fit prius non erat, quoniam creatio seu fieri est exitus de non esse in esse; sed res quae prius erant conservari possunt et conservantur; ergo et cetera.

2. Item, opus gubernationis est aliud ab opere creationis secundum Hugonem (1); ab opere enim creationis requievit Deus die septimo, non tamen ab opere gubernationis, de hoc enim dicitur *Pater meus usque modo operatur et ego operor* (2); sed conservatio rerum spectat ad opus gubernationis; ergo et cetera.

3. Item, operationes quae nunquam sunt simul differunt; sed creatio et conservatio nunquam sunt simul; semper enim conservatio est post creari et fieri; conservari enim est continuari rem in esse creato vel facto; ergo et cetera.

4. Item, esse substantiarum creatur et est a solo Deo immediate; sed bene possunt conservari ab aliis creaturis; ergo non sunt idem creatio et conservatio; si enim res a Deo conservantur sicut creantur, tunc a nulla creatura possent destrui Deo conservante nec aliquo modo nisi Deo desinente conservare.

5. Item, res non creantur a Deo per aliquam influentiam intermediam, conservantur autem, ut videtur, per influentiam intermediam; quia si nihil Deus influat per quod rem conservet: tunc omnis res creata (a) ita conservaretur et tantum sicut et alia per hoc solum quod est creata.

6. Item, creatio non praeexigit subiectum vel patiens, conservatio autem hoc exigit (b); conservatio enim est entis et in ens, creatio autem non entis seu de nihilo; ergo et cetera.

(a) B[7] *creatura* pro *r. c.* (b) B[7] om. *c. a. h. e.*

---

(1) *De sacram. leg. nat. et script.* (PL 176, 21). (2) Ioh. 5, 17.

7. Item, creatio nihil addit ad id quod creatur, quia non accidens, subiectum enim non sequitur suum accidens nec est per ipsum nec etiam addit substantiam; nec potest dicere aliquid rem praecedens vel consequens nec aliquo modo dicere aliud ab eo quod creatur, quin dicat aliud a se, quoniam et ipsa est aliquid creatum; sed conservatio addit ad rem conservatam, quoniam res in primo suo nunc erat sine conservatione; ergo et cetera.

Contra: Ex eisdem est conservatio et generatio; unde et secundum Aristotelem [1] habitus qui generantur ex operibus conservantur per opera; ergo et cetera.

[Respondeo]

Ad quaestionem istam quidam dicere volunt quod conservatio sit [a] opus differens etiam specie a creatione seu a factione; unde et volunt quod res non possint [b] a Deo conservari nisi per aliquam influentiam intermediam, moti aliquibus rationibus praemissis.

Aliis autem non mediocribus placet quod conservatio non differat a creatione seu factione secundum rem, nisi quantum esse vel fieri in sequenti tempore vel nunc differt ab esse vel fieri priori nunc; dicunt enim quod rem conservari non est aliud quam rem quae in priori nunc creabatur et erat vel fiebat a sua causa iterum in sequenti nunc fieri et esse ab eadem [c]; unde secundum eos realiter non differt conservatio a creatione nisi sicut sequens factio a praecedenti factione. Secundum tamen modum intelligendi et loquendi differt amplius, quia communiter loquendo creari [d] vel fieri non dicimus rem quae prius erat; unde secundum modum loquendi creari et fieri praeter acceptionem ipsius esse rei includit in sua ratione respectum ad non entitatem immediate praecedentem, quamvis secundum rem hic respectus nihil addat super primam acceptionem ipsius esse; nec ipsa primitas dat rationem fieri vel creationis acceptioni ipsius esse [e] secundum rem, sed solum secundum modum intelligendi et loquendi; realiter enim accipere esse a sua causa est vere fieri et effici ab ea.

---

(1) *Eth.*, II, 2, 1104a 25 sqq.

(a) B^7 *est.* (b) Ex *possunt.* (c) Ita B^7, V *eodem.* (d) B^7 *causari.* (e) B^7 om. *nec ipsa... esse.*

Istis autem ad praesens magis consentiendum mihi videtur, quoniam non solum rationi sed et[a] dictis sanctorum et philosophorum magis conforme videtur.

Et de philosophis quidem hoc clarum est: Dicit enim Avicenna, VI *Metaphysicae*[b] suae, capitulo 2 in fine[1], quod « causatum eget datore sui esse semper, incessanter, quamdiu habuerit illud esse »; et paulo ante dixerat quod[2] « esse quidditatis causatae pendet ab alio, in quantum esse est illi quidditati, non in quantum ipsum esse est post non esse; et secundum hunc modum causatum est et interim, dum duraverit sic[c], erit causatum pendens ab illo ». — Augustinus etiam recitat, XI[d] *De Civitate*, 4 capitulo[3], quod « philosophi qui posuerunt mundum factum a Deo negaverunt eum habere initium temporis, sed non principium seu initium creationis »; in quo vult quod posuerint mundum esse factum ab aliquo principio, sed tamen sine initio; et tamen hoc dictum non[e] fuisset nisi dementium, si fieri ab alio non dicerent[f] nisi primum exitum rei a suo principio seu nunc primo esse post non esse immediate praecedens; tunc enim in intellectu factionis non minus includeretur ratio initii quam efficientis principii. — Et sic etiam Aristoteles[4] stulte distingueret in principio *Physicorum* suorum de principio exponens propositionem[g] illam « quod factum est habet principium » aut pro initio aut pro effectivo principio; nec intendo per hoc quin necessarium sit res creatas habuisse initium, sed[h] quod in ratione factionis earum directe non implicatur, ita quod fieri seu accipere esse semper sit idem quod initiari vel inchoari.

Sanctorum etiam dictis hoc magis consonat: Quia Augustinus vult, libro VIII *Supra Genesim*, capitulo 8[5], quod « gratia semper est in fieri, sicut et lux in aere »; et tamen nullus credit eum velle quod semper fiat alia et alia gratia; et ita oportet quod credant eum velle gratiam eandem fieri in sequenti tempore et nunc sicut et in primo suo nunc et hoc modo conservari; quoniam per hoc ibidem probat quod gratia semper indiget Deo conser-

---

[a] Add. interl. [b] Ita B[7], V *Mataphysicae*. [c] Ras. [d] Ita B[7], V *XII*. [e] B[7] *verum*. [f] B[7] *dixerint*. [g] Al. m. corr. [h] B[7] add. *intendo*.

---

[1] Tract. VI, cap. 1 (f. 91 V col. 2). [2] L. c. [3] PL 41, 319. [4] Lib. I, 3, 186a 11 sqq. [5] Cap. 12 (PL 34, 382 sq.).

vante, ubi et dicit [1] quod « sicut aer praesente lumine non factus est lucidus, sed fit; quia si [a] factus esset, non autem fieret, etiam absente lumine lucidus maneret: sic homo Deo sibi praesente illuminatur, absente autem [b] continue tenebratur ». Si igitur consequentia eius bona est quod « si aer factus esset lucidus, non autem fieret, etiam sine illuminante lucidus maneret » [c]: ergo et in proposito, si creatura facta est, non autem fit, etiam sine Deo faciente manebit. — Et quasi consimili modo loquitur de conservatione omnium, IV libro, capitulo 11; dicit [2] enim quod « non se habet Deus in factione rerum sicut domificator ad domum; ita quod postquam abcesserit, possint esse vel stare, etiam per unum nunc ». Et propter hoc, sicut ibidem dicit, Dominus ait [a 3]: « *Pater meus usque nunc operatur*, continuationem quandam operis eius quo universam creaturam continet atque administrat ostendit; aliter enim posset intelligi, si diceret " et nunc operatur ", ubi non esset necesse ut operis continuationem reciperemus; aliter autem cogit intelligi, cum ait *usque nunc*, ex illo scilicet quo cuncta, cum conderet, operatus est ». — Item, paulo post probans ipsum hoc per illud Apostoli quod habetur in Actibus [4] *in illo vivimus, movemur et sumus*, subdit [5] quod « cum aliud simus quam ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur; et hoc est opus eius quo continet omnia et quo eius sapientia disponit omnia; per quam dispositionem in illo vivimus, movemur [e] et sumus; quod opus si rebus subtraxerit, nec vivimus nec movebimur nec erimus »; haec Augustinus. Si igitur secundum eum Deus continue operatur id quod sumus, pro eo quod non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur quod sumus: ergo ipse continue operatur substantiam nostram et nostrum esse. Rursus, cum motus nostri quibus movemur non conserventur, nisi per hoc quod sunt in continuo fieri: ergo conservatio motuum nostrorum non est aliud quam eorum continua factio. — Item, IX libro, capitulo paenultimo, ostendens quod mulier non potuit de costa formari per angelos subdit [6] quod « medicus non de rebus quas creavit, sed quas creatas opere conditoris invenit cibum vel potum administrare poterit et emplaustrum

---

[a] B^7 om. [b] Al. m. ex *Deo*. [c] B^7 om. *non autem... maneret*. [d] Ex *aut*. [e] Al. m. mg., del. *momur*.

---

[1] L. c. [2] Cap. 12 (PL 34, 304). [3] Ioh. 5, 17. [4] Cap. 17, 28. [5] Cap. 12 (PL 34, 305). [6] Cap. 15 (PL 34, 404).

formare et medicamentum apponere, non autem ex iis quae adhibet operari et creare vires vel carnem [a] potest; natura enim id agit interiore motu nobisque [b] occultissimo, cui tamen si Deus subtrahat operationem intimam qua eam substituit et facit, continuo tanquam extincta nulla remanebit ». Ecce quod hic dicit quod Deus continue naturam rerum [c] substituit et facit. — Item, paulo post dicit [1]: « Certissime [d] dixerim supplementum illud carnis in costae locum ipsiusque feminae corpus et animam conformationemque membrorum, omnia viscera, omnes sensus et quicquid erat quo illa et creatura et homo et femina erat nonnisi illo opere Dei factum est quo Deus non per angelos sed per semetipsum non operatus est et dimisit, sed ita continuanter operatur ut nec ullarum aliarum rerum [e] nec ipsorum angelorum natura subsistat, si non operetur »; haec Augustinus. Si igitur Deus non dimisit operari illud opus quo res fecit, sed continuanter operatur illud, ita quod si hoc non continuaret, statim natura rerum deficeret a suo esse: ergo opus conservationis non est aliud quam continuatio operis creationis. — Item, libro VIII, circa finem [f 2], ait: « Deus bipartito providentiae suae opere praeest universae creaturae naturis, ut fiant, voluntatibus autem, ut sine illius iussu vel permissu nihil faciant; natura igitur universitatis corporalis non adiuvatur extrinsecus corporaliter; nec enim est extra eam ullum corpus, alioquin non est universitas; intrinsecus autem adiuvatur incorporaliter Deo id agente ut omnino natura sit, *quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia* [3]; partes vero eiusdem universitatis et intrinsecus incorporaliter adiuvantur vel potius fiunt ut naturae sint et [g] extrinsecus corporaliter quo se melius habeant, sicut alimentis agricultura, medicina »; haec Augustinus. Ecce quod ait quod universitas intrinsecus adiuvatur Deo agente ut omnino natura sit; de eius partibus vero dicit quod adiuvantur vel potius fiunt ut naturae sint. — Item, IV libro, capitulo 11 [4]: « Proinde quod Dominus ait [5] *Pater meus usque*

---

[a] Al. m. mg. [b] Add. interl. al. m. *que.* [c] Al. m. mg., del. *rerum.* [d] Ex *certisissime.* [e] Al. m. mg., del. *verum;* idem subinde. [f] Ex *feninem.* [g] Add. interl. al. m.

---

[1] L. c. [2] Capp. 24, 25 (PL 34, 390 sq.). [3] Rom. 11, 36. [4] Cap. 12 (PL 34, 304); hunc locum auctor paulo ante iam allegaverat. [5] Ioh. 5, 17.

nunc operatur, continuationem quandam operis eius quo universam creaturam continet atque administrat ostendit; unde cum ait *usque nunc*, intelligitur ex illo scilicet nunc quo cuncta, cum conderet, operatus est ». Ecce quod vult opus conservationis esse continuationem operis creationis seu continuationem inchoandam a primo nunc creationis.

Et [a] praeter verbum eius potest sic ratione probari: Certum est enim quod omnis actio Dei in rebus incipit in aliquo nunc; ergo actio conservationis incipit in aliquo nunc; aut igitur nunc est nunc creationis, et tunc oportet quod se habeat ad ipsam sicut se habet nunc temporis ad tempus et [b] sicut se habet initium motus intrinsecum ad ipsum motum; aut est nunc immediate coniunctum ad nunc creationis, quia certum est quod conservatio immediate est post nunc creationis; sed impossibile est duo nunc esse sibi immediate coniuncta; ergo primo necessario est dandum.

Item, paulo post pertractans illud Actuum [1] *In ipso vivimus, movemur et sumus* dicit [2]: « Nec enim tanquam substantia eius sic in illo sumus, sed utique cum aliud simus quam ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur, et hoc est opus eius quo continet omnia »; haec Augustinus. In quo aperte dicit quod ideo in Deo sumus, quia operatur [c] id, scilicet quod sumus. — Item, Anselmus, libro *De casu diaboli*, capitulo 1, dicit [3]: « Cum ipse desinit servare quod fecit, non ideo id quod erat redit in non esse, quia facit non esse, sed quia cessat facere esse; unde facit non esse, quia cessat facere esse, non quia fecit non esse »; haec Anselmus. Constat autem quod verba eius praedicta non possunt esse vera, nisi usque ad tempus in quo res incipit non esse Deus continue fecerit eam et eius esse. — Item, Augustinus, XII *De Civitate*, capitulo 25, dicit [4]: « Si potentiam suam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt sicut antea quam fierent non fuerunt »; haec Augustinus. Sed potentia Dei fabricatoria, in quantum talis, est idem quod potentia creativa [d], in quantum creativa; ergo videtur quod velit res conservari in esse per potentiam creativam [e], in quantum est creativa [f].

---

[a] Haec argumentatio ex ratione desumpta in altera parte probationis ponenda erat. [b] Add. interl. [c] V *opatur*. [d] V *creatam*. [e] V *creationem*. [f] V *creatam*; B^7 om. *vel stare etiam per unum nunc* (pag. 200 lin. 12)... *creativa*.

---

[1] Act. 17, 28. [2] L. c. (PL 34, 305). [3] PL 158, 327. [4] PL 41, 375.

Hoc ipsum autem magis est consonum rationi: Quod patet attendendo ad id quod ponit creatio et ad id quod ponit conservatio et ad universalem dependentiam creaturae a Deo.

Primo quidem ex eo quod creatio ponit. Aut enim nihil addit ad rem creatam et eius esse aut saltem non tale quid per se et directe quod sit separabile a re. Si enim adderet illud, aut esset substantiale rei aut accidentale; si autem substantiale, tunc et (a) inseparabile et pars (b) constitutiva rei et tunc aut materiale vel formale; si autem accidentale, tunc prius naturaliter fuisset res ipsa quam eius creatio, quia prius naturaliter est subiectum quam suum accidens; et tunc potius reciperet esse a re quam e contrario, quia accidens suscipit esse a subiecto et non e contrario nisi solum esse accidentale. — Iterum, creatio si aliquid ponit (c) in creatura differens ab ipsa, hoc erit quaedam passio; passio (d) autem praeexigit patiens nec ipsa potest esse causa sui passivi seu potentiae patientis, in quantum tale; passio etiam naturaliter praecedit effectum ipsam consequentem, quia habet se ad illud sicut via ad terminum et sicut causa ad effectum; nihil autem potest poni creatum ante essentiam et esse creaturae et multo minus nihil creatum potest esse causa essentiae substantiarum creatarum hoc modo quod sine motu immediatissime et totalissime oriatur ab ipso; et tamen tali modo orirentur (e) substantiae a creatione passione. Si etiam creatura non potest fieri a Deo sine creatione passione: ergo non est plene potens super creatura; non enim poterit immediate esse ab eo, ita quod sine omni medio, et tunc eadem ratione ipsa creatio, cum sit aliquid a Deo creatum, differet (f) a creatione per quam esset creata. Si etiam creatio (g) aliquid adderet, eadem ratione transubstantiatio seu conversio panis in corpus Christi diceret quandam passionem vel aliquid consimile terminatum ad corpus Christi. Mirabile etiam esset quid addet creatio gratiae ad gratiam et creatio rerum intellectualium ad ipsas; non enim aliquid (h) quod sit in genere gratiae aut in genere intellectus.

Unde breviter: creari non (i) videtur aliud secundum rem quam hoc esse a Deo, in diversitate tamen substantiae; quantum igitur addit esse a Deo super esse absolute acceptum,

---

(a) Add. interl. al. m. (b) Al. m. ex *per*. (c) B^7 *ponat*. (d) Al. m. mg. (e) Al. m. ex *orientur*. (f) Al. m. ex *diffet*. (g) Ita B^7, V *creatura*. (h) B^7 om. (i) Al. m. mg.

tantum addit creatio [a] super rem creatam; et ideo tam per praedicta quam per consimilia quae faciliter cogitanti occurrere possunt clarum est quod creatio nihil addit separabile a re creata; ergo quicquid realiter ponit creatio semper manebit durante [b] re creata; hoc autem est impossibile, si differat a conservatione, nisi solum modo superius concesso.

Secundo patet hoc ex eo quod ponit conservatio. Si enim conservatio aliud ponit quam rem continue esse a Deo, sicut est ab eo in primo nunc, hoc non potest esse nisi aliqua influentia vel impressio facta in creatura per quam creatura conservetur; impossibile est autem quod aliquid tale addat; talis enim influentia quantum ad suum existere dependebit a re creata et non e contrario, quia habebit se ad eam sicut accidens ad subiectum. — Quaero etiam quid in creatura ad talem influentiam sequetur. Si enim nihil: tunc per eam non conservabitur, sed solummodo quoddam accidens creaturae superponetur [c]; et tunc conservatio non erit nisi cuiusdam accidentis superadditio. Si autem aliquid sequitur: hoc non poterit esse essentia vel esse creaturae, nisi per eam de novo crearentur [d]; ergo solum erit aliquod accidens quod superaddetur et superponetur essentiae et esse creaturae; et ita adhuc nihil aliud esset conservatio nisi formarum accidentalium nova additio et informatio, quod nemo sani intellectus credet. — Item, haec influentia aut semper est alia et alia, sicut motus in suis partibus; aut semper, quamdiu manet creatura, est una et eadem et simplex. Si semper est alia et alia: ergo terminus eius et effectus semper alius et alius; conservationis autem rei creatae semper est idem terminus eo modo quo terminum habet, quia conservationis non potest esse terminus nisi conservatum quod semper est idem; alias non esset conservatio, sed magis continua alterius et alterius generatio seu factio. Terminus etiam conservationis non potest esse nisi res ipsa quae conservatur, quia ipsa et conservatum idem sunt; res autem semper est eadem, nec etiam ipsa terminus esse potest cuiuscunque influentiae vel passionis, nisi causaretur ab ea; unde et quamvis influentia semper esset eadem, adhuc non posset esse terminus conservationis seu influentiae huiusmodi; et tamen si semper maneret eadem, tunc eodem modo in ea differret conservatio a [e] suo fieri, quia suum fieri se-

---

[a] Al. m. ex *ceatio*. [b] B[7] *stante*. [c] B[7] *supponetur*. [d] V B[7] *causarentur*. [e] Al m. mg.

cundum istos non esset nisi in primo eius nunc. — Item, alia influentia vel impressio erit in materia per quam conservetur, alia in forma et alia in quolibet accidente, alia in una parte materiae et formae et alia in alia; quot enim per [a] se conservabilia et [b] conservata, tot et conservationes, ut videtur. — Item, alterius generis erit haec influentia in intellectualibus, alterius in corporalibus; et erit mirabile in quo genere et specie sint tales influentiae et quomodo in forma gratiae recipietur influentia per quam conservetur et quomodo in libero arbitrio, immo quomodo in ipso esse seu vivere; nam secundum istos oportebit quod in gratia et in aliis post primum nunc durantibus differat conservatio a sua creatione [c].

Tertio patet hoc ex naturali dependentia creaturarum a Deo. Secundum enim fidem nostram et rationem certam [d] creatura sic dependet a Deo quod statim cederet in nihilum, si deficeret ei manutentio divinae virtutis et praesentiae, et tali modo quod ipsum tendere in nihilum nullum actum realem poneret nec aliquid aliud nisi purum non esse; si enim poneret aliquem actum seu motum, cum omnis motus habeat aliquem terminum intrinsecum qui est pars suae essentiae: oporteret quod primo et per se motus ille terminaretur in aliquid et non in nihil. Cum etiam per motum vel actionem fiat vere et per se aliquis effectus, nihil autem non possit esse effectus [e] alicuius nisi per accidens, per hoc videlicet quod si aliquod ens in quo fundatur et ad quod sequitur talis negatio subtrahitur vel aufertur [f]: si tendere in nihil diceret aliquem actum, tunc non posset

---

[a] B[7] *in.* [b] Al. m. mg. *c. e.* [c] B[7] addit: *Item Augustinus, IV libro* Super Genesim, *capitulo 11* [1], *ubi loquitur de conservatione omnium rerum a Deo inter alia probans cum* [*eas*] *indigere sua conservatione per illud Actuum* [2] « In ipso vivimus, movemur et sumus », *propter quod dictum vult quod ipsum moveri rerum et operationes conservantur a Deo sicut esse et vivere; propter quod dictum est* « In ipso vivimus, movemur et sumus ». *Motus autem et operationes conservari nec possunt per influentias nec per aliquid aliud eis superadditum; fieri enim eorum est eorum conservari. Ex quibus omnibus et consimilibus colligi potest quod conservari a Deo non est aliud quam continue esse a Deo. Quod si verum est, tunc nec amplius nec aliter differt a creatione quam modo superius concesso* [3]. [d] Al. m. corr. [e] Al. m. g. *n. a. n. p. e. e.* [f] B[7] om.

---

[1] Cap. 12 (PL 34, 304). [2] 17, 28. [3] Hic locus huc non pertinet, sed potius ad priorem partem ubi ex auctoritate arguebatur.

tendere in nihil nisi per hoc quod tenderet in aliquid, ut forte in contrarium terminum vel disparatum. Si etiam diceret aliquam actionem vel motum: tunc creatura, antequam totaliter esset annihilata, quamdiu duraret illa actio, esset simul semiannihilata et semiexistens; oporteret etiam quod talis actio vel motus semper esset in aliquo subiecto quod [a] per eam non destrueretur, sed potius ipsa in subiecto tali firmaretur.

Unde Augustinus, *83 Quaestionum*, quaestione 22 [1], et Anselmus, *De casu diaboli*, capitulo 1 [b 2], hoc ipsum, expresse asserunt, scilicet quod tendere in nihilum non dicit nisi purum defectum et quod summa essentia non potest esse causa non essendi agendo, sed solum cessando agere et per accidens. Sed si conservatio creaturae non dicit idem quod continue creaturam esse a Deo, aut si creatura continue non est a Deo sicut et in primo nunc, sed solum in primo nunc ab eo exiit et esse accepit, in aliis vero solum per influentias conservatur: tunc ipsum esse nec per defectum talium influentiarum nec per aliam viam poterit annihilari. Cum enim ipsum esse nullo modo causetur a tali influentia, nullo modo dependet ab ea sicut a sua causa; et ideo, quamquam ipsa deficiat, non propter hoc oportet quod ipsum esse deficiat, maxime defectu annihilationis. Effectus etiam qui manet cessante suo fieri per quod factus est non dependet a sua causa efficiente post suum fieri, maxime quantum ad illud quod accepit per illud fieri. Unde Augustinus dicit, VIII libro *Super Genesim*, in auctoritate superius allegata [3], quod « si aer factus esset lucidus, non autem fieret, etiam sine lumine lucidus maneret »; et ideo si creatura cessante suo fieri maneret, creatoris praesentia ad sui permanentiam non necessario indigeret; tenendo autem quod continue fiat et sit a Deo: eo ipso quod Deus cessabit eam facere, cessabit et ipsa esse.

Item, cum esse creatum non sic sit annihilabile quod habeat aliquam potentiam passivam vel activam per quam realiter sit possibile ad suscipiendum [c] annihilationem nec sic quod habeat aliquam inclinationem realem per quam inclinetur et tendat ad nihilitatem, immo de se omne esse, pro quanto habet de entitate, pro tanto habeat potestatem et

---

[a] B[7] om. [b] B[7] lacuna pro *83 q... capitulo 1.* [c] B[7] *recipiendum.*

---

[1] *De div. quaest. 83., quaest. 21* (PL 40, 16). [2] PL 158, 327.
[3] Cap. 12 (PL 34, 383).

appetitum essendi: si ipsum continue non fit a Deo, sed manet factum post suum fieri, quamvis nulla influentia sibi addatur, nulla poterit esse ratio vel causa quare cessante tali influentia in nihilum deficiat aut deficere debeat, cum de se sit determinatum et potens ad esse et ad fugiendum non esse. Quicquid autem sit de hoc apud illos qui tenent quod duratio omnium rerum sit successiva, apud illos tamen qui tenent quod esse rerum (a) et maxime aeviternorum instanti seu mensura simplici mensuretur necessario videtur eo ipso tenendum quod conservatio a creatione non differat et quod aeviternorum fieri semper sit praesens et nunquam in praeteritum transeat, quia tunc necessario esset ibi successio. — Si autem dicatur quod creatura conservatur a Deo immediate sicut creatur et tamen conservari est alius effectus a creari et quando creatura conservatur, non fit in ea aliud nisi solum ipsum conservari seu conservatio passive accepta: adhuc, si bene quis (b) advertat, reditur in idem quod prius; quia si conservari est quidam novus effectus alius a creatione et ab ipsa re et eius esse (c), tunc necessario oportet quod dicat aliquod accidens creatum seu aliquid creatum rei et eius esse superadditum; et tunc contra hoc sunt rationes primae partis (d), rationes etiam secundae et tertiae partis (e), si quis subtilius intendat, adhuc stant et manent.

Quarto patet hoc ex eo per quod creaturae creantur a Deo, quod non fit per aliud nisi per hoc quod vult eas actu esse; sed ita vult Deus creaturam esse actu pro sequenti nunc sicut et pro primo nunc; et ita est necessarium ad hoc quod sint in sequenti nunc quod Deus velit eas esse pro illo nunc sicut et pro primo nunc fuit hoc necessarium; unde posito quod Deus desinat velle eam esse, statim eo ipso desinit esse; ergo continuatio seu conservatio ipsius esse non est aliud quam iterata factio eius. — Videtur igitur tenendum quod conservatio non differat secundum speciem a creatione, sed solum numero, sicut differunt prior pars temporis et posterior; quamvis sicut supradictum est, nomen creationis non possit proprie praedicari de conservatione, pro eo quod non (f) significat absolute et in generali factionem creaturae, sed solum pro primo nunc, ita quod in suo significato includit primitatem (g) seu inchoationem secundum communem usum nominis.

(a) B^7 om. *sit successivà... rerum.* (b) Ita B^7, V *quid.* (c) B^7 *rem.* (d) B^7 om. *et tunc... partis.* (e) Al. m. ex *partes.* (f) V *nunc.* (g) Al. m. corr.

Quinto patet hoc ex continuatione conservationis ad creationem, et haec ratio supra ad declarationem dictorum Augustini est aliqualiter tacta. Si enim conservatio differt specie a creatione, ergo ipsa habet per se suum proprium initium quo incipit fieri et esse; constat autem quod non potest incipere nisi in nunc; ergo ipsa inchoatur in aliquo nunc quod fit et sequitur post nunc creationis; ergo immediate post nunc creationis sequitur aliud nunc quod est initium conservationis. Sed in hoc plura impossibilia includuntur: primo scilicet, quod nunc immediate sequetur post nunc; secundo, quod conservatio non continuatur cum creatione, quia unum nunc non continuatur ad illud nunc nisi per aliquod continuum intermedium; tertio, quod conservatio passive sumpta non est idem quod continuatio ipsius esse quod fuit factum in hora creationis, pro eo quod non continuabitur ad initialem existentiam eius quam habuit in primo nunc suae creationis. — Si autem dicatur quod conservatio non dicit aliud quam manutentionem ipsius esse creati, ita quod manutentio passive sumpta nihil realiter addit super ipsum esse rei conservatae: tunc aut hoc redit in idem cum positione praemissa aut nihil est dictum; quia si manutentio passive sumpta est effectus a Deo manans et cum hoc est omnino secundum rem idem cum esse creaturae: ergo in eo quod ipsa fit et manat a Deo ponitur quod tunc ipsum esse creaturae fit et manat a Deo. Praeterea, haec manutentio non est aliud quam continuatio ipsius esse; et tunc constat quod omnes rationes praemissae valent ad illud sicut et ad istud [a].

[Solutio Obiectorum]

Ad ea igitur quae obiecta sunt in contrarium dicendum.

Ad primum enim dicendum quod prima propositio non est vera, si creari et fieri sumatur pro esse a Deo non addendo ibi [b] nunc primo; si vero addatur ibi, ita quod creari accipiatur pro nunc primo esse a Deo, sic vera est propositio, et tunc non differt conservari a creari nisi sicut nunc secundo esse et nunc secundo fieri a nunc primo esse et nunc primo fieri.

Ad secundum dicendum quod opus gubernationis, si sumatur pro [c] opere conservationis, potest dici aliud ab opere

---

[a] B^7 om. Quarto *patet hoc ex eo* (pag. 207)... *istud;* al. m. *et.* [b] B^7 *in.* [c] B^7 om.

creationis, secundum quod creari dicit nunc primo esse tantum et non absolute et simpliciter esse et fieri a Deo, non tamen opus aliud in specie, sed quasi numero; conservatio enim dicet reiterationem seu secundam factionem ipsius rei, creatio vero inchoationem eius seu primam factionem; quamvis opus gubernationis pro tanto plus differat ab opere creationis quam opus conservationis, quia opus gubernationis addit multas alias operationes praeter rerum conservationem.

Ad tertium dicendum quod sumendo creationem pro nunc primo fieri, sic nunquam est simul cum conservatione et sic differt ab ea modo iam (a) dicto; sumendo vero pro absolute fieri vel esse a Deo sine (b) respectu ad primum nunc, sic in nullo differunt et sic simul esse possunt.

Ad quartum dicendum quod aliter una (c) creatura conservatur ab altera, aliter a Deo; sicut et aliter una fit et est ab altera, aliter a Deo. Et praeter hoc creaturam conservari ab altera potest fieri diversimode: aut scilicet praeservando eam a corruptivis agentibus aut continue faciendo aliquid circa eam quod exigitur ad eius esse. Primo modo non est esse vel fieri ab ea nec hoc est conservatio nisi per accidens; et sic non loquimur de ea in hac quaestione. Secundo vero modo (d) est idem aliquo modo quod facere creaturam esse sive secundum quid sive simpliciter, secundum quod conservans conservat eam secundum quid vel simpliciter et totaliter. Non est etiam verum quod esse omnium substantiarum creatarum sit a solo Deo immediate, sic quod una substantia creata non possit fieri ab altera; illud tamen fieri non erit idem quod creari; et ideo non oportet quod conservari a tali causa sit idem quod creari. — Ad illud autem quod additur quod si omnes res immediate a Deo conservantur, sicut creantur, a nulla creatura possent destrui, nisi Deo prius desinente conservare (e): dicendum quod quaedam sunt res quae totum esse quod habent non suscipiunt a Deo per creationem, sed aliquid suscipiunt mediante operatione creaturae; et quantum ad illud quod possunt suscipere a Deo mediante creatura possunt conservari ab eo et destrui mediante creatura; quantum vero ad illud quod non possunt suscipere nisi a solo Deo non possunt conservari nisi a solo Deo, sumpta conservatione secundum modum iam dictum quo de ea hic loquimur.

(a) Sequitur ras. et lac. (b) Al. m. mg., del. *sine*. (c) Ita B^7, V om. (d) Ex *modo vero*. (e) B^7 *conservari*.

Ad quintum dicendum quod verum esset quod concluditur, si res conservatur [a] a Deo per hoc solum quod est creata et non potius per hoc quod continue magis ac magis fit a Deo.

Ad sextum dicendum quod conservatio non sic dicitur esse entis quasi dicat aliquid factum in aliquo ut in subiecto seu de aliquo, sed propter hoc solum quia praesupponit ipsum ens in priori nunc fuisse.

Ad septimum dicendum quod creatio tantum addit ad esse rei quantum conservatio et e contrario; prout enim creatio differt a conservatione, sic addit ad ipsum esse absolute acceptum primum nunc seu [b] respectum ad primum nunc; et sic conservatio addit sequens nunc vel tempus ad ipsum esse [c] absolute acceptum. Neutra tamen addit aliquam actionem vel passionem realiter a creatura differentem nisi secundum modum intelligendi; et si addit una, addit et reliqua. — Si tamen vera esset positio et responsio illius qui dicebat quod successio aevi nihil [d] ponit diversum per essentiam super ipso esse et quod ratio realis eius quod transit in praeteritum tota secundum essentiam remaneat per iteratam productionem entis: posset ad istud consimiliter respondere [e].

Argumentum vero quod fiebat *in contrarium* non est magnae efficaciae, licet pro nobis faciat.

QUAESTIO XII.

Quoniam autem inter ea quae primo sequuntur ens et esse eius est unitas, individuatio autem videatur esse idem quod unitas, idcirco sexto [f] quaeritur:

An individuatio aliquid addat ad essentiam individui specifice acceptam.

Et quod sic videtur.

1. Veritas consequentiarum et maxime necessariarum [g] oportet quod habeat fundamentum in rebus per terminos con-

---

[a] Ita B^7, V *conservaturae.* [b] B^7 *se.* [c] B^7 om. [d] Ex *vel.* [e] B^7 om. *Si tamen... respondere.* [f] B^7 *quinto.* [g] Ita B^7, V *necessarium.*

sequentiarum significatis [a]; sed a specie non descenditur ad individuum affirmando; non enim valet: est homo, ergo est hic homo; si autem individuatio significata per hoc pronomen « hic » nihil addit ad hominem absolute seu specifice acceptum, nulla erit ratio in re quare non sequatur: est homo, ergo hic homo; maxime cum idem verissime sequatur ad [b] se ipsum, et si nihil addit hoc ad illud, totaliter sunt eadem; ergo et cetera.

2. Item, quaecunque uni et eidem omnino sunt eadem inter se omnino sunt eadem, alias periret tota ars syllogistica; ergo si duo individua unius speciei cum natura suae speciei omnino sunt eadem — quod erit, si individuatio eorum nihil ad speciem addit —, inter se essent omnino eadem.

3. Item, individuatio dicit aliquid positivum, sicut et individuum; illud autem quod ponit et ratio speciei non sunt idem, quia unum non potest praedicari de altero; ergo et cetera.

4. Item, si individuatio nihil addit ad essentiam, tunc forma per se ipsam erit sufficienter individua absque materia; cuius contrarium communiter conceditur; ergo et cetera.

5. Item, commune per id quod est commune impossibile est quod alicui approprietur, immo oportet quod sibi addatur aliquid contrahens, limitans et approprians; sed omne quod est omnino idem cum aliquo communi oportet quod sit commune; ergo illud per quod commune contrahitur oportet quod realiter differat ab ipso communi.

6. Item, individuatio est accidens rei cuius est, saltem ipsi naturae communi, ergo et realiter differens ab ea. Quod autem sit accidens videtur; tum quia videtur esse in genere quantitatis discretae — non enim aliud videtur esse individuum, in quantum individuum [c], quam unum numerale seu secundum numerum [d] —; tum quia non videtur esse [e] de essentia principiorum constituentium rem, sed potius sequi ea et oriri ab eis, quando sibi invicem sunt unita, et hoc tanquam propria passio; tum etiam quia individuatio videtur posse manere mutata specie, ut quando de aere fit ignis, eadem res numero quae prius erat aer videtur nunc esse ignis et tamen diversa est in specie.

7. Item, in corporalibus non videtur esse numeralis [f] distinctio nisi per quantitatem; quia amota quantitate con-

---

[a] Ex *significantis*. [b] Ita B^7, V *a*. [c] Al. m. mg. *i. q. i.* [d] B^7 *unum*. [e] B^7 om. [f] B^7 *numerati*.

tinua omnia corpora non videntur esse nisi unum simplex corpus, amota autem quantitate discreta aliqua non possunt dici numeraliter duo; duo autem individua semper constituunt in quantum talia dualitatem numeralem, quae non potest constitui nisi a principiis sui generis; ergo et cetera.

Contra: Si individuatio aliquid addit realiter differens a natura communi, aut illud erit (a) essentiale aut accidentale. Sed essentiale esse non potest, quia tunc cum natura communi constitueret tertiam essentiam et quandam alteram speciem. Si etiam essentiale adderet, aut illud esset ipsa materia aut aliqua forma; materia autem esse non potest, quia ipsa materia communis est pluribus materiis eiusdem speciei; et eadem ratione non potest esse forma; et etiam si esset forma, tunc esset quaedam differentia addita naturae communi sicut generi. Accidentale etiam esse non potest, quia nulla res (b) essentialiter diversificatur ab alia per sola accidentia; sed unum individuum differt ab alio essentialiter et non solum accidentaliter; ergo et cetera.

[Respondeo]

Ad quaestionem dicendum quod circa eam variae sunt opiniones. Quidam enim voluerunt quod individuatio dicat collectionem accidentium, de quorum numero Porphyrius(1) et Boethius(2) fuisse videntur. — Alii vero quod dicat aliquid materiale; Et horum quidam volunt quod non aliquid differens a materia; volunt enim quod materia per se est individua. Alii vero quod in corporalibus dicat aliquod accidens materiale, dicunt enim quod (c) in spiritualibus substantiis individuatio nihil addit ad speciem, quia tota species est in individuo, immo et facit per se unum individuum, in corporalibus vero dicunt quod cum individuum per se sit illud quod non dicitur de aliquo (d) ut de subiecto, illud (e) est solum per se individuum quod de nullo

(a) B^{7} *esse.* (b) B^{7} add. *et.* (c) Al. m. mg. (d) Al. m. mg. (e) Al. m. in ras.

(1) *Isagoge* (Consilio Acad. Boruss. ed. Busse, vol. XVIII, Berolini, 1904): « ἄτομον δέ λέγεται ὁ Σωκράτης καὶ τουτὶ τὸ λευκὸν καὶ οὗτοσὶ ὁ προσιὼν Σωφρονίσκου υἱός, εἰ μόνος αὐτῷ εἴη Σωκράτης υἱός. ἄτομα οὖν λέγεται τὰ τοιαῦτα; ὅτι ἐξ ἰδιοτήτων συνέστηκεν ἕκαστον, ὧν τὸ ἄθροισμα οὐκ ἄν ἐπ' ἄλλου ποτὲ τὸ αὐτὸ γένοιτο ». (Περὶ εἴδους p. 7); cfr. Boethii *translationem* (L. c. p. 33). (2) *Comment. in Porphyr.;* lib. III (PL 64, 99. 114).

dicitur; et hoc solum est materia cui de se competit in nullo recipi et nulli inesse, unde alia ponunt individuari per hoc quod in ea recipiuntur; materia autem non potest, ut dicunt, multiplicari saltem sub eadem specie nisi sub quantitate, quia secundum eos ei soli per se competit habere in eadem specie distinctionem partium et distinctum situm; unde secundum eos in materia non potest esse nec cogitari distinctio partium (a) nisi sub distincto situ et sub diversis partibus quantitatis. — Alii autem voluerunt quod individuatio adderet aliquid realiter differens ad naturam communem, non tamen accidentale, sed essentiale et formale. Et quidam horum volentes explicare quid est illud dicunt quod est appropriatio et contractio (b) principiorum constitutivorum rei de quo etiam quidam volunt quod unum approprietur per aliud et e contrario, ut materia per formam et e contrario; alii vero quod unumquodque habeat per se suam appropriationem. Adhuc autem quidam volunt quod haec appropriatio sit appropriatio naturae communis et principiorum communium, ita quod individuum non addat ad naturam communem nisi hanc appropriationem. Alii vero volunt quod natura communis et eius principia semper remaneant in sua communitate non appropriata; alia enim volunt esse principia individui, alia naturae communis; unde hanc appropriationem dicunt esse solum ipsius essentiae individualis et principiorum eius. — Quidam autem (c) differenter ab istis dixerunt quod individuatio nihil addit ad naturam communem nec ad ipsum individuum. — Videsne igitur infinitam silvam opinionum in hac materia, quamvis in summa sub duabus comprehendantur: quia quidam volunt quod nihil addat, quidam autem quod addat.

Qui (d) autem voluerunt quod nihil addat moti sunt et ex parte eius quod additur et ex parte eius cui additur (e) et ex parte modi addendi seu unionis et ex parte eius quod efficitur per hanc unionem vel additionem vel ex parte eius quod sequitur hanc unionem.

Ex parte autem eius quod additur; quia quomodocunque individuatio addat aliquid ad illud quod per eam individuatur, hoc necessario vel est ei accidentale vel essentiale.

(a) Ita B^7, V om. (b) B^7 *attractio.* (c) In mg. (d) Ex *quidam.* (e) Al. m. *e. e. p. e. c. a.*

Si autem accidentale, tunc aliquid essentialiter numeraretur in pluribus individuis per sola accidentia aut essentia speciei seu quicquid est illud quod est individuatum esset eadem numero sub pluribus individuationibus seu sub [a] pluribus accidentibus individuantibus. — Cum etiam omne accidens sit posterius suo subiecto, etiam secundum Aristotelem, VII *Metaphysicae* [1], et substantificetur et recipiat esse in eo et dependeat ab ipso quantum ad essentiam et esse, in tantum quod subiectum per se et primum videtur esse principium suorum accidentium seu passionum: prius naturaliter existet illud cui additur individuatio quam [b] individuatio sibi addatur, et ipsum potius erit causa unitatis eius quod [c] sibi additur quam e contrario; quia quod est causa alicuius secundum essentiam et esse est causa distinctionis et unitatis eius; illud etiam quod additur non variabit, si est accidens, aliquid quod [d] per se et essentialiter competet prius suo subiecto; subiectum autem aut erat per se unum vel multa, aut nec unum nec multa aliquo modo, aut non unum nec multa in actu, sed solum in potentia erat unum vel multa. Si autem per se erat unum vel multa, tunc per se ei competebat individuatio; si autem per se et essentialiter inhaereat [e] ei negatio utriusque, tunc per nullum accidens additum potuit sibi aliquod horum inesse; si autem utrumque habebat in potentia, neutrum tamen in actu: aut erat in potentia receptiva respectu eorum aut in potentia activa seu originativa; si autem in potentia passiva, tunc illud [f] quod recipit ea non propter aliud dicitur unum vel multa, nisi quia est in eo recepta quaedam unitas vel multitudo et ita quando dicitur quod factum est multa, sensus erit tamen quod multitudinem quandam accidentium habet super se receptam.

Oportebit etiam quod omne illud quod erit unum numero vel multa habeat vere quandam potentiam passivam; quod secundum sapientiores non potest convenire nisi materiae soli. Illud etiam quod est perfectivum rei in esse substantiali et non causatum ab eo a sapientioribus [g] iudicatur quod sit substantiale et non accidentale; in hoc est enim differentia formae substantialis et accidentalis; non enim forma

---

([a]) Al. m. mg. ([b]) B[7] om. ([c]) Al. m. mg. ([d]) B[7] om. ([e]) B[7] *in hac erit* et om. *ei*. ([f]) Al. m. mg. ([g]) Al. m. corr.

([1]) Cap. 1, 1028a 30 sqq.

substantialis dicitur substantialis ipsi materiae, quia dat ei essentiam, sed quia dat ei esse substantiale. Sed illud quod dat unitatem numeralem alicui dat ei esse actuale et substantiale seu esse simpliciter; impossibile est enim quod aliquid intelligatur ut actuale vel ut habens esse in actu, nisi intelligatur [a] unum unitate aliqua numerali. Si autem subiectum individuationis erat unum vel multa in potentia activa seu originativa: tunc cum omne agens sit prius in esse et in actu quam illud [b] quod ab eo originatur, prius esset suum subiectum naturaliter in actu quam esset unum vel multa. Cum etiam non posset poni agere nisi naturaliter et necessario, aut semper originaret multitudinem aut semper unitatem. Cum etiam propria passio seu proprium originatum non plurificetur nisi secundum [c] plurificationem causae originantis, non posset in se causare pluralitatem seu plures unitates, nisi prius ipsum esset plura.

Per quid etiam originaret nunc quandam unitatem in isto individuo, nunc aliam in alio non erit dare. Cum etiam agens in quantum agens non sit patiens, oportebit dare in originante potentiam passivam in qua recipiatur unitas vel multitudo originata; et tunc potentia originans in quantum talis non erit per se unum vel multa, sed solum per hoc quod suae potentiae passivae inest quaedam unitas vel multitudo. Cum etiam omne originatum sit quaedam similitudo originantis, tunc unitas vel multitudo originata esset quaedam similitudo subiecti originantis; quod nihil dictu videtur. Cum etiam illud quod dat esse actuale det unitatem numeralem et e contrario, si aliquid causaret in se unitatem numeralem vel pluralitatem, tunc esset causa sui esse; quod est contra Augustinum [1] dicentem quod « nulla res se ipsam causat et gignit, ut sit ». — Praeterea, hoc accidens additum erit necessario in aliquo genere et in aliqua specie, et tunc sua essentia specifica per aliud accidens sibi additum erit individuale, et de illo alio sequetur idem et sic in infinitum. — Item, istud accidens additum per quod individuum [d] est individuatum aut est per se individuatum aut per aliud. Si per se, tunc eadem ratione poterit poni per se in substantiis absque inconvenienti sicut et in [e] istis

---

[a] Al. m. mg. *ut actuale... intelligatur.* [b] B[7] *aliud.* [c] B[7] add. *propriam.* [d] B[7] *dividuum.* [e] B[7] om.

---

[1] *De Trin.*, I, 1 (PL 42, 820).

accidentibus; si autem per aliud est individuatum, tunc per se non potuit aliquid individuare.

Si autem dicatur quod illud additum per quod fit individuatio est quantitas, sicut vult quaedam praedictarum opinionum: hoc secundum eos stare non potest; cum enim secundum omnes quantitas sit accidens, omnes rationes praedictae erunt contra istud. — Praeterea, cum in eadem specie quantitatis sint plures quantitates numero, ut sub linea plures lineae: oportebit dare aliam causam per quam differat haec linea in quantum haec a linea communiter accepta; non enim oportebit quod individuum substantiae plus addat ad suam speciem quam individuum lineae ad suam. — Si autem ad hoc dicatur quod differet una ab altera per hoc quod est in alia materia et subiecto: tunc fiet circulatio dicendo quod quantitas est causa quare una [a] materia seu una pars materiae differt numero ab altera. Et idem sequetur de pluralitate numerali situum existentium sub eadem specie positionis vel situs; tunc etiam haec [b] linea vel iste situs nihil adderet ad suam speciem formaliter; non enim materia eorum est eis formalis; et eo modo quo species lineae est realiter in hac linea; et ipsa existit in hac materia sicut et haec linea [c], et etiam sicut componibilia prius sunt natura vel intellectu quam eorum unio: sic haec linea, in quantum haec linea [d], prius quam eius unio qua unitur huic materiae et per quam existit in ea.

Praeterea, aut una pars materiae per hoc solum differt ab altera quod est sub alia parte quantitatis et sub altero situ aut etiam ultra hoc per aliquid aliud. Si solum propter primum, ergo solum differt accidentaliter eritque secundum suam essentiam simpliciter una et eadem sub hoc situ et sub illo nihilque aliud erit eam dicere aliam et aliam quam eam habere alium et alium situm. Si autem per aliquid aliud, tunc si hoc erat accidens, eadem inconvenientia sequuntur. Hoc etiam non posset esse aliquid causatum [e] a quantitate, et ideo distinctio per hoc facta nullo modo posset attribui quantitati. Hic etiam plus quaeritur causa [f] intrinseca individuationis et causa quasi formalis quam causa extrinseca et effectiva; et ideo quamvis quantitas esset causa effectiva illius individuationis [g], non propter hoc posset sibi

---

[a] In mg. *q. u.* [b] V *etiam* pro *tunc etiam haec* quod habet B^{7}. [c] Ex *linea haec.* [d] Al. m. mg. *i. q. h. l.* [e] B^{7} *creatum.* [f] Al. m. mg. [g] Ita B^{7}, V *individuantis.*

attribui ratio individuationis intrinseca. — Praeterea, nulla essentia distinguitur ab altera in essentia nisi per illud quod aliquo modo facit ad constitutionem eius nec secundum esse (a) potest differre ab alia nisi per hoc quod dat sibi esse; sed essentia materiae nullo modo constituitur per aliquod accidens suum nec suscipit esse substantiale nisi a forma substantiali; ergo essentia huius materiae non erit alia ab essentia alterius nec esse substantiale ab esse alterius per quantitatem, si ipsa est accidens, sicut omnes (b) volunt. — Praeterea, posito quod quantitas sit accidens: nullus fidelis negare poterit quin Deus hanc materiam quae est sub ista quantitate posset (c) ponere sub alia quantitate, ipsa manente eadem numero; cum secundum multos hoc ponatur posse fieri, immo et fieri per naturam, quando mutatur materia ab una quantitate ad aliam et (d) ab uno situ ad alium; hoc autem esset (e) impossibile, si quantitas causa est individuationis et numerationis suae. — Praeterea, si quantitas est causa individuationis et numerationis in habentibus quantitatem: tunc necessario in animabus nostris et in omnibus carentibus quantitate erit aliud genus individuationis et omnino alius et aequivocus modus; quod forte non solum est falsum, sed et secundum fidem videtur periculosum.

Si autem dicatur quod collectio plurium accidentium est causa individuationis substantiarum et non unum solum accidens per se acceptum: hoc secundum praedictos stare non potest eisdem rationibus supradictis; quia sicut unum accidens est substantiis accidentale, ita et omnia simul collecta seu eorum collectio. Oportebit etiam dare per quid ipsa accidentia individuentur et quid (f) addit individuum accidentis ad suam speciem, scilicet an essentiale sibi et suae speciei an accidentale. Sequitur etiam quod si unum accidens per se acceptum non est individuum et sic nec causa individuationis, quod nec omnia simul collecta; quia ex solis communibus simul aggregatis non potest fieri nisi commune et universale, sicut alibi est ostensum.

Non etiam, ut dicunt, illud quod additur et quod ponitur esse causa individuationis potest esse aliquid essentiale, quia omne essentiale additum constituit novam speciem seu est pars speciei. Cum enim omnia essentialia rei cadant in eius definitione, ablatio unius et appo-

---

(a) Ex *esse secundum.* (b) B[7] *sic igitur* pro *s. o.* (c) B[7] *possit.* (d) Add. interl. al. m. (e) Al. m. mg. (f) B[7] *quam.*

sitio variabit essentialiter ipsam definitionem; definitiones autem omnes sunt universales et per se ipsorum universalium et eadem est definitio speciei et suorum individuorum, ut hominis (a) et huius hominis, secundum Aristotelem in suis *Posterioribus* et *Metaphysicis* (1); omnia ergo essentialia erunt communia, et ita nullum eorum poterit esse causa individuationis. — Praeterea, istud essentiale additum erit aliquid et nihilominus erit hoc seu individuum; ergo illud per quod est hoc addit aliquid essentiale ad illud per quod est aliquid, ex quo individuatio non fit nisi per essentiale additum; eadem enim ratio quae de aliis ponitur erit et in isto; sed secundum hoc erit abire in infinitum, erit enim simile de tertio essentiali addito et de quarto et sic de aliis. — Praeterea, omni essentiali, immo et omni rei est cogitare simile, nisi contineat in se totum ambitum suae speciei seu definitionis; ergo huic essentiali addito erit cogitare aliud simile et ita erit eis dare unam rationem communem; et tunc oportebit dare causam et modum per quam est individuata et alia numero in isto et in illo, et secundum istam viam non erit dare nisi aliud essentiale additum et sic in infinitum.

Praeterea, similis effectus est a (b) consimili causa; sed individuatio est similis in omnibus individuis, saltem in iis quae sunt eiusdem speciei; ergo ipsa essentialia addita per quae individuantur erunt ad invicem consimilia et per consequens unam rationem communem habentia, et tunc sequitur processus in infinitum ut prius. — Praeterea, istud essentiale additum aut est materia vel aliquid de essentia eius aut forma seu aliquid formale; sed secundum istos materia nec aliquid eius hoc esse potest, quia tunc secundum hanc viam species accidentium non poterunt individuari, cum nec materia nec aliquid eius sit de essentia accidentium et individuatio ponatur fieri per essentiale additum, et maxime quia cum individuum contineatur secundum rectam lineam sub sua specie, oporteret quod illud essentiale additum esset vere sub specie accidentium individuatorum, sicut suo modo

(a) Al. m. ex *omnis*. (b) Add. interl. al. m.

(1) *Anal. post.*, II, 13, 97 b 26 sqq.; *Metaph.*, VII, 11, 1036 a 82 sqq.; VII 15, 1039 b 27 sqq. Attamen secundum Aristotelem individua et singularia nequeunt definiri; hoc iam inde elucet quod universalia per materiam individuantur, materia autem in definitione non comprehenditur nec conceptu exprimi et sciri potest. Cfr. locos modo citatos *Metaphysicae* et *Phys.*, III, 6, 207 a 25.

differentia sub suo genere. — Praeterea, cum materia ista habeat suo modo speciem seu quandam communem rationem materiae per quam convenit cum aliis materiis, si illud additum quod est causa individuationis est materia: ergo haec materia, in quantum haec, addit quandam materiam ad se ipsam, in quantum est materia seu in quantum habet communem rationem materiae; et quicquid sit illud additum, sive materia sive materiale, cum consimile sit in aliis individuis, adhuc erit in eo aliquid dare per quod est aliis simile et aliquid per quod est distinctum ab eis et in se individuum.

Praeterea, tunc nihil aliud erit dicere quod una forma substantialis differat ab alia numero nisi quod habet aliam materiam; et ita essentia formalis secundum se non erit numerata, immo vere erit una et eadem in duabus materiis; nec etiam unio istius erit formaliter distincta ab unione alterius, ex quo ipsum individuans non est aliquid formale, sed solum materiale. Tunc etiam haec (a) forma, in quantum haec, nihil addit ad se ipsam, in quantum forma, seu ad suam communem rationem nisi solum materiam; et ita ipsa secundum suam essentiam erit vere universalis in hac materia, propter hoc solum dicta individua, quia est in hac materia. — Praeterea, haec forma differt a sua materia, in quantum est individua; sicut enim differt forma communiter accepta a materia communiter accepta, sic et forma particulariter accepta a materia particulariter accepta; sed hoc non erit possibile, si materia est illud per quod haec forma est haec et (b) individua; quia per ipsammet (c) materiam nullo modo poterit distingui ab ipsa materia. — Praeterea, cum unitas et distinctio individualis sit omnium unitatum et distinctionum completissima et actualissima, tanquam comprehendens omnes alias et ultra hoc eis addens et sine qua nihil potest poni in actu, quanto autem aliquid in se magis unum et ab aliis magis distinctum, tanto perfectius sit ens, pro eo quod (d) unum convertitur cum ente: ergo incomparabiliter amplius causa numeralis unitatis et distinctionis debet attribui formae quam materiae; unde et materia sine forma est omnino indeterminata et indistincta, nullam de se habens determinatam unitatem et distinctionem sed solum indeterminatam; est enim eius ratio ens de se indetermina-

(a) Al. m. mg. (b) Add. interl. al. m. (c) B7 *ipsam*. (d) B7 add. *cum*.

tum ([a]) per varios terminos seu formas determinabile, sicut in quaestionibus de quidditate materiae est ostensum.

Illud etiam quod additur non potest esse formale secundum istos, quia omne formale cadit in definitione speciei et secundum rationes superius positas necessario esset universale nec per ipsum posset materia individuari secundum rationem suae essentiae. In nulla re etiam invenimus alia formalia praeter naturas formales generum et differentiarum et praeter accidentia nec aliquid formale in uno individuo cuius simile secundum speciem non possit inveniri in altero. Et universaliter, cum in definitionibus comprehendamus quicquid est de essentia rei, ad definitiones ([b]) ipsarum rerum nihil potest addi essentiale; et tamen ipsae sunt de se universales. — Si autem dicatur quod illud quod additur est appropriatio formae et materiae: hoc secundum istos non potest stare; ista enim appropriatio aut erit formae et materiae ([c]), essentialis aut accidentalis, et neutrum esse poterit secundum rationes superius factas. — Praeterea, haec appropriatio potius fundatur et subsistit in materia et forma quam e contrario; nihil autem, et maxime particulare, potest subsistere nisi in particulari; ergo necessario materia et forma prius naturaliter essent particularia quam ista appropriatio eis inesset. — Praeterea, haec appropriatio necessario haberet aliquam ([d]) aliam quidditatem et essentiam a communi quidditate et essentia formae et materiae; alias nihil adderet ad ipsas et ita nec individuaret eas, et tunc erit intelligere sibi commune et aliquid approprians et individuans illud.

Secundo moti sunt isti ex parte eius cui fieret ista additio. Illud enim cui fiet additio individuantium erit de se universale, quia de se non erit individuum; cum enim universale et particulare dividant ens per se et non per accidens et dividant omne ens et omnes partes et principia eorum: oportebit quod illud cui fit haec additio sit de se universale aut particulare; ex quo igitur de se non erit particulare, necessario erit universale; illud autem quod convenit alicui per se non potest tolli per aliquid adveniens; et ita per nullam individuationem advenientem tolleretur ab eo universalitas. — Praeterea, illud quod advenit alteri non denominat illud nisi in quadam adiacentia et per aliquid quodammodo extrinsecum a ratione et essentia eius

([a]) B[7] add. *et.* ([b]) B[7] *et definitionibus* pro *a. d.* ([c]) B[7] om. *hoc secundum... materiae.* ([d]) In mg.

quod denominatur; cum enim dico quod materia est informata tali forma, sive substantiali sive accidentali, nihil intendo apponere circa ipsam aut praedicare de ea quod sit de ratione et essentia eius, sed solum quiddam superappositum et quasi extrinsecum essentiae eius; ergo illud cui fit ista additio non dicetur individuum nisi propter hoc solum quod est ei quasi extrinsecus superapposita quaedam individuatio denominans eum; et tunc ipsum, prout est ei substratum et per respectum ad naturam per quam ei substernitur, non dicetur nec erit individuum: sicut homo per comparationem ad naturam per quam subsistit albedini non dicitur albus, sed solum prout est albedine informatus.

Praeterea, cum individuum, in quantum individuum, non subsistat in suis superioribus sed potius e contrario, si est inter ea differentia aliqua: ergo illud quod addit individuum ad sua superiora esset subsistens eis et in eo sicut in suo [a] supposito stabilirentur, et sic oporteret quod haberet potentiam receptivam eorum; et ipsa potius advenirent ei quam e contrario et prius naturaliter esset ipsum individuans quam ipsa individuata nec denominaret ea sua individuatione, sed potius illa sua universalitate denominarent ipsum et, ut ita dicam, universalificarent et communificarent ipsum, quia suppositum non denominat nec informat ea quorum est suppositum, sed potius e contrario. Tunc etiam nihil cogitatum et intellectum absque suis individuantibus et sua individuatione posset intelligi ut per se ens et ut substantia, quia secundum veritatem essent in alio; et tunc idem esset intelligere universale per modum concreti et per modum abstracti, ut hominem idem quod et humanitatem, aut saltem homo non significaret aliud quam humanitatem ut inhaerentem [b], sicut et album albedinem. — Praeterea, unum istorum oportet dare: aut quod individuantia subsistant in individuatis aut e contrario. Secundum autem secundum praedicta non videtur posse stare nec multo minus primum; quia superiora nullius sunt receptiva aut stabilitiva, et si essent, cum recepta recipiantur iuxta modum recipientium, reciperentur in eis secundum modum universalem; et cum recipiens prius naturaliter sit quam recipiat, saltem in quantum subsistens receptioni vel recepto, nec conditionem receptivam recipiat a recepto: ergo ipsa superiora de se haberent conditionem receptivam individuantium et secundum modum

---

[a] Ita B^7, V *eo*. [b] Ita B^7, V *inhabentem*.

suum et in via substandi seu essendi per modum subsistentium prius essent quam sua individuantia essent in eis recepta; et ita aliquo modo prius essent quam essent individuata nec unquam ea reciperent secundum modum particularem et individuatum, sed potius secundum modum eisdem competentem. — Praeterea, cum ipsa superiora sint plura: tot, ut videtur, oporteret esse individuantia quot et superiora; quia individuatio unius non est individuatio alterius nec eadem individuatio videtur posse inesse pluribus, maxime si sunt diversorum (a) praedicamentorum. — Praeterea, cum essentia superiorum non sit diversa et differens in diversis individuis nisi in quantum individuata et solum per hoc quod individuata, si realiter differunt a suis individuantibus et non solum secundum intellectum a sua individuatione: tunc realiter erunt de se et secundum se eadem in omnibus individuis suis, sicut Sortes albus et Sortes niger secundum se est sibi idem realiter et non solum secundum intellectum.

Tertio moti sunt ex parte modi addendi seu unionis. Quaecunque enim uniuntur ad invicem, aut ambo sunt formalia aut ambo materialia, aut unum formale, alterum materiale; pluribus enim modis non possunt in unum convenire. Sed individuatio et individuata non possunt poni ambo materialia; et si essent, tunc oporteret praeter ipsa dare tertiam formam unientem ipsa et informantem. Nec possunt poni universaliter ambo formalia, quia tunc materia individuata esset vere forma; et si essent, tunc praeter ipsa oporteret dare materiam in qua unirentur et reciperentur et quam informarent; non enim duae formae aliter possunt in unum concurrere nisi per hoc quod reciperentur in eadem materia. Nec aliquod horum potest poni materiale respectu alterius, ita quod habeat vere potentiam materialem receptivam eius et quod vere informetur ab ipso, sicut satis de se patet et aliqualiter superius est ostensum. — Si autem dicatur quod est unio sicut naturae et suppositi, hoc non videtur posse sufficere (b), quia haec unio in rebus creatis non potest esse realiter sine praedictis modis unionum; ubicunque enim in creatis natura differt realiter a suo supposito, ipsa est vere recepta (c) in ipso et ipsum habet potentiam materialem receptivam eius, sicut patet in insertis; ubi autem natura realiter non differt a suo supposito, ibi

(a) Al. m. corr. (b) V B^7 B^8 add. *tum*. (c) Al. m. ex *receptae*.

non est unio nisi solum secundum modum intelligendi, cum omnis realis unio necessario exigat distinctionem realem in suis extremis. Non etiam potest esse secundum hunc modum, quia natura suppositi particularis et ipsum suppositum sunt individua nec unum se habet ad reliquum sicut superius ad inferius, sed potius sicut particulare ad particulare; superiora etiam non possunt esse suppositum stabilitivum suorum individuantium nec e contrario, sicut[a] superius est ostensum.

Quarto moti sunt ex parte eius quod sequitur hanc unionem et eius quod efficitur per eam. Ad hoc enim ponimus unionem individuantium ad illa quae individuantur per ea, ut constituatur unitas numeralis seu individuum. Haec igitur unitas consequens praedictam unionem aut est composita ex eis aut quoddam[b] consequens compositionem et compositum ex eis. Primum esse non potest, quia natura communis quae per additionem individuantium est individuata non potest esse pars intrinseca et constitutiva suae unitatis numeralis seu suae individuationis; et si esset, tunc ex ipsa natura communi et suis individuantibus constitueretur quaedam tertia natura cuius partes ipsa essent. Si etiam superiora, etiam in concretione universaliter accepta, essent partes constitutivae individui aut unitatis numeralis: tunc homo aut animal, sic concrete accepta, essent partes huius hominis et huius animalis et tunc ita parum praedicarentur de individuis in concretione sicut in abstracto; compositum enim ex homine et suis individuantibus non erit homo nec sua individuantia, sed potius quiddam tertium constitutum ex eis, et loquor secundum quod per hominem et animal intendimus praedicare aliquid reale de individuo quod vere est in ipso seu quod potius vere est ipsum et non quasi logico et intentionali modo. Cum igitur idem totum seu idem ens significemus communiter et particulariter, non assumet rationem totius et entis ex aggregatione individuantium et individuatorum[c].

Si dicatur quod secundum hoc ex genere et differentia non constituitur species nec genus erit pars speciei, cum sit eius totum de ea recte praedicatum, sicut ipsa de individuis: dicunt isti quod aliud est naturam aliquam significare per genus, aliud ens aliquod. Genera enim secundum rationem generis et secundum hoc quod praedicantur de speciebus dicunt id quod dicunt per modum entis et totius et directe

---

[a] Al. m. mg. [b] Ita B^{7}, V *quidam*. [c] Ita B^{7}, V *individuatarum*.

significant quoddam ens et quoddam totum, oblique autem naturam aliquam generalem, tanquam videlicet partem illius totius cuius totius pars completiva ponitur differentia; unde differentia non est unita generi ut pars parti sed ut pars toti, sicut manus dicitur esse unita Sorti. Et quamvis in re ante adventum differentiae natura generalis faciat aliud totum ab illo quod est post adventum differentiae: illud tamen totum quod est in re actu ante adventum differentiae, non est illud quod intendimus significare per genus, cum illud sit quasi species eius et nullo modo praedicetur de toto constituto per adventum differentiae, sicut nec una species de alia nec unum ([a]) disparatum de alio; id ipsum enim totum quod sunt species intendimus significare per genus, modo tamen magis communi et indistincto et implicito, nec differentias ponimus posterius in actu existentes isto toto, sed differentia quae prius erat indistincte et implicite significata per genus per nomen differentiae adveniens explicatur, et ideo ista explicatio et iste adventus differentiae ad genus potius est in intellectu quam in re; cui respondet in re veritas existentiae utriusque, sed non prioritas et posterioritas existentiae eorundem. Quamvis enim Aristoteles dicat([1]) quod embrio prius est animal quam homo, non tamen prius est illud animal quod praedicatur de homine et quod est vere id quod homo, etiam posito quod illa animalitas per quam embrio prius est animal eadem numero remaneret in eo, postquam est homo, sicut vere remanet in aliis speciebus animalium, prout alibi est ostensum. In proposito autem si individuum seu unitas numeralis vere componitur et constituitur ex individuantibus et individuatis, necessario id ([b]) ipsum quod est totum, ut communiter significatum, erit vere pars constitutiva individui. — Si dicatur quod si constituitur unum ex eis, sicut ex ([c]) accidente albedinis et subiecto constituitur unum album, licet proprie ex accidente et subiecto non fiat aliquid unum: tunc non aliter se habebit homo ad hunc hominem quam ad hominem album; non enim se habebit ad eum sicut superius ad suum inferius, sed sicut subiectum ad suum accidens aut sicut superius sine accidente acceptum ([d]) ad se ipsum cum accidente ac-

([a]) Ita B^7, V om. ([b]) B^7 *ad.* ([c]) Ex *essentia ei.* ([d]) V B^7 B^6 *accepto.*

([1]) *De gener. anim.*, II, 3, 736 a 28 sqq.

ceptum [a]. Tunc etiam individuum, in quantum individuum, non esset in genere substantiae nec in praedicamento individuatorum per eum, et ita non esset dare primam substantiam, nec tunc individuum substantiae, in quantum individuum, diceret ipsum ens et ipsum totum seu ipsum [b] suppositum, sicut nec album, in quantum album [c].

Non etiam potest esse quiddam aliud consequens compositum ex tali unione, quia tunc multo minus praedicaretur de ipso individuo in quid nec tunc ipsum individuum nominaret ipsum ens et totum, sed solum quandam accidentalem proprietatem ipsius; et nihilominus ipsa superiora essent pars constitutiva illius compositi ad [d] quod consequitur talis unitas seu individuum. — Praeterea, omne quod sic consequitur est vere accidens aut saltem secundum esse dependens a priori et actualiter existens et substantificatum in ipso; sed omne accidens particulare praeexigit subiectum particulare, et illud a quo aliud dependet in actu tanquam causatum ab eo et in ipso substantificatum oportet quod sit particulare et hoc naturaliter prius; ergo compositum illud et unio illa ad quam sequeretur ipsum individuum seu unitas numeralis essent prius naturaliter particulare et individuatum quam sua unitas numeralis et prius quam huiusmodi unitas esset in eo.

Non etiam, ut dicunt, potest effici haec individuatio in ipsis individuatis ex unione individuantium ad individuata eo modo quo quidam magni ponunt quod materia appropriat sibi formam et est causa individuationis eius et e contrario; quia tunc praeter illa quae efficiunt ipsam individuationem erit ibi ipsa [e] individuatio facta quae, in quantum facta est et terminus factionis, dicet quandam essentiam aliam ab efficientibus eam et aliam ab ipso individuato in quo fit et in quo recipitur. Et tunc cum omnis effectus sit similitudo suae causae, erit similitudo quaedam individuantium; et cum omne receptum exigat potentiam receptivam in qua recipiatur: omnia individuata, sive sint superiora et communia sive sint formae, habebunt potentiam receptivam suae individuationis et erit formae forma; tunc etiam materia erit causa efficiens individuationis formae et ipsa erit quaedam similitudo ipsius materiae tanquam genita ab ipsa, priusque naturaliter erunt in actu forma et materia quam suae indivi-

---

[a] Al. m. corr., B^{7}_{8} *accepto*. [b] Al. m. mg. *s. i.* [c] Al. m. mg. *i. q. a.* [d] Add. interl. al. m. [e] Al. m. mg. *i. e. i. i.*

duationes seu appropriationes eo modo quo recipientia prius sunt receptis. Quae omnia et consimilia valde difficile est salvare iudicio istorum.

Si autem dicatur, sicut una praedictarum opinionum dicere videtur, quod individua dicunt alias essentias a suis universalibus nec ipsa universalia sunt unquam individuata, sed secundum suam universalitatem existunt in suis individuis et sic individuum non addit ad naturam communem aliquid individuans eam, sed potius addit ad ipsam (a) totam essentiam individualem et totum ipsum individuum: hoc, iudicio istorum et etiam aliorum, stare non potest nec ad propositum sufficere; quia supponit unum quod communiter falsum aestimatur, scilicet quod universalia, secundum quod universalia (b), sint actu in inferioribus suis et quod essentia individui sit alia ab essentia suorum universalium, cuius falsitas in sequenti quaestione ostenditur. Et praeter hoc oportet adhuc respondere an essentia individualis seu ipsius individui sit per aliquid additum sibi individuata aut per se ipsam solum sine aliquo addito. Si enim per aliquid additum, tunc adhuc manent omnes rationes praedictae; si autem sine aliquo addito, tunc simpliciter concedunt opinionem istam, scilicet quod individuatio nihil addat ad essentiam ipsius individui individualem seu individuatam.

Alia autem opinio est praedicta multo communior et solemnior, prout credo, quod individuatio aliquid addat ad essentiam individui, ita quod vere est realis differentia inter individuans et individuatum; quae licet in plures vias dividatur, sicut superius est tactum, in hoc tamen conveniunt sibi omnes fundantque se (c) in rationibus in opponendo tactis, et maxime in sex primis, et etiam quia materia manifeste videtur distingui et determinari per formam et forma (d) contrahi ad determinatum modum existendi et ad esse hic et nunc per materiam.

Quia autem rationes utriusque opinionis valde fortes esse videntur, idcirco fuerunt alii qui nisi (e) sunt concordare utramque per quandam distinctionem differentiae et additionis realium essentiarum aut rationum realium aut rationum in solo intellectu existentium, et per hanc nisi sunt satisfacere rationibus utriusque partis.

(a) V B^7 B^6 *ipsum.* (b) B^7 om. *s. q. u.* (c) B^7 om. (d) B^7 *formam.* (e) Al. m. mg., del. *nisi.*

Dixerunt enim quod quaedam est additio secundum rem implicans realem differentiam inter id quod additur et id cui additur, ita quod realiter habent [a] diversas essentias, sicut est materia et forma; et hoc modo dixerunt quod individuatio nihil addit ad essentiam individui; et argumenta primae opinionis hoc solum concludunt. Alia est additio rationis realis [b] ad rationem realem nullam implicans realem differentiam seu aliquam diversitatem essentiarum; unde nec proprie nec simpliciter dicitur additio, sed solum secundum quid; sicut in Deo amor addit ad sapientiam et una idea ad aliam et sicut in differentia rationali quae simul est forma et substantialis forma et talis forma, scilicet rationalis et constitutiva hominis et ipsum distinguens ab aliis. Non enim ratio formae in ea dicit aliam essentiam a ratione substantialis formae aut a ratione talis formae, scilicet substantialis. Nec ista dicunt aliam essentiam a ratione constitutivi et distinctivi, sed in eadem essentia per omnimodam indifferentiam istae rationes comprehenduntur, et hoc realiter et non solum secundum modum intelligendi nostrum; sicut ratio dextri et sinistri nullam rationem realem dextri et sinistri ponit [c] in lapide qui aliquando est mihi a sinistris et aliquando a dextris, sed solum ponit diversitatem rationum in ipso secundum solum modum intelligendi, licet realem ponat in altero extremo respectu cuius ipse lapis dicitur dexter et sinister; idem est de aliquo obiecto aliquando scito [d], aliquando ignorato aut contrarie opinato; et idem de aliquo aliquando dilecto et laudato, aliquando odio habito et vituperato [e]; non enim ponunt aliquam diversitatem rationum in ipsis obiectis nisi secundum modum intelligendi tantum.

[Solutio Obiectorum]

Dixerunt igitur isti [f] quod argumenta primae opinionis nihil concludunt contra secundum modum additionis nec multo minus contra tertium; argumenta autem secundae opinionis, praeter pauca, non concludunt necessario additionem nisi secundum modum secundum; quae autem amplius concludunt [g] fundant se super aliquo quod communiter non est a [h] sapientibus concessum.

---

[a] Ita B^7, V *habens.* [b] B^7 *rationalis* pro *r. r.* [c] Ita B^7, V *ponunt.* [d] Ita B^7, V *cito.* [e] Ex *vituperatio.* [f] Al. m. mg. [g] Al. m. mg. *necessario... concludunt.* [h] Ita B^7, V om.

De rationibus autem primae opinionis satis faciliter ostendunt. Omnes enim arguunt, supposito quod fiat additio alicuius essentialis seu accidentalis aliquam essentiam diversam apponentis illi cui additur; et ideo non plus possunt concludere nisi quod antecedens quod supponitur sit falsum, scilicet quod fiat additio alicuius, sive essentialis sive accidentalis, diversam essentiam apponentis ad id cui additur, si tamen et hoc vere et sufficienter concludunt. Et sic uno verbo isti se reputant sufficienter respondisse ad omnes rationes opinionis praedictae.

De rationibus autem secundae opinionis, quia quod dicunt difficilius est ostendere, ideo respondendo ad unamquamque propositum suum astruere nituntur.

Dicunt enim ad primum [a] quod diversitas rationum realium sufficit ad hoc quod non sequatur individuum ad suum superius affirmando, ut quod non sequatur [b]: « est homo, ergo hic homo »; quia aliquando sufficit diversus modus accipiendi et intelligendi. Licet enim in Deo idem sit sapientia et voluntas, non tamen sequitur: « scit hoc, ergo vult hoc ». Veritas enim istarum consequentiarum quae fundantur [c] in habitudine superiorum ad inferiora [d] fundamentum habet a re, sed complementum ab intellectu nostro. Fundamentum pro tanto habet in re, quia in unoquoque homine est vere ratio quae est homo et ratio quae est hic homo; pro tanto autem ab intellectu, quia ratio superioritatis et universalitatis secundum quam homo et consimilia intelliguntur ut unum et idem in omnibus individuis non est in re, sed solum in intellectu. Et haec est proprie et directe causa quare talis consequentia non est bona; unde quando dicimus: « est homo », nos non accipimus humanitatem quae in isto est proprie et distincte, sed accipimus rationem humanitatis, prout secundum intellectum est una in omnibus. Alias optime sequitur quod si iste habet humanitatem, quod habet suam propriam humanitatem; nec in isto est aliqua humanitas quae simpliciter non sit haec humanitas, etiam secundum omnes praedictas opiniones, praeterquam secundum illam quae ponit universalia secundum suam universalitatem esse in rebus. Quamquam [e] enim aliae ponant quod individuatio addat ad humanitatem, humanitas tamen individuata non est alia ab illa cui advenit individuatio, sed penitus eadem. Et posito etiam quod

---

[a] B[7] *primo* pro *a. p.* [b] Al. m. mg. *individuum... sequatur.* [c] B[7] *fundatur.* [d] B[7] add. *et e contrario.* [e] Ita B[7], V *quandam.*

individuatio realiter aliquid differens addat, humanitas tamen cui realiter unitur haec individuatio nullo modo posset uniri alteri individuationi; unde quantum ad consequentiam [a] ita essent convertibilia sicut si penitus essent eadem; et quantum est de ratione mutuae identitatis et inseparabilitatis plus quam subiectum et propria passio, quia magis inseparabiliter sibi adhaerent quam ista. Unde hoc argumentum non plus cogit illos qui ponunt quod nihil addat realiter differens quam alios.

Ad secundum dicunt quod quaecunque omnino sunt eadem alicui quod realiter est in se et in eis unum et idem inter se omnino sunt eadem; individua autem non sunt sic sibi eadem in aliquo uno tali; in nullo enim uno secundum rem sunt sibi eadem, sed solum in uno secundum intellectum.

Ad tertium dicunt quod individuatio, quantum est de identitate reali, potest praedicari de humanitate, et e contrario; sicut et in Deo divinum amare potest praedicari de suo intelligere. Quia tamen modus praedicandi sequitur modum intelligendi et variatur secundum rationum diversitatem, quamvis nulla sit realis diversitas: ideo individuatio non proprie et recte potest praedicari de humanitate vel de alia re quacunque.

Ad quartum dicunt quod non solum ipsi sed et multi alii concedunt, et prout credo recte et catholice, quod forma habet per se suam individuationem, ita quod nullo modo habet eam aut contrahit ex materia; licet eam habere non possit nisi in relatione ad materiam propriam et, ubi non habet miraculosam existentiam, non etiam nisi in materia propria [b], sicut nec suam essentiam potest aliter obtinere; quoniam secundum totam suam essentiam est ordinata et relata ad materiam et totaliter impendens eidem. Unde secundum istos non appropriat sibi formam quasi agendo aliquam appropriationem in ea, sed solum hoc dicitur, quia non potest recipere formam nisi sibi appropriatam et adaptatam; nec etiam forma agendo aliquid individuat essentiam materiae nec distinguit eius essentiam [c] secundum se, sed solum secundum actus formales.

Ad quintum dicunt quod in rebus nihil est secundum veritatem commune aut universale, ita quod realiter insit

---

[a] B^7 *convenientiam.* [b] V *nisi in materia propria ubi non habet miraculosam existentiam* pro *ubi... propria* quod habent B^7 B^6. [c] V *distinguitur per eam eius essentia* pro *d. e. e.* quod habent B^7 B^6.

eis communitas seu universalitas, et ideo non oportet apponi aliquid limitans, contrahens et approprians, sed illud idem cui intellectus attribuit universalitatem est vere secundum se proprium et individuum. Potest etiam fieri vis in prima propositione qua dicitur quod commune per id quod est commune [a] nulli potest appropriari. Potest enim esse sensus: per id quod est commune, id est, in quantum commune seu secundum rationem [b] suae communitatis; et sic propositio est vera. Vel potest esse sensus: per id quod est commune, id est, per illam rem cui attribuitur communitas; et tunc duobus modis: secundum quod illud potest stare pro essentia rei comprehendente pluralitatem rationum realium aut secundum quod stat pro altera illarum solum, scilicet pro ratione naturae [c] absolute absque ratione individuationis. Et primo modo praedicta propositio simpliciter [d] est falsa; secundo modo potest concedi eo modo quo conceditur quod Deus, in quantum intelligit se, non amat se.

Ad sextum dicunt quod individuatio non est accidens, quamvis sit idem quod unitas numeralis. Quomodo tamen cum hoc possit esse in genere quantitatis discretae, quid isti et aliqui alii de hoc dixerint in sequentibus [e] tangetur. Non concedunt autem quod individuatio seu unitas numeralis oriatur a principiis constituentibus rem, saltem unitas et individuatio ipsorummet [f] principiorum; unitas enim compositi oritur a suis partibus sicut et ipsum; nec concedunt quod haec unitas sequatur ens cuius est nisi solum secundum intellectum. — Quod autem dicitur quod individuatio potest manere mutata specie non plus tangit ipsos quam alios; quia omnes alii volunt quod ista sit inseparabilis ab essentia [g] individui, sicut si essent omnino eadem; individuatio autem illa quae manet mutata specie fundatur solum in illis quae in tota transmutatione manent immota. Quantum enim destruitur de essentia rei, tantum et de unitate; et quantum per generationem advenit de essentia formali, tantum et de unitate; quamvis non sit plene verum quod eadem res quae prius erat aer sit postea ignis, sed hoc est bene verum quod eadem materia quae prius erat sub forma aeris est postea sub forma ignis; et aliquae formae eodem modo aliquando manent eaedem numero post transmutationem secundum aliquos sapientes.

([a]) Al. m. mg. *per... commune.* ([b]) Ita B^{7}, V om. ([c]) B^{7} *vere.* ([d]) B^{7} om. ([e]) B^{7} *quaestione post ipsam.* ([f]) B^{7} *ipsorum et.* ([g]) Al. m.

Ad septimum dicunt quod non solum ipsi, sed fere omnes alii negant in corporalibus individuationem et numeralem distinctionem fieri per quantitatem; quia tamen haec ratio in sequentibus plenius tangetur, ideo ad praesens responsionem eius recitare non curo.

Quid autem de istis opinionibus verius sit sapientiorum iudicio derelinquo. Si tamen haberem aliquam tenere, secundam tenerem, quia solemnior et communior est, licet nullam scirem sustinere ad plenum [a].

QUAESTIO XIII.

Septimo quaeritur an universalia sint in individuis [b] suis secundum suam universalitatem an tantum in intellectu [c].

Et quod sic videtur.

1. Quaecunque sunt sibi similia in aliquo sibi assimilantur; sed amoto omni intellectu duo individua eiusdem speciei essent similia secundum speciem seu substantialiter; sed non essent sibi similia [d] in substantia vel natura propria [e], quoniam per illam a se invicem distinguuntur; ergo in natura communi; sed hoc non posset esse, nisi in quantum talis esset in eis; ergo et cetera.

2. Item, quandocunque res intelligitur aliter quam sit, falsus est intellectus; sed si in rebus non est universalitas, quandocunque res intelliguntur esse universales, res [f] intelliguntur aliter [g] quam sint [h]; ergo intellectus sic intelligens esset falsus; hoc autem non est verum; ergo nec illud ex quo sequitur.

3. Item, illud quod competit alicui rei secundum rationem seu definitionem suam verissime sibi competit; sed re-

---

[a] V om. *si tamen... plenum* quod habent B^7 B^6. [b] Al. m. corr. [c] B^3 *Quaeritur utrum universalia habeant esse vel sint in individuis secundum suam universalitatem aut tantum in intellectu* pro *Septimo... intellectu;* add. interl. al. m. *in.* [d] Ita B^7, V om. [e] B^3 om. *sed non... propria.* [f] B^3 om. [g] B^3 *actu.* [h] B^3 *essent.*

bus ipsis quibus intellectus attribuit universalitatem convenit secundum rationem suam non differre, sed esse unum et idem in pluribus; non enim iste [a], in quantum homo, differt ab illo, nec homo secundum rationem suam differt in hoc et in illo, immo est omnino una et eadem ratio hominis et humanitatis in hoc et in illo existentis; ergo verissime sibi convenit quod sit unum et idem in pluribus; sed hoc est esse universale; non enim est aliud universale quam [b] unum in pluribus [c] individuis vel inferioribus; ergo et cetera.

4. Item, si dicam « Sortes est, ergo Sortes est » nugatio est aut petitio principii aut habitudo convertibilitatis [d] seu totalis identitas et non alia; sed si [e] in rebus nihil est nisi individuum vel individuatum, omnes consequentiae ab inferioribus ad superiora [f] secundum rem et veritatem erunt tales; idem enim erit [g] « Sortes est [h], ergo homo est » quod « Sortes est, ergo Sortes est », si ita est [i] individuum le « homo » sicut le « Sortes ». Et ita bene sequetur secundum rem « homo est, ergo Sortes est [k] », sicut si « Sortes est, ergo Sortes est », et ita cessabit omnis locus ab inferiori ad superius [l] et e contrario et omnes habitudines in eis fundatae; sed hoc videtur absurdum; ergo et cetera.

5. Item, secundum Augustinum [m], in *Epistola ad Nebridium* [1], alia est idea hominis et alia huius hominis [n]; sed diversis ideis correspondent in re diversa ideata; non enim in ideis est diversitas nisi [o] ratione convocationis ideatorum; ergo secundum rem aliud erit homo et aliud hic homo; sed hoc non potest esse, si homo est quid individuum, quia homo individuus et hic homo idem sunt; ergo et cetera.

6. Item, Augustinus vult ibidem [2] quod omnes homines habent unam ideam, in quantum sunt homo, aliam vero et aliam, in quantum hic vel ille homo; sed non possunt habere unam ideam, nisi repraesentatum ab idea seu ideatum [p] sit in eis [q] unum et idem; ergo et cetera.

7. Item, cum praedico hominem de Sorte dicendo « Sortes est homo », aut praedico omnino idem aut diversum [r];

---

[a] B^3 *iste homo* pro *e. i.* [b] Al. m. mg. *u. q.* [c] B^3 *universale in pluribus quam* pro *u. q. u. i. p.* [d] B^3 *convertibilis.* [e] B^7 om. [f] B^3 add. *erunt.* [g] B^3 *est.* [h] B^3 add. *homo.* [i] Ita B^7, B^3, V add. *in.;* al. m. corr. *individuum.* [k] B^3 om. *Et ita... est.* [l] B^3 *inferioribus ad superiora* pro *i. a. s.* [m] B^3 *Augustinus* pro *s. A.* [n] Al. m. mg. *e. a. h. h.;* B^3 om. *alia.* [o] B^3 add. *in.* [p] B^3 om. [q] B^3 om. *i. e.* [r] V *non est omnino idem* pro *a. d.* quod habet B^3.

---

[1] *Epist.*, Class. I, ep. 14, n. 4 (PL 33, 80). [2] L. c.

si omnino idem [a], ergo eadem est praedicatio secundum rem « Sortes est homo » et « Sortes est hic homo »; si non [b] omnino idem, hoc non est, nisi differant sicut universale et particulare; ergo et cetera.

8. Item, universalia sunt ubique et semper secundum Aristotelem [1] et de eis solis est scientia secundum eundem [2] et ipsa sunt potissima [c] obiecta intellectus; sed hoc non est possibile, nisi secundum suam universalitatem sint in rebus; ergo et cetera.

9. Item, Aristoteles distinguit [3] primam substantiam et secundam; sed ista distinctio est fictitia, si secunda substantia nihil distinctum secundum rem ponit [d] a prima, et si in quantum secunda, est secundum rem nihil, sed solum in intellectu; ergo et cetera.

10. Item, quibus est assignare in re diversas proprietates et effectus ipsa, in quantum talia, sunt vere in re; sed propriae passiones sequuntur naturas specificas et universales [e], ita quod non insunt [f] individuis nisi per illas, accidentia vero communia sequuntur individua nec insunt superioribus nisi per ipsa; ergo et cetera.

11. Item, secundum Aristotelem [g], XI *Metaphysicae* [4], sicut particularium sunt principia particularia, ita [h] universalium universalia; sed si nihil sunt in re nisi ut particulata, non habebunt [i] principia universalia, sed solum particularia; ergo et cetera.

12. Item, illud quod per aliud et non per se exit in esse differt realiter ab eo [k] quod per se exit in esse; sed universalia exeunt in esse per generationem particularium et non per se; per se enim sunt ingenerabilia [l] et incorruptibilia secundum Aristotelem [5], per individua autem moventur et generantur, quia secundum eundem [6] moventibus nobis moventur ea [m] quae in nobis sunt, nec secundum

---

[a] B[7] om. [b] B[3] add. *est.* [c] B[7] om. [d] B[3] *est.* [e] Al. m. corr. [f] B[3] *sunt in.* [g] B[3] om. *s. A.* [h] B[3] *sic.* [i] B[3] *habent.* [k] B[3] *ipso.* [l] B[3] *generabilia.* [m] B[7] *omnia.*

---

[1] *Anal. post.*, I, 31, 87b 30 sqq.; II, 12, 96a 8 sq. [2] *Metaph.*, XI, 1, 1059b 26; III, 6, 1003a 12 sqq.; *Eth.*, VI, 6, 1140b 31 sqq. [3] *Metaph.*, VII, 13, 10 38b1 sqq.; *Cat.*, cap. 5, 2a, 17 sqq. [4] Libr. III, 4, 1000a 5 sqq.; III, 6, 1002b 12 sqq.; XI, 2, 1060a 3 sqq., b 19 sqq. [5] *Anal. post.*, I, 24, 85b 15 sqq.; I, 8, 75b 21 sqq.; cfr. pag. 234, not. 1. [6] *Phys.*, VIII, 4, 254b 7 sqq.; IV, 4, 211a 19 sqq.; VI, 9, 240b 1 sqq.

eundem [1] generatur homo, nisi quia generatur hic homo; ergo et cetera.

Contra: Avicenna [a 2] et Commentator Aristotelis [3] dicunt quod solus intellectus facit [b] universalitatem in rebus et quod in rebus nihil est nisi particulare et individuatum.

[Respondeo]

Ad quaestionem istam dicendum [c] quod circa eam sunt variae opiniones. Quidam enim volunt [d] quod universalia secundum universalitatem suam sint [e] in rebus distincta a suis individuis, ita quod sicut individuum habet suam propriam essentiam [f] individualem et [g] habet sua propria principia particularia, ita universalia habent suam essentiam universalem et sua principia universalia; voluntque [h] quod universalia sint in individuis non sicut forma in materia nec sicut accidens in subiecto nec sicut pars constitutiva in suo toto nec secundum aliquem modum essendi in [i] nisi solum secundum illum modum quo [k] superius est [l] in suo inferiori et [m] totum universale in sua parte subiectiva. Dicunt etiam quod individua et inferiora in suis universalibus sunt sibi substantialiter similia et solum [n] ita quod ipsa universalia sunt quaedam similitudo ipsorum individuorum; voluntque quod causentur a suis individuis seu inferioribus per quandam resultationem et quod corrumpantur ipsis corruptis, ita quod non possunt actu esse sine eis [o] aut nisi in eis.

Alii vero dicunt quod universalia habent quoddam esse habitudinale seu potentiale in se ipsis quod vocant esse essentiae et secundum hoc esse manent [p] ipsis individuis destructis, aliud vero [q] habent in suis individuis, quod vocant esse actuale; et secundum hoc

---

[a] Al. m. ex *Acenna.* [b] B[2] *causat.* [c] B[4] *sciendum est.* [d] B[3] *voluerunt.* [e] B[3] *sunt.* [f] Ita B[7] B[8], V add. *et.* [g] Add. interl. [h] Al. m. ex *volun,* B[3] *volunt.* [i] B[7] om. [k] B[3] B[3] *sicut* pro *s. s. i. m. q.* [l] B[3] om. [m] B[3] add. *sicut.* [n] B[3] om. *e. s.* [o] B[3] *ipsis.* [p] Ex *manens.* [q] B[3] add. *esse.*

---

[1] *Metaph.,* VII, 7, 1032a 25; VII, 8, 1033b 32; XII, 3, 1070a 8, 28; et alibi saepe. [2] *Logica,* pars III (f. 12ra sqq.); *Metaph.,* tract. V, cap. 1, 2 (f. 86va sqq.). [3] Averroes, *Metaph.,* lib. VII, summa 1, cap. 15, 16 (vol. VII 197ra sqq.).

esse non manent [a] individuis destructis nec secundum hoc esse habent universalitatem, immo sunt particulata et multiplicata [b] in suis individuis; secundum vero primum esse habent veram universalitatem sine aliqua individuatione.

Tertii sunt qui volunt quod universalia nullam habeant universalitatem nisi solum in intellectu et secundum intellectum, ita quod nihil sit in rebus extra intellectum aliquo modo nisi particulare et individuatum; et isti negant omnia supradicta quae praedicti modi ponunt. Iste autem modus dicendi [c] solemnior est et communior et verior, prout credo.

Primus enim modus non videtur esse verus [d], quinque enim ponit impossibilia, prout credo. Quorum primum est quod universalitas sit in actu et hoc distincta ab essentia particularium; secundum vero est quod aliquid sit compositum ex principiis universalibus; tertium vero [e] quod huiusmodi universalia [f] sint in particularibus et hoc solum [g] illo modo essendi in quo [h] superiora dicuntur esse in inferioribus; quartum autem [i] quod universale hoc [k] sit similitudo individuorum in qua sibi [l] assimilentur; quintum vero. quod generetur [m] ad generationem individuorum et hoc resultando ex eis et quod corrumpatur [n] ipsis corruptis.

Primum quidem est impossibile, ut [o] videtur. Si enim universale est in actu, oportet quod cadat sub generalibus divisionibus entis; quod enim non cadit sub generalibus divisionibus [p] entis nullo modo [q] est sub ente, quia membra divisionis sufficienter accepta convertuntur cum ente diviso. Inter alias autem divisiones entis hae dividunt ens generalissime acceptum [r]: scilicet finitum et infinitum, causatum et non causatum [s], dependens et independens, aeternum et non aeternum, corruptibile et incorruptibile, simplex et compositum, vivens et non vivens, potentia et actus, operans et non operans seu potens [t] operari et non potens, spirituale et corporale seu extensum et non extensum, simpliciter et secundum quid, ens per se et ens in alio, substan-

---

[a] B[7] om. *ipsis individuis... manent.* [b] B[3] om. *e. m.* [c] B[3] *essendi.* [d] B[3] *falsus* pro *non verus.* [e] B[3] add. *est.* [f] B[3] om. [g] Ita B[3], V *solo.* [h] Al. m. mg.; B[3] om. *in.* [i] B[3] om. [k] B[3] om. [l] B[3] add. *invicem.* [m] B[7] *generentur;* B[3] om. *vero.* [n] B[7] B[3] *corrumpantur.* [o] Al. m. mg. [p] B[3] om. *entis... divisionibus.* [q] B[3] *non* pro *n. m.* [r] B[3] *sunt* pro *dividunt... acceptum.* [s] B[3] *creatum et non creatum* pro *c. e. n. c.* [t] B[3] add. *non.*

tia et accidens seu substantiale et accidentale, idem et diversum, unum et multa.

Oportet igitur quod universale, si est actu [a], sit finitum aut infinitum [b]. Si autem [c] est finitum, tunc non est universale; quia universalis ratio est quod, quantum est de se, possit esse actu in infinitis nec est defectus a parte eius. Si autem habet essentiam finitam, habebit et potestatem existendi [d] in aliis et continendi ea finitam; et tunc in tot poterit esse actu quod simul cum illis non poterit esse in pluribus; cum etiam universale abstrahat ab hic et nunc et ab omni limitatione omnis individuationis: necessario erit simpliciter infinitum; et tamen isti qui hoc ponunt volunt alibi quod praeter solum Deum nihil possit esse infinitum in actu; et credo quod vere, sicut suo loco alibi est ostensum.

Erit etiam aeternum, quia [e] secundum rationem suam est abstractum ab omni tempore et ab omni [f] mensura durationis limitata, sive a parte ante [g] sive a parte post, et quia quantum erit [h] de se, posset esse in individuis [i] ab aeterno et praesentialiter attingere totam aeternitatem, quia per accidens omnino [k] respicit eius ratio prius et posterius nec est defectus a parte suae rationis quin habeat ista [l]. Si autem non esset aeternum, nullo modo possent competere ista [m] sibi, et maxime secundum istos qui volunt alibi quod nihil praeter Deum possit esse aeternum et maxime sine successione; et credo quod vere, sicut alibi est ostensum ubi tam secundum istos quam secundum veritatem est probatum quod omne [n] tale est independens et increatum et omnino [o] incorruptibile.

Erit etiam universale simplex aut compositum; et quidem ex praemissis [p] conditionibus sequitur quod sit simplicissimum [q], quia nulli composito praemissae conditiones convenire [r] possunt. Tamen [s] secundum eos ipsa sunt composita; et hoc ipsum oportet quod ponant, quia universale quod est species constituitur ex genere et [t] differentiis et universale individuorum compositorum [u] habet intra se rationem universalem partium seu principiorum componentium

---

[a] B³ add. *quod.* [b] Al. m. mg. *a. i.* [c] B³ om. [d] B³ *habet potestatem essendi* pro *h. e. p. e.* [e] B³ *Cum etiam sic aeternum sic erit etiam quod* pro *E. e. a. q.* [f] B³ om. *a. o.* [g] B³ *antecedentis.* [h] B³ *est.* [i] Add. interl. al. m. *i. i.* [k] B³ om. [l] Ex *a ista.* [m] B³ *illa.* [n] B³ *esse.* [o] B³ om. [p] B³ *quod ex praemissis primis* pro *q. e. p.* [q] Ex *simplissimum;* B³ *quod* pro *quia.* [r] B³ *competere.* [s] B⁷ *nec.* [t] B³ add. *ex.* [u] Al. m. ex *composita.*

ipsum individuum; unde universale substantiarum comprehendit materiam et formam universaliter accepta [a] et universale quantitatis vel continui [b] et discreti comprehendit necessario rationem partium illarum sine quibus non est intelligere continuum nec divisum nec divisibilitatem. Si autem in universalibus est dare compositionem per se et [c] secundum propriam rationem: ergo et dissolubilitatem erit dare in eis [d] secundum propriam rationem, et erit [e] ibi dare materiam infinitam informatam forma universali et infinita quae habebit omnem rationem per se convenientem materiae. Et ita conveniet ei quod per se sit mobilis a variis formis ad formas varias; et sic in universalibus per se et secundum se poterit esse motus, sicut et [f] in particularibus; et erit [g] dare in eis eandem naturam duplicatam [h], duas relationes oppositas respectu eiusdem habentem, nam animal [i] universale erit pars constitutiva hominis; et tunc erit in eo sicut pars constitutiva in suo toto et nihilominus erit ibi animal genus hominis, quod erit in homine solum sicut totum in parte subiectiva. Quomodo etiam idem animal universale erit simul pars hominis et asini simul contractum per plures differentias et cum hoc manens illimitatum? erit etiam dare in eis mutuas inclinationes et unibilitates et breviter omnia quae requiruntur ad huiusmodi compositiones.

Universale etiam [k] rerum vivarum sensitivarum et intellectualium habebit vitam universalem et intellectum et voluntatem etiam liberam, sapientiam et amorem universalem et omnes habitus et operationes et passiones universales, omnibus enim [l] istis est dare species et genera; et erit amor universalis in voluntate universali sicut in subiecto et operationes universales quae sunt species et genera operationum particularium, ut [m] intelligere et sentire, nutrire [n], generare, augere, movere qualitercunque specificate accepta erunt a potentiis universalibus sicut a principiis operativis.

Et ex omnibus istis sequitur quod vere erit ibi potentia et actus, licet ex divisione ipsa hoc ipsum necessario ponere cogantur [o]; quia aut erunt actus purus aut potentia pura aut composita ex utroque.

---

[a] B[3] *acceptam.* [b] B[7] *communis.* [c] B[3] om. [d] B[3] *divisionem est proprie in eis dare* pro *d. e. d. i. e.* [e] B[3] *est.* [f] B[3] om. [g] B[3] *est.* [h] B[7] add. *ad;* B[3] *materiam* pro *naturam.* [i] B[7] om. [k] B[3] *autem.* [l] B[3] om. [m] B[3] om. [n] B[3] add. *et* [o] B[3] *cogatur.*

Ex praemissis etiam sequitur quod erunt operantia et potentia [a] operari et tamen nihilominus ratione coguntur ponere contrarium; quia operationes et passiones, actus [b] et habitus non possunt esse nisi circa singularia et in singularibus; et e [c] contrario ubi est dare veritatem plenam et actualitatem formarum et materiarum, ibi est necessario dare potestatem agendi et patiendi.

Universale etiam hominum habebit corpus habens cor et cerebrum et ceteras partes cum perfecta organizatione et compositione partium sic ordinatarum [d] universaliter sicut in homine particulari particulariter; et illud corpus erit vere vegetatum, sensificatum, et [e] breviter, omnia habebit quaecunque corpori humano possunt attribui universaliter; unde habebit quantitates, continuitates, dilatationes, divisiones, diminutiones, aggregationes, rarefactiones, condensationes, asperitates, caliditates universales et breviter omnes corporales transmutationes et proprietates quorum particularia particulari corpori competere possunt; erit enim in huiusmodi universalibus compositio et aggregatio omnium praedicamentorum universaliter, sicut est in particularibus particulariter.

Erit etiam universale [f] ens simpliciter aut secundum quid, et quidem [g] ex praemissis [h] conditionibus sequitur quod sint entia perfectissima et [i] magis quam particularia, quanto maiorem ambitum essentiae et potentiae habent et quanto magis sunt abstracta a [k] conditionibus limitantibus et contrahentibus et ab omni mobilitate [l], motu et successione. Quaecunque etiam habent actum seu formam simpliciter et non secundum quid ipsa sunt simpliciter entia [m]. Sed universalia sunt huiusmodi, quia [n] tota ratio formae et totius [o] speciei et omnes definitiones entium ita perfecte et simpliciter conveniunt universalibus sicut et particularibus, immo principalius convenient eis et magis per se et primo.

Et ex iis et [p] praemissis sequitur quod sint per se entia et non in [q] alio, saltem universalia substantiarum;

---

[a] Al. m. mg. *e. p.* [b] Ita B^3, V *accidentia.* [c] Al. m. ex *ex.* B^3 *quia* pro *ubi.* [d] Ita B^3, V *ordinata.* [e] B^3 *corpus vere vegetativum et sensificativum* pro *c. e. v. v. s. e.* [f] Ita B^3, V om. [g] B^3 *quod.* [h] Ita B^3, V *primis.* [i] B^3 om. [k] Add. interl. al. m. [l] Ita B^7 B^3, V *nobilitate;* B^3 *et motu* pro *m. e.* [m] Ita B^7 B^3, V *essentia.* [n] B^7 B^3 *sed secundum positionem istam ipsa habent formam simpliciter et non secundum quid quod* pro *sed... quia.* [o] B^3 om. [p] B^3 add. *ex.* [q] Add. interl.

cum enim materiae non competat esse in alio et ipsa per se habeant materiam universalem sibi propriam, cum etiam non vere sint substantiae, nisi sint per se entia et cum habeant omnia quae exiguntur [a] ad per se existendum [b], scilicet formam et materiam: non erit [c] dare quare non sint per se entia. Ex quo etiam non potest eis competere esse in alio nisi forte illo modo essendi in quo superius est in [d] inferiori: ergo irrefragabiliter [e] sequetur quod secundum omnes alios modos habeant per se et in se existere et [f] ita quod vere habeant rationem suppositi; quia non omnis modus essendi in aufert hanc rationem per se existendi, quia non esse in loco, sed solum esse in alio sicut pars in toto aut sicut accidens in subiecto, et ad [g] minus non aufert [h] esse in alio sicut totum in parte, sed potius, ut [i] videtur, concludit [k], quia suppositum quodammodo se habet tanquam totum ad ea quorum est suppositum; quamvis et [l] iste modus essendi in realiter [m] nihil ponat, sicut infra tangetur.

Erit etiam ipsis individuis [n] substantiale aut [o] accidentale; alias se habebit ad ea sicut una substantia ab eis quantum ad esse et essentiam distincta et separata. Essentiale autem non potest esse, quin aliquo modo faciat ad constitutionem et complementum essentiae particularis; quod esse non potest [p], nisi esset particulare, quia particulare non constituitur nisi ex particularibus; et quomodocunque esset eis [q] essentiale, tunc individuum non haberet totam suam essentiam distinctam ab essentia universali nec omnia principia constituentia essentiam individui [r] essent distincta a principiis constituentibus [s] essentiam universalem. Accidentale autem esse non potest, quin amittat [t] rationem universalis; tum quia superiora essentialiter et in quid praedicantur de inferioribus nec possunt intelligi sine eis; et [u] quia accidens non habet maiorem ambitum [v] quam suum subiectum, unde non potest esse extra ipsum.

Erit etiam universale huiusmodi omnino idem cum suis individuis aut omnino diversum aut partim idem et partim

---

[a] B^3 *exigunt;* B^7 *ante* pro *ad.* [b] B^3 *existendi.* [c] B^3 *est.* [d] B^7 om.; B^3 add. *suo.* [e] B^7 *irrefraganter.* [f] B^3 om. [g] B^3 *suo subiecto ad* pro *s. e. a.* [h] B^7 add. *eam;* B^3 add. *ab eis.* [i] B^7 *non.* [k] B^3 *videtur concludere eam* pro *u. v. c.* [l] B^3 om. [m] B^3 *quo scilicet universalia dicuntur esse in individuis singularibus in re* pro *i. r.* [n] B^7 *potentiis* pro *i. i.* [o] B^3 *vel.* [p] B^3 *posset.* [q] B^2 add. *substantiale sive.* [r] In ras. [s] Ex *constituenbus.* [t] B^3 *admittat.* [u] B^3 *nec potest esse intelligi sine eis huiumodi* pro *nec... et.* [v] B^3 *habitum.*

diversum. Si autem est [a] omnino idem, tunc praedicta positio omnino [b] evacuatur. Si autem omnino [c] diversum, tunc universalia nihil facerent ad intellectum rerum individualium nec ad constitutionem earum [d] falsoque praedicabuntur de eis falsumque erit quod definitio hominis et huius hominis sit [e] eadem. Et tamen in dictis huius positionis includitur quod sint [f] omnino distinctae [g] aeque aut amplius quam accidens a subiecto aut quam essentia materiae ab essentia suae formae; ponit enim universalia habere [h] suam essentiam universalem et sua principia universalia [i] et essentiam individui singularem cum suis principiis; nec vult quod universalia intrent essentiam individui tanquam partes eius [k] constitutivae, immo potius quod ipsa causentur [l] et resultent ab ipsa [m] essentia individuali; et ita oportet quod distinguantur ab ea sicut effectus a sua causa. Ratio nihilominus ad hoc cogit quod si ponantur in actu, quod sint perfecte diversa a suis individuis; essentia enim et definitio aliqua habita universaliter et participata particulariter non est habita univoce sed analogice [n]; sic autem se haberet universale ad suum singulare quod haberet rationem suae definitionis universaliter et secundum suum totum [o] ambitum et primo et per se, particulare autem particulariter et non secundum totum eius ambitum et secundario. Si etiam universale [p] est similitudo resultans ab individuis, tunc [q] different [r] analogice, modo tamen contrario [s]; quia omnis similitudo resultans ab alio [t] participat rationem eius a quo resultat semiplene [u] et per posterius et omnino analogice, sicut alibi est ostensum. Et hoc vult Dionysius, libro *De divinis nominibus*, capitulo 2 [v] circa finem [1]. Et tamen posito quod essent univoca: oporteret quod haberent iterum aliquod universale commune utrique et superius ad utrumque et resultans ex eis. Si autem est partim idem et partim diversum, hoc non potest esse nisi tribus modis: aut quia habet [w] totam essentiam individualem et ultra hoc aliquid addit; aut quia non dicit totam essentiam individualem sed

---

[a] B[3] om. *a. e.* [b] B[3] om. [c] B[3] add. *est.* [d] Ita B[3], V *eorum.* [e] B[3] *sint.* [f] B[3] *sit.* [g] Ita B[3], V *distincta.* [h] B[3] om. [i] B[3] om. [k] B[3] om. [l] B[3] *causantur.* [m] B[3] om. [n] B[3] om. *quod sint... analogice.* [o] B[3] om. [p] B[3] *universaliter.* [q] B[3] add. *etiam.* [r] B[3] *differret.* [s] B[3] om. *m. t. c.* [t] B[3] *aliquo.* [u] Corr. [v] B[7] lacuna. [w] Ita B[7], V *quod,* om. *habet.*

---

[1] Cap. II, § 8 (PG 3, 646).

aliquam partem eius, nihil tamen addendo; aut quia est compositum ex aliqua parte essentiae individui et ex aliquo alio addito quod non est de essentia individui. Et quidem [a] quantum ad illud quod habebit intra se de essentia individui, sive totam sive partem eius, semper habebimus propositum; quantum vero ad illud aliud quod erit alienum ab essentia individui nihil faciet ad intellectum vel scientiam eius nec ad constitutionem nec secundum illud poterit de [b] eo praedicari; et tamen certum est quod universalia nihil addunt ad essentiam individui secundum modum intelligendi nostrum [c], sed per hoc solum distinguuntur ab individuo quod non includunt in sua ratione conditiones individuales; non est [d] etiam possibile [e] in eis intelligere compositionem huiusmodi, sicut faciliter multis viis potest ostendi.

Erit etiam universale simul unum et multa et etiam quodlibet individuum eius; erunt enim multi homines et multae humanitates in homine singulari et erit hic homo et praeter hoc erit homo; et secundum quodlibet istorum habebit aliam et aliam humanitatem et animalitatem et corporeitatem et aliam substantiam; homo etiam universalis habebit animalitatem partem sui, et ultra hoc erit aliud animal quod erit totum universale et ad ipsum et ad asinum; et fere omnia inconvenientia quae ostendit Aristoteles [1] sequi de universalibus seu ideis videntur sequi ad positionem istam.

Secundum etiam, scilicet quod universale sit compositum [f] ex principiis universalibus, ex prioribus divisionibus entis et specialiter ex illa de simplici et composito apparet esse inconveniens; et hoc ipsum posset ostendi ex divisione unius et multi.

Tertium autem, hoc scilicet quod universalia sint in particularibus, et hoc solo illo modo essendi in quo superiora dicuntur esse in inferioribus, licet ex praemissis satis apparere possit impossibile, nihilominus tamen sequitur quod infinitum erit in finito; et cum ratio universalis non sit maior in omnibus individuis simul acceptis quam in uno solo — ita enim per-

---

[a] B^7 *quod est.* [b] Add. interl. al. m. [c] B^7 om. [d] Al. m. in ras. [e] B^7 om. [f] B^7 add. *et.*

---

[1] *Metaph.*, I, 9 (per totum caput), 999a 33 sqq.; XIII, 4 (per totum fere caput), 1078b 31 sqq.

fecte est tota ratio hominis in homine isto sicut in omnibus simul, nihil enim additur ad rationem eius per hoc quod est in hoc et in illo, nec ambitus suae existentiae actualis qua actu existit in pluribus includitur in ratione eius, sed solum potestas existendi quam totam habet, ubicunque [a] sit —: oportet quod quicquid est eius contineatur perfecte et totaliter a quolibet individuo suo, ita quod sicut Deus totus est ubique, sic et ipsa sit [b] in suis individuis. Si etiam tota essentia universalis et totum quicquid est eius non esset in [c] hoc individuo, tunc aliquid de ipso universali deesset huic individuo; cum etiam universale de se sit abstractum ab hic et nunc, videtur quod non solum extendat se ad existendum in hoc vel in illo, sed [d] etiam erit in omnibus rebus; et ita humanitas esset in terra et in omnibus quae in terra sunt et in caelo et in omnibus caelestibus; licet enim possit dici quod non potest esse nisi in suis individuis nisi solum per accidens, quia alia loca non conveniunt ei nisi per sua individua: tamen qui considerat rationem universalis essentiae et naturae videbit ibi esse magnitudinem infinitam necessario attingentem omnia et impossibilem circumcludi a quocunque finito.

Item quomodo illud quod est in me potest omnino idem esse in uno [e] alio qui nullam habet ad me contiguationem? erit enim unum et idem universale ut existens in hoc omnino distinctum et separatum a se ipso existente [f] in alio; nullam enim rem ponimus posse esse in pluribus rebus aut [g] in pluribus partibus loci, nisi illa habeant inter se aliquam contiguationem aut aliquam coniunctionem contiguationi aequivalentem, sicut est in spiritualibus. — Item, omne quod vere est in aliquo oportet quod aliquo modo adhaereat [h] ei sive inhaerendo sive solum assistendo. Nullum autem istorum potest dari huic modo essendi in. Universale enim nulli parti sui individui assistit vel inhaeret et ita per consequens nec toti; non enim totum dicit ita aliud a suis partibus aut habet aliquam potentiam receptivam aliam a potentia partium quod aliquid possit ei [i] assistere vel inhaerere, ita quod nullo modo assistat vel inhaereat alicui partium suarum nec omnibus in simul aggregatis; universale enim hominis non poterit esse in manu vel in capite nec in anima nec in corpore nec in am-

---

[a] B[7] *ubicum.* [b] B[7] *sint.* [c] B[7] *esse.* [d] Al. m. mg. [e] B[7] *nullo.* [f] Al. m. ex *existe.* [g] B[7] om. [h] Al. m. mg., del. *habeat.* [i] B[7] om.

bobus insimul acceptis; quia tunc aut totum esset in corpore aut totum esset in anima aut una pars eius in corpore et alia in anima. — Si etiam universale non inhaeret suis inferioribus, sed solum assistit eis: tunc ipsum est vere in se ipso existens, ita perfecte habens existentiam substantialem distinctam a suo individuo sicut locatum a loco et etiam perfectius; quia ista saltem in recipiendo se mutuo aliquid patiuntur. — Item, illud quod nullo modo inhaeret alteri ut subiecto aut ut materiae aut saltem ut patienti habet necessario in se ipso existentiam absolutam.

Quartum autem, hoc scilicet quod universale sit similitudo suorum individuorum in qua sibi invicem assimilentur, aut [a] videtur nihil dictu aut impossibilia implicare. Secundum istos enim unum individuum non assimilatur alteri in sua essentia individuali nec secundum eam; ergo ex hoc solum sunt sibi similia, quia unum et idem universale est in eis; et hoc magis deberet dici identitas vere realis quam sunt sibi eadem in aliquo quod vere est in hoc et in illo idem numero eo modo saltem quo Deus dicitur esse in hoc et in illo idem numero. — Praeterea, cum res non assimilentur [b] sibi nisi in formis suis aut in materia, et [c] universale non sit forma nec materia individui nec aliquid inhaerens ei: non video quomodo in eo et per eum individua possint dici sibi similia. Non enim una creatura est alteri similis per hoc quia idem angelus vel Deus est in eis, nisi forte dicatur quod universale est forma universalis sui individui. Sed hoc nihil est dictu; sumitur enim hic nomen formae aequivoce, ita quod nomini formae in hoc loco nullum est dare intellectum proprium qui faciat ad propositum; non enim in materia universali erit vere forma informans et perficiens materiam particularem nec aliquod individuum erit vere materia informata a suo universali nec erit constitutum per ipsum in aliquo formali actu essendi. Et si esset, tunc ex ipso et suo universali constitueretur quaedam tertia natura, sicut vere constituitur ex materia et forma; tunc etiam universale vere inhaereret [d] individuo suo, sicut forma vere inhaeret materiae suae, et [e] adaequaretur eidem, sicut forma adaequatur suae materiae.

Item, quaecunque assimilantur sibi in tertio prius oportet quod ipsa assimilentur et sint similia illi tertio; alias

---

[a] B^{7} *ut.* [b] Ita B^{3}, V B^{7} *assimiletur.* [c] Al. m. mg. [d] B^{7} *inhaeret.* [e] Add. interl. al. m.

non sibi assimilantur in illo; ergo quodlibet individuorum erit simile suo universali et per eandem rationem erunt similia in tertio et sic in infinitum. — Item, si individua sunt sibi similia in suo universali, tunc posito quod per divinam virtutem impediatur quod ab individuis non generetur aliquod universale — quod, si est per resultationem ab eis, nullus sani intellectus negabit Deum posse hoc facere —: tunc, inquam, non essent individua eiusdem speciei sibi substantialiter similia nec eiusdem speciei, nec iste homo et ille posset tunc dici homo aut animal, ita quod homo simul et eodem modo de utroque praedicaretur. Cum etiam intellectus possit intelligere quodcunque sine illo a quo nullo modo dependet et sine illo quod non intrat essentiam eius: tunc intellectus posset intelligere omnia individua eiusdem speciei sine suis universalibus secundum suas proprias essentias individuales; et tunc secundum hanc intelligentiam non intelligeret ea sibi esse similia nec aliquam unam rationem intelligeret in eis; unde non intelligeret tunc unam rationem humanitatis in duobus hominibus. Quod unusquisque secum diligenter pertractans, sicut credo, inveniet esse falsum.

Quintum vero, hoc scilicet quod generetur a suis individuis et hoc resultando ex eis et[a] quod corrumpatur ipsis corruptis, ostendit consummationem omnis impossibilitatis et contradictionis. Omne enim quod de novo generatur et exit[b] in esse prius non erat et maxime quando ipsa essentia generatur, sicut est in iis quae generantur per resultationem. Homo igitur universalis non erat in alio homine, ex quo de novo est generatus ex isto homine. — Forte dicetur quod ex nullo individuorum suorum generatur simpliciter, sed solum generatur in hoc. Sed hoc nihil est, quia generatio principalius respicit ipsum genitum quam locum suae generationis seu quam alias circumstantias eius; quod enim secundum se non generatur nullo modo generatur in hoc; non enim additio huius quod dico « in hoc » est additio distrahens vel diminuens a veritate generationis. Si etiam ipsum universale secundum se non generatur: tunc ipsum dici « generari in hoc » non erit aliud nisi quod adgeneratur sibi haec conditio quae est in hoc aut quia ipsum individuum efficitur sibi de novo praesens; per nullum autem istorum posset dici resultare a suis individuis nec esse similitudo eorum. Et idem sequitur de

---

(a) Ita B⁷ V om. (b) B⁷ *exigit.*

corruptione, contrario tamen modo; quia quod [a] corruptum est et maxime secundum essentiam suam ipsum est vere non ens; et ita corrupto uno homine annihilaretur simpliciter totus universalis homo.

Item, nullus effectus potest esse latioris ambitus et altioris quam sua causa, maxime illi qui secundum essentiam et esse sunt a sua causa, sicut sunt similitudines resultantes. Ex particulari igitur non resultabit nisi similitudo particularis. — Item, omnis similitudo resultans est aliqua forma facta in certo patiente et subiecto [b]; non enim aliquid potest fieri ab agente creato nisi in certo patiente et subiecto. Erit ergo materia universalis, et omne universale vere forma, vere inhaerens et informans patiens in quo est recepta et illi patienti erit accidentalis, quia nulla forma substantialis potest exire per resultationem ab agente creato, sicut alibi est probatum, quamvis sit similitudo formae substantialis; quia per illam non poterit subsistere in actu subiectum eam recipiens. — Item, illud a quo resultat similitudo est vere causa efficiens eius; et ita materia erit causa efficiens suae similitudinis. — Item, impossibile est quod ab agente creato generetur substantia secundum materiam suam et formam et hoc non [c] de aliquo; hoc enim esset vere creatio, sicut alibi est probatum. Secundum hoc autem ex individuis generabuntur substantiae universales tam secundum materiam suam quam secundum formam et non de aliquo materiali. — Item, nullum agens, in quantum agens, est patiens; sed totum individuum secundum omne quod habet particulare est generans universalia; ergo non poterunt esse in ipso, saltem in quantum ex eo resultant. — Item, impossibile est unum et idem secundum totam suam essentiam generari uno et eodem modo [d] et immediate a pluribus causis non sibi invicem coordinatis nec in eodem tempore existentibus; sed secundum hoc tota essentia universalium generabitur uno et eodem modo et immediate a quolibet suorum individuorum etiam non simul existentium.

Item, nulla essentia creata potest habere plures substantificationes nec plura esse et ita nec plura supposita; secundum hoc autem una et eadem essentia universalis hoc habebit, quia in quolibet individuorum suorum habebit aliud

---

[a] B^7 om. [b] Ita B^7, V om. *e. s.* [c] Ita B^6, V add. *est.* [d] B^7 om.

esse et aliam substantificationem et [a] aliud suppositum. — Item, nullum agens creatum secundum unam et eamdem virtutem potest agere duos effectus immediatos omnino diversorum generum; sed secundum [b] hoc eadem lux et idem calor et quaelibet virtus activa particularis habebit effectus immediatos diversorum generum, scilicet similitudinem universalem et similitudinem [c] particularem per quam movent res particulares. — Item, nihil generat aliquid secundum illud quod est sibi dissimile et quasi oppositum; ergo [d] individualis essentia non generabit universalitatem secundum aliquid individuale. — Item, individuum magis est distinctum ab alio individuo quam idem seu simile; ergo magis debet generare dissimile quam simile; et cum per suam essentiam singularem nullo modo sit simile alteri individuo secundum istos: tunc secundum eam potius debebit generare universale dissimile quam simile. — Item, sicut ab isto et illo homine resultabit species, scilicet homo universalis: ita a specie hominis et asini resultabit genus, scilicet universale animal et ab illo suum genus et sic usque ad supremum; et ita Sortes erit homo per humanitatem individualem et ultra hoc erit homo universalis per humanitatem universalem et habebit intra se tres animalitates, scilicet individualem et animalitatem quae est pars hominis universalis et animalitatem quae resultabit ab homine universali, et habebit tot substantias quot sunt genera et species in praedicamento substantiae. — Haec et [e] alia inconvenientia videntur implicari in hac positione; quae si vere implicantur, haec positio non solum est falsa, sed et omnium principiorum metaphysicalium fere destructiva et naturalium et multa implicans fidei catholicae contraria.

Secunda etiam positio consimilia implicare videtur. Si enim universalia extra sua [f] individua habent aliquod esse secundum quod et fuerunt antea et manent postea: secundum hoc esse nihil sunt de essentia individuorum nec praedicantur de eis nec aliquid valent ad cognitionem et constitutionem eorum, immo erunt omnino aliae essentiae nihil spectantes ad ista individua nec cum eis aliquam univocationem habentia nec aliquo modo aliquid quod sit in [g] individuis poterit esse idem cum illis universalibus quae sunt extra individua in illo esse habitudinali. —

---

[a] Ita B^7, V *ad*. [b] B^7 om. [c] Al. m. mg. *u. e. s.* [d] Ita B^7, V add. marg. *in*. [e] Al. m. in ras. *h. e.* [f] Al. m. corr. in ras. [g] B^7 om.

Illud etiam esse habitudinale aut est aliquid creatum aut non et aut fundatur in aliquo ente creato aut non et aut sunt de illa potentia seu de illo esse habitudinali educibilia in actum aut non et aut sunt infinita et aeterna aut non: et quamcunque partem divisionum istarum concesseris, inconvenientia magna sequuntur [a], sicut pertractanti faciliter patere potest. Et idem est [b] de aliis divisionibus superius nominatis. — Si etiam non sunt in actu, sed solum in potentia, tunc per tale esse non poterit veraciter dici homo esse animal omnibus individuis destructis, sed tantum hominem posse esse animal; et tamen [c] ratio huius positionis potissima fuit verificatio propositionum necessariarum, ut istius « homo est animal » et consimilium quae videntur esse verae omnibus individuis destructis sicut et ipsis existentibus et verificatio habitudinum generis ad speciem et superiorum ad inferiora super quibus fundantur consequentiae scientiae. Et tamen si ipsa non sunt actu, sed solum in potentia [d]: tunc nec habitudines eorum et consequentiae erunt actu, sed solum in potentia, nec propter talem existentiam poterunt esse causa et materia scientiarum in actu, sed solum in potentia: Et si propter hoc esse essent verae propositiones praedictae et habitudines, si Deus destrueret illud esse aut si non creasset — quod nullus catholicus nec sani intellectus negabit Deum posse —: tunc non essent verae [e] huiusmodi propositiones et habitudines nec intellectus earum. Cum etiam Deus posset facere individua non faciendo universalia in illo esse potentiali: tunc de individuis nulla talis praedicatio nec habitudo nec scientia esset vera, quamvis rationes ipsae quantum valeant in respondendo ad articula tangetur. Responsiones autem quae contra istam positionem [f] possunt fieri non amplius pertracto, quia ex [g] rationibus factis ad alteram positionem potest patere via et modus deductionis earum.

Tertium igitur modum tanquam saniorem et magis catholicum concedo et quia conditiones eius ex responsione argumentorum patere possunt: ideo breviter respondendum ad argumenta.

(a) Ita B^7, V *sequatur*. (b) Ita B^3, V B^7 om. (c) B^7 om.
(d) Ex *in potentia solum*. (e) Al. m. mg. (f) B^7 *potentiam*.
(g) Sequitur lac.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum igitur dicendum quod prima propositio est falsa. Non enim aliqua sibi assimilantur in aliquo tertio, nisi (a) illud tertium accipias secundum intellectum tantum aut per (b) modum exemplaris eo modo quo omnia ideata ab eadem idea possunt dici sibi esse similia in illa. — Quod autem dicitur post, quod individua non sunt sibi similia in natura propria: si sit sensus quod non assimilantur sibi in ea tanquam in alio tertio communiter ab eis participata, vera est. Sed similitudo non exigit tale tertium, immo potius contrarium. Unde individua possunt dici sibi similia in natura propria, quia natura propria (c) unius est talis qualis alterius, et amplius non exigitur ad rationem similitudinis; non enim exigitur quod similia participent aliquid idem secundum rem, sed quod unum participet vel sit tale (d) quale alterum est aut quale participat. Illud ergo in quo sunt similia potest et debet esse distinctum realiter in eis, sed tamen non difforme seu dissimile, sed (e) uniforme et simile. — Quodsi dicatur quod omne simile est simile alteri per aliquid quod participat et ita, si essentia unius est similis alteri, aliquid participat in quo est ei similis et sic in infinitum, si illud per quod sunt similia non debet esse idem in utroque secundum rem, sed (f) solum simile: dicendum quod non omne simile est simile per aliquid participatum, immo omnes formae sibi similes sunt sibi similes per se ipsas. Quod ex hoc apparet: quia ipsis solis intellectis, ita quod nihil (g) aliud ab intellectu apprehendatur, intelligentur sibi esse similes et uniformes; et omni alia similitudine seu essentia ab eis divina virtute vel per intellectum amota seu circumscripta, adhuc essent sibi similes et secundum rem et secundum intellectum et eiusdem speciei.

Ad secundum dicendum quod quando res intelliguntur esse universales secundum modum intelligendi solum, res non intelliguntur aliter quam sint; sed bene intelligerentur aliter quam sint, si intelligerentur habere universalitatem, prout sunt extra intellectum; hoc autem intellectus non facit. Ut autem hoc clarius eluceat, sciendum quod intellectus non solum potest distinguere inter ea quae sunt

---

(a) Ita B^7, V add. *per*. (b) Add. interl. *a. p.* (c) Al. m. mg. *q. n. p.* (d) B^7 om. (e) B^7 *seu*. (f) B^7 om. (g) Al. m. mg.

subiecto, tempore et loco distincta, sed et inter ea quae sunt inseparabilia, et non solum inter ista, sed etiam inter duas rationes quae in re nullam habent distinctionem, licet utraque veraciter sit in re; sicut in Deo distinguit rationem intellectus a ratione voluntatis et in Patre (a) rationem productivam Filii a ratione productiva Spiritus Sancti. Sive igitur individuatio et individuantia sint inseparabilia ab essentia individuata, sive omnino sint eadem, diversas tamen rationes eiusdem rei dicentia: intellectus poterit distinguere inter rationem essentiae et inter rationem individuationis suae; non quod intelligat unum esse sine altero aut posse esse, sed per hoc quod intelliget unum non esse aliud aut unam rationem non esse aliam, licet sint eadem res, et per hoc quod intelliget unum non intelligendo aliud. Inter diversas enim rationes, quamvis sint idem secundum rem, potest cadere ordo secundum intellectum, sicut inter (b) rationem entis et substantiae et sicut in Deo inter rationem intellectus et voluntatis; unum enim cadit prius in intellectu quam reliquum, quia voluntas intelligitur se habere per additionem ad intellectum et per posterius; et talium primum potest intelligi ab intellectu absque hoc quod aliud apprehendatur. Sic autem se habet ratio individuationis ad rationem essentiae, sive sit eadem realiter cum ea sive differens. Et ideo ratio essentiae potest intelligi absolute non cointelligendo suam individuationem nec cointelligendo aliquem respectum eius ad hoc individuum vel ad hic et nunc. Et in tali ratione sic intellecta intellectus non apprehendit aliquam distinctionem et ideo, cum pluribus attribuit eam secundum hunc modum intelligendi, videtur unum et idem attributum esse pluribus, licet bene videat intellectus quod non propter hoc aliquid unum secundum (c) rem et veritatem est attributum pluribus. Et ideo vere potest eam dicere ut unam et indifferentem, in quantum est sic intellecta, et unitate tali quae non est aliud quam privatio distinctionis et individuationis in apprehensione eius seu privatio distinctionis et individuationis in ipsa respectu talis actus et talis modi intelligendi; intelligitur enim non (d) cointellecta distinctione et individuatione quam habet in re (e). Dicere autem eam sic unam et dicere eam universalem idem sunt omnino. Ex hoc autem non sequitur quod res secundum veritatem sit uni-

---

(a) Al. m. mg., del. *pe.* (b) Al. m. mg. (c) Add. interl. al. m. (d) In mg. (e) B^{1} *se.*

versalis aut quod intellectus intelligat eam realiter esse universalem, sed solum quod intelligat eam [a] esse universalem, prout est sic intellecta et prout est intellectui tali modo obiecta. Unde etiam ex hoc non sequetur quod in intellectu sit aliqua vera universalitas, sed solum quod aliquid repraesentetur quasi universale [b] ab actu et specie intellectuali quasi universale et hoc modo dicto.

Ad tertium dicendum quod aliud est dicere quod humanitati et consimilibus conveniat secundum rationem suam non differre in pluribus et aliud quod per eam non convenit ei differre in pluribus; sicut quamvis per humanitatem non conveniat mihi esse album, non tamen propter hoc per humanitatem convenit mihi non esse album aut esse non album [c]; quia si sic, tunc nunquam posset aliquis homo esse albus. Minor igitur praedictae rationis est falsa, nisi forte dicatur quod convenit ei non differre, prout est sic intellecta. Non est etiam verum quod una et eadem ratio humanitatis secundum rem sit in hoc et in illo, sed solum secundum intellectum, et hoc non nisi modo praedicto. — Quod autem supposui quod secundum talem rationem non conveniat sibi differre, non ex hoc praeiudicatur illi opinioni quae vult rationem individuationis omnino esse idem realiter cum illa, quia tunc diversis viis potest utrumque verificari, quod scilicet secundum se non conveniat sibi differre et quod secundum se conveniat ei; sicut et utraque istarum diversis rationibus vera est, ista scilicet « intelligere Dei, in quantum intelligere, est suum amare » et eius opposita, haec scilicet, « intelligere Dei, in quantum intelligere, non est suum amare » [d], sicut alibi est ostensum. Posito etiam quod secundum se non conveniat ei differre, non propter hoc sequitur quod ipsa non sit vere differens, sed solum quod differentia quam habet non convenit ei per talem rationem, sed si convenit ei, convenit ei per aliam.

Ad quartum dicendum quod sicut intellectus distinguit inter duas rationes quae secundum rem non habent inter se diversitatem realem seu essentialem et sicut duae tales rationes possunt habere inter se ordinem prioritatis et posterioritatis per respectum ad intellectum quem non habent in re: ita et possunt ex tali modo intelligendi consimiles praedicationes, consequentiae et habitudines formari.

---

[a] Ita B^7, V om. [b] Ita B^7, V om. [c] B^7 om. *a. e. n. a.* [d] B^7 om. *et eius... amare.*

Unde in Deo secundum modum intelligendi non sequitur « est ens, ergo est sapiens », sicut sequitur « est sapiens, ergo est ens »; ratio enim sapientiae se habet ad rationem entis per modum addentis et contrahentis et ita per modum inferioris et posterioris. In nobis etiam nullus sani intellectus dicet quod sapientia secundum rem addat aliquid ad rationem essentiae (a), quia sic in ea esset compositio essentiae et sapientiae et in illo etiam quod adderetur; quia ipsum haberet rationem essentiae et ultra hoc rationem specialis essentiae, utpote talis vel talis, et sic esset processus in infinitum. Et idem est in omnibus aliis accidentibus et rebus. Et tamen intellectus intelligit rationem sapientiae et cuiuslibet specialis essentiae se habere per modum additionis inferioris et posterioris ad rationem essentiae communiter et absolute acceptae. Unde non (b) sequitur, « istud est essentia, ergo est sapientia », et sic de aliis. Quamvis igitur in re non sint tales habitudines, est tamen ibi aliquid unde intellectus potest eas formare et intelligere; quia in re est pluralitas rationum quae etsi secundum se non habeant differentiam neque ordinem et ita nec realem habitudinem, habent tamen per respectum ad intellectum, hoc est dictu: etsi in se non habeant, aptae natae sunt sic intelligi, in tali scilicet habitudine et in tali ordine. Sunt igitur in rebus tales habitudines, ad minus secundum aptitudinem intelligibilitatis; quamvis aliquando, ubi est realis diversitas, sint secundum veritatem et plenam actualitatem. Non igitur erit in talibus nugatio, quia nugatio non fit ex identitate significati realis, sed ex identitate rationis significatae; alias omnes praedicationes de Deo factae essent nugatoriae. Sortes autem et Sortes non solum habent idem significatum secundum rem, sed etiam secundum rationem, quod non habent Sortes et homo. Non etiam erit ibi habitudo convertibilitatis secundum modum intelligendi et secundum aptitudinem intelligibilitatis, quamquam, prout sunt in re, essent omnino idem et convertibilia, sicut ex supradictis patet; et ideo non oportet quod cessent loci et habitudines inferiorum ad superiora et e contrario.

Et per hoc patet ad septimum. Licet enim cum dico « Sortes est homo », praedicem omnino idem secundum rem, non tamen omnino idem secundum rationem; et ideo non oportet quod eadem sit praedicatio « Sortes est homo » et

---

(a) B^7 om. (b) B^7 om.

« Sortes est hic homo », quia praedicatio plus respicit rationem quam realem identitatem; et quamquam esset eadem praedicatio, quantum ad rem, nihilominus tamen esset diversa secundum rationem. Si autem individuatio non realiter differt ab essentia individuata, tunc facilius patet quod dicitur.

Ad quintum dicendum quod si noster intellectus potest distinguere et distincte apprehendere diversas rationes in una simplici essentia per omnimodam indifferentiam comprehensas, multo magis hoc potest divinus intellectus; et ideo alia potest esse idea hominis et huius hominis, ita tamen quod non intelligas eas sic distinctas sicut ideam hominis et lapidis. Sed sicut in intellectu nostro [a] ratio sapientiae se habet per additionem ad rationem entis seu essentiae: sic idea huius hominis ad ideam hominis; addit enim ad [b] ideam hominis rationem individuationis per quam iste homo et iste. Et ideo una est idea hominis et omnium hominum, in quantum homo; alia tamen et alia ipsorum, in quantum isti et individui, quamquam non totaliter alia et alia, sed solum quantum ad rationes individuationum additas ad rationem hominis. Nec intelligo per hoc quod in Deo sit alietas idearum secundum rem, sed solum eo modo quo [c] in eo ratio sapientiae dicitur alia a ratione amoris. — Ad id etiam quod dicitur quod in ideis non ponitur diversitas nisi ratione diversitatis convocatorum seu ideatorum: si loquaris de diversitate reali, non est verum; quia res antequam essent, nullam habebant [d] diversitatem realem, nec divinum intelligere et velle haberent diversas rationes respectu eiusdem obiecti creati. Sufficit igitur in ideatis diversitas intelligibilis et diversitas rationis ad alietatem idearum, quia etiam in nobis ad diversificationem habituum et potentiarum sufficit frequenter diversitas solius rationis obiectivae; sicut apparet, quando intelligimus et amamus Deum, cum in obiecto divino nulla sit diversitas realis.

Et per hoc patet ad sextum.

Ad octavum dicendum quod eo modo quo universale dicitur esse unum in pluribus dicitur esse [e] ubique et semper, quia accipitur ab intellectu ratio eius, non cointellecta individuatione [f] nec conditionibus individualibus quae sunt hic et nunc. Et ideo ipsum, in quantum est sic intellectum,

---

([a]) B[7] *ad intellectum nostrum* pro *i. i. n.* ([b]) Al. m. mg., del. *ad.* ([c]) Ita B[7], V *quod.* ([d]) B[7] *habeant.* ([e]) B[7] om. ([f]) Sequitur ras.

intelligitur ut potens esse ubique et semper, non tamen propter hoc intelligitur [a] quod ita sit secundum rem. Potest autem de eis esse scientia, quamvis non sit actu; quia ad existentiam scientiae non exigitur necessario quod ipsum scitum sit actu; alias Deus non habuisset scientiam rerum, antequam essent, nec multarum quae nunquam erunt nec fuerunt. Sed sufficit quod ipsa scita sint repraesentabilia a scientia per modum entis. Non tamen simpliciter concedo quod de eis solum sit scientia.

Ad nonum dicendum quod Aristoteles in praedicamentis sicut et in omnibus logicalibus multa tradit modo logicali et intentionali seu secundum modum intelligendi et loquendi plus quam modo reali et metaphysicali. Et secundum hunc modum conveniens est distinctio primae substantiae et secundae; quia secunda fundamentum intelligibilitatis habet in re, complementum in intelligentis intentione, sicut est divisio entis in universale et particulare. Et ideo neutra earum est fictitia, immo vera quantum ad modum secundum quem datur.

Ad decimum dicendum quod argumentum hoc fere tantum est contra illos qui ponunt quod individuatio addat ad essentiam speciei individuatam quam [b] contra illos qui ponunt quod nihil addat realiter differens; quia illi qui ponunt quod addat non ponunt quod addat tale quod possit esse causa omnium accidentium communium, quia cum accidentia communia in pluribus individuis et diversarum specierum inveniantur, oportet quod in eis habeant causam communem seu eiusdem rationis. Materia etiam per hoc quod est haec et individua non potest poni causa [c] essentiae specificae seu quidditatis accidentium communium, etiam posito quod hoc posset esse, in quantum materia. Dicendum igitur quod propriae passiones quae sunt in hoc individuo sunt individuales, sicut et accidentia communia quae sunt in eo; et ideo oportet utramque habere causas individuas quas credo esse diversas naturas formales et diversos informandi modos. Accidentia autem quae vere sunt communia oriuntur, ut credo, a vario informandi modo, propria vero ab ipsis naturis formalibus; quamvis omnia accidentia quae respectu aliquorum subiectorum sunt communia respectu aliquorum aliorum fortassis sint propria, ut album respectu hominis vel animalis est commune, respectu alicuius

---

[a] Al. m. in ras. [b] B[7] *quantum*. [c] Al. m. mg., del. *eam*.

complexionis seu mixtionis elementalis [a] fortassis est proprium. Nec tamen dico quod sit necesse quod diversae passiones sint a diversis naturis, quia hoc aliquibus non placet. Sed hoc habet alibi discuti; non enim est contra propositum, sive sic sit sive sic.

Ad undecimum dicendum quod non credo quod Aristoteles velit [b] dicere quod universalium sint principia universalia nisi eo modo quo esse ponuntur. Unde voluit dicere quod sicut accipimus naturas sensibilium aliquando universaliter, aliquando particulariter: sic proportionaliter debemus accipere principia eorum; quia non minoris latitudinis sunt in rebus principia eorum quam res ab eis constitutae et ideo non minoris ambitus debent esse quantum ad intellectum.

Ad duodecimum dicendum quod universalia secundum quod sunt in intellectu pro tanto exeunt a particularibus, quia ab eis fit ista abstractio; alias autem falsum est quod per ea exeant in esse nec per aliquid aliud. — Quod autem dicitur quod per se sunt ingenerabilia et incorruptibilia: eo modo est intelligendum et non aliter quo et dicuntur ubique esse et semper. — Quando autem dixit Aristoteles quod non generatur homo, nisi quia generatur hic homo: non fuit eius intentio quod generatio hominis esset alia a generatione huius hominis [c] vel quod posterior esset illa aut causata [d] ab ea; sed hoc solum intendit quod non est aliud dictu secundum rem generari hominem quam generari hunc hominem. Non enim secundum eum generatur homo universalis, sed solum homo particularis. Generari autem hunc hominem est vere generari [e] hominem, quia hic homo vere est homo, sicut et vere est hic seu iste. — Quod autem dicit Aristoteles quod moventibus nobis moventur ea quae in nobis sunt: non ex hoc supponit universalia esse. Sed posito quod essent, sicut Plato ponebat [1], adhuc mobilia essent. Quod erat contra opinionem Platonis. Aliquando enim Aristoteles [2] arguit simpliciter contra propositionem universalium, aliquando vero ex datis a tenentibus positionem illam; et hic modus est eius alibi frequens. — Ad illud autem quod pro forti ratione assumitur [f] de veritate propositionum necessariarum quae

[a] Ita B[7], V *elementariis.* [b] B[7] *volunt.* [c] Ex *hominis huius.* [d] B[7] *creata.* [e] Ex *generairi.* [f] B[7] *accipitur.*

[1] *Phaedon.*, 65 D, 78 D, 100 B sqq.; *Symp.*, 211 A sqq.; *Resp.* 596 A, 597 A. [2] *Metaph.*, I, 9, 990a 33 sqq.; XIII, 4, 1078b 7 sqq.

sic semper sunt verae quod non possunt non esse verae, ut homo est animal et consimiles, et cum in eis praedicetur aliqua existentia praedicati in subiecto et aliqua habitudo quodam modo actualis oportet, ut videtur, ad hoc quod sint verae quod subsit veritas huiusmodi existentiae et habitudinis in re: sed ad hoc, inquam, dicendum quod si haec ratio bona esset, non solum sequeretur quod universalia et habitudines et existentiae eorum essent in potentia, sed quod essent verae in actu, sicut supra fuit tactum. Dicendum igitur quod istae propositiones eo modo quo semper verae dicuntur aut non praedicant actualem inhaerentiam seu cohaerentiam vel concomitantiam aut praedicant eam cum praesuppositione existentiae subiecti, ita quod secundum primum modum est sensus « homo est animal », id est, homo non potest esse quin animal sit et quin ipsum sit animal; secundum vero alium modum sensus est « homo est animal », id est, posito quod homo sit seu si homo est, ipse vere est animal. Et hoc sufficit ad significandum mutuam identitatem et inseparabilitatis necessitatem quam habent in rebus, quando sunt actu aut sine qua. nunquam esse possunt in actu vel in re. Uterque autem istorum modorum in idem redit. Propositiones autem huiusmodi non sunt verae, nisi quando sunt; sed ideo dicuntur semper verae, quod nunquam possunt concipi vel formari, quin tunc sint verae. Ad earum tamen veritatem non exigitur quod aliqua veritas realis sit in re, sicut nec ad veritatem intellectus, sicut alibi est ostensum. — Si autem aliquis [a] vellet omnino quod istae propositiones aliter quam secundum dictos modos significent [b] existentiam praedicati de subiecto [c], ipse exprimat, si potest, quis est ille modus et sub qua divisione entis cadat et quomodo se habeat ad res particulares. Nescio enim quid sit dictu quod homo in esse essentiae sit animal nec cuiusmodi homo sit ille et cuiusmodi animal aut quomodo esse animal [d] non concludit esse simpliciter plus quam esse album, nisi sumantur propositiones modis praedictis. Sequitur enim: homo est albus, ergo homo est; ex propositionibus tamen illis secundum modum accipiendi communem non sequitur: homo est animal, ergo homo est; et tamen si simpliciter fiat huiusmodi praedicatio, simpliciter sequitur et perfecte.

---

[a] Ita B^7, V *aliquid*. [b] Ex *significant*. [c] B^7 *substantia; ipse* ex *ipso*. [d] B^7 om. *a. q. e. a.*

QUAESTIO XIV.

Octavo [a] iuxta hoc quaeritur an unitas addat aliquid ad ens et maxime an [b] aliquid accidentale; et gratia huius quaeratur idem de veritate et bonitate.

Et quod addatur videtur.

1. Partes accidentium sunt accidentia, quia nullum accidens potest constitui nisi ex accidentibus; sed numerus et omnis quantitas discreta est accidens; omnis autem unitas est pars constitutiva numeri, quia omnis unitas cum alia unitate constituit dualitatem et cum duabus ternarium et sic deinceps per ordinem; ergo omnis unitas est accidens.

2. Item, quod sequitur ad aliud et non intrat rationem ipsius videtur esse accidens eius; sed unitas sequitur ens et non intrat rationem eius; ergo est accidens.

3. Item, ens est commune unitati et multitudini, quoniam dividitur in unum et multa, et multitudo opponitur unitati quae non opponitur enti; sed hoc non potest esse, si nihil addit ad ens; ergo et cetera.

4. Item, si unitas nihil addit ad ens, ergo idem significabitur per utrumque, et tunc idem erit dicere « ens est unum » quod « ens est ens », et ita est [c] sermo nugatorius. Tunc etiam ita potero significare per modum inhaerentiae et adiacentiae ens de unitate, sicut et unitatem de ente; sed haec sunt falsa; ergo et cetera.

5. Item, per solam divisionem continui unum efficitur multa et e contrario multa unum per solam continuationem; sed continuum est accidens et eius divisio; ergo id [d] quod ab eis est factum et constitutum.

6. Item, si unum nihil addit ad ens, tunc optime sequitur: « tantum ens est, ergo tantum unum est »; sed hoc est falsum; ergo et primum.

7. Quod etiam veritas et bonitas addant aliquid ad ens, etiam accidentale, videtur: quoniam ens secundum solam

---

[a] B[7] *septimo*. [b] Sequitur ras. [c] Ita B[7], V om. [d] B[7] *ad*.

opinionem et apparentiam cadit sub ente, dividitur enim ens in ens [a] secundum rem et secundum opinionem: sed ens secundum opinionem non cadit sub vero, sed ei opponitur; ergo et cetera.

8. Item, enti nihil opponitur nisi contradictorie, falsum autem opponitur vero aut privative aut contrarie quarum utraque non videtur esse nisi inter accidentia; ergo et cetera. Ens etiam secundum opinionem quod opponitur enti vero, est accidens: accidens autem non potest opponi [b] nisi accidenti: ergo et cetera. Et idem potest argui de bono ex oppositione mali ad ipsum.

9. Item, nullum ens videtur referri ad aliud secundum suam substantiam, cum substantia uniuscuiusque sit ens absolutum; sed secundum veritatem et bonitatem referuntur entia ad intellectum et appetitum divinum et creatum: ergo et cetera.

10. Item, Boethius dicit, libro *De hebdomadibus* [1], quod si per impossibile intelligeremus Deum esse non bonum, tunc entia quidem essent entia colorata et quanta, non tamen essent bona: sed hoc est impossibile si bonum nihil addit ad ens et si id quod addit non est accidentale; ergo et cetera.

1. Contra: Ens comprehendit directe omnia quae cadunt infra ens; haec est enim una de causis quare ens non potest esse genus, quia nihil potest addere ad ens, sicut differentia addit ad genus: ergo nec ista aliquid addent.

2. Item, si aliquid addunt, illud additum oportet quod sit aliqua essentia, alias est nihil: et oportet quod per se sit ens, alias est per se non ens: et tunc eadem ratione addent ad essentiam suam rationem unitatis, bonitatis, veritatis et ad ens quod sunt et sic in infinitum.

3. Item, nobiliori enti et essentiae videntur nobiliores conditiones entitatis magis per se inesse; sed rationes unitatis et aliae sunt nobilissimae conditiones entis: ergo videtur quod magis per se inhaerent [c] substantiae quam accidenti: sed si istae conditiones dicunt aliquid accidentale, illi accidenti magis per se inerunt [d] istae conditiones quam suo

---

[a] Al. m. mg. [b] B[7] *poni*. [c] B[7] *inhaereant*, om. *per se*; V *inhabent*. [d] Ita B[7], V *inhabent*.

---

[1] *Quom. substantiae bonae sint* (PL 64, 1313 sq.).

subiecto et habebunt huiusmodi accidentia principalius unitatem, veritatem, bonitatem quam ipsae substantiae.

4. Item, omne subiectum prius est naturaliter quam suum accidens, quoniam accidens originatur ab eo et dependet ab eo quantum ad esse et non e contrario; si ergo ista addunt aliquid accidentale: ergo omnia illa quorum sunt et quibus addunt prius naturaliter erunt actu quam sint una, vera et bona.

5. Item, forma in quantum forma habet rationem perfectivi, unitivi (a) et constitutivi; non (b) enim per aliud quam per formam substantialem perficitur materia, nec per aliud constituitur ens in veritate suae speciei, nec per aliud (c) materia unitur quam per ipsam; sed bonum et ratio perfectivi idem sunt et sic de aliis.

6. Item, omnis effectus immediatus est similitudo suae causae per analogiam ad ipsam (d) se habens; participat enim analogice rationem suae essentiae; si ergo unum, verum et bonum sunt accidentia aut alia quaecunque originata ab ente, ergo erunt similitudo analoga ipsius; et ita ipsum habebit unitatem, veritatem et bonitatem causativas istorum et nobiliores quam ista.

7. Item, solum illud quod per se recipit aliquas formas per se informatur ab eis et solum per se denominatur ab eis; si ergo ista sunt accidentia seu qualitercunque aliquid (e) addentia, solum per se informabunt et denominabunt illud in quo per se recipientur; sed materia est solum per se receptiva formarum; forma enim non est receptiva vel passiva per se, formae enim non est forma; ergo materia esset solum per se (f) una, vera et bona, formae autem omnino per accidens.

8. Item, cum in corporalibus et extensis non sit dare formam sine extensione, unitas et veritas et bonitas corporum essent secundum hoc quaedam formae aut quaedam accidentia extensa.

9. Item, veritas est per se et primum obiectum intellectus et bonitas appetitus; sed entitas et quidditas entium est primum intelligibile et primum quod cadit in apprehensione, et esse est primum diligibile; ergo et cetera.

10. Item, ratio bonitatis, in quantum est distincta a veritate, apprehenditur ab intellectu, et unitas eodem modo;

(a) Al. m. mg. (b) B^7 *natura.* (c) Ita B^7, V *alius.* (d) Ita B^7, V *ipsum.* (e) B^7 *ad.* (f) B^7 *materia solum per se esset* pro *m. e. s. p. s.*

quoniam intellectus apprehendit distinctionem earum [a]; appetitus etiam diligit ipsam rationem unitatis et veritatis [b], secundum quod distincte sibi praesentantur ab intellectu; immo et duae potentiae attingunt per se ad totum ens et ad omnes rationes entis [c]; ergo una ratio penitus videtur esse idem quod altera. — Ad hoc etiam facit quod communiter dicitur quod illud est per se obiectum potentiarum quod per se movet eas [d]; ergo illud quod per se generat speciem in intellectu et per se movet affectum erit in quantum tale veritas et bonitas; sed hoc potest omnis substantia et essentia per hoc quod est substantia vel [e] essentia; ergo et cetera.

11. Item, Augustinus, libro *Soliloquiorum*, definiens veritatem dicit [1] quod « veritas est id quod est »; sed definitio et definitum seu ratio et id cuius est ratio [f] penitus sunt idem; ergo et cetera.

12. Item, Augustinus, in *Enchiridion*, [2] et libro *De libero arbitrio* [3], et pluribus aliis locis [4], volens ostendere contra errorem Manichaeorum qui dicunt aliquod ens totaliter esse malum quod ipsum ens seu esse est per se bonum et [g] per se diligibile, ita quod malum eo ipso quod [h] dicit privationem boni dicit privationem ipsius esse, dicit in eisdem [i] libris quod entia, in quantum sunt, bona sunt [k] et quod, eo quo sunt, bona sunt. Et Dionysius, IV *De divinis nominibus*, ubi et vult [5] quod bonum et lumen intelligibile et pulchrum sint idem et quod bonitas sit ratio aliquo modo communior ente et comprehendens omnes participationes divinas quae sunt in entibus; ergo et cetera.

[Respondeo]

Circa quaestionem istam sunt variae opiniones, sicut circa illam de individuatione. Quidam enim volunt quod unum addat aliquid essentiale; quidam quod

---

[a] B^7 *eorum*. [b] Al. m. mg. *e. v.* [c] Al. m. mg., del. *eius*. [d] V B^7 B^8 *ea*. [e] B^7 *substantialis* pro *s. v.* [f] B^7 om. [g] B^7 om. [h] Ita B^7, V *quo*. [i] Ex *eidem*. [k] Al. m. mg.

---

[1] Lib. II, 5 (PL 32, 889). [2] Cap. 11 (PL 40, 236). [3] Lib. III, 13 (PL 32, 1289). [4] *De mor. Manich.*, II, 8 (PL 32, 1350); *Confess.*, V, 12 (PL 32, 743); *Contra Secund. Manich.*, cap. 17 (PL 42, 592); *Contra Epist. Manich.*, cap. 27 (PL 42, 193). [5] Cap. IV, § 4, 6, 7, 10 (PG 3, 698 sqq.).

accidentale, inter quos est Avicenna [1]; quidam vero quod nihil addat secundum rem, sed solum secundum rationem; et horum quidam quod addat rationem negativam seu negationis tantum; alii vero quod positivam seu per modum positionis; et istorum quidam volunt quod unitas quae convertitur cum ente non sit idem cum ea quae est principium numeri; numerum enim dicunt causari a divisione continui, unde numerum, prout est species quantitatis, non ponunt nisi in corporalibus, et isti ponunt unitatem istam quae est principium numeri esse accidens, aliam vero quae convertitur cum ente dicunt nihil addere ad ens. — Summa igitur istarum diversitatum est: quod quidam ponunt quod addat; quidam quod nihil nisi solam rationem, in re tamen fundatam seu realem.

De bonitate autem et veritate fere eisdem modis diversificantur opinantes. Quidam enim volunt quod dicant relationes quasdam accidentales, ita quod unum dicat relationem ad primum efficiens, veritas ad summum exemplar, bonitas ad ultimum finem; et quod unitas dicat cum hoc modum essendi ipsius entis per respectum ad se, veritas per comparationem ad intellectum nostrum, bonitas per comparationem (a) ad affectum (b). Alii vero volunt quod dicant huiusmodi relationes, sed tamen volunt quod addant aliquid diversum realiter ad ens. Alii vero quod non dicant rationes respectuum, sed potius rationes absolutas super quas possint fundari tales respectus, sive secundum rem sive tantum secundum (c) intellectum, pro eo quod si dicerent relationes vel (d) rationes relativas, tunc prima et per se obiecta intelligentiae et voluntatis (e) essent purae relationes et solae; et (f) quia etiam secundum Aristotelem [2] scibile seu scitum non dicit relationem ad scientiam, etiam in quantum scibile, nisi secundum dici; id autem quod est scibile, secundum id quod est, nullo modo et eodem modo est (g) de diligibili seu dilecto (h), ratio igitur intelligibilis seu (i) scibilis et ratio ipsius appetibilis seu diligibilis, in quantum talia, dicunt relationes secundum dici solum; veritas vero et bo-

(a) Al. m. mg. *a. i. n. b. p. c.* (b) Ita B^6, V B^7 *effectum.* (c) Add. interl. al m. (d) Al. m. mg. (e) B^7 om. *i. e. v.* (f) Add. interl. al. m. (g) Ita B^7, V om. (h) B^7 *discreto.* (i) Al. m. ex *se.*

(1) *Metaph.*, tract. III, cap. 3 (f. 78 v b sqq.). (2) *Cat.*, cap. 7, 7 b 23 sqq.; *Metaph.*, V, 15, 1021 a 31 sqq.

nitas non dicunt ipsam rationem intelligibilitatis et appetibilitatis, sed id quod est diligibile et intelligibile [a] et id quod est quasi substratum istis relationibus; quoniam verum et bonum dicunt aliquid reale de re, amoto etiam omni intellectu; relationes vero praedictae nihil dicunt in quantum tales, nisi secundum intellectum; posito etiam per impossibile quod creatura esset Deo non existente aut absque hoc quod non esset facta a Deo: ita esset una, vera et bona sicut et ens et eo ipso quo et ens, ut isti dicunt. Et isti nituntur probare quod nihil addat essentiale realiter diversum consimilibus rationibus illis per quas probant hoc de individuatione, et quod nihil addat accidentale consimilibus rationibus illis per quas probant quod individuatio nihil tale addat. Qui autem volunt quod addat innituntur aliquibus rationibus tactis in opponendo et aliquibus rationibus consimilibus illis per quas probant idem de individuatione.

[Solutio Obiectorum]

Et isti respondent rationibus factis in oppositum hoc modo:

Ad primum enim dicunt quod licet ens non sit genus, quaedam se habent ad eum ac si essent [b] eius species, et haec recipiunt directe praedicationem eius, quaedam vero quasi differentiae, et de ipsis praedicatur eo modo quo subiectum de accidente aut sicut genus de differentia, scilicet in concretione. Prima vocantur genera et species entium et principia constitutiva eorum, secunda vero sunt unitas, veritas, bonitas et consimilia. Et ista proprie secundum eos non praedicantur de ente in abstracto, nec ens de eis. Ista autem non possunt habere naturam differentiae, ut dicunt: tum quia non dicunt principia constitutiva entium, quia tunc praecederent intellectum eorum, nunc autem videmus quod unitas cuiuslibet entis consequitur ipsum; tum etiam quia tantum ambitum habent quantum et ens, nulla autem differentia tantum ambitum habet quantum suum genus, saltem in potentia. Et ideo, ut dicunt, potius se habent ad ens tanquam propriae passiones eius consequentes ipsum universaliter et convertibiliter in suis suppositis [c].

Ad secundum dicunt quod illud quod addunt non est

---

[a] Al. m. mg. *e. i.* [b] Ita B^6, V B^7 om. [c] B^7 *oppositis.*

proprie essentia, sed aliquid eius; unde essentia ([a]) non cadit in ratione eius nisi oblique, sicut nec subiectum in ratione accidentis. Illi tamen qui volunt quod illud quod addit non sit alterius generis, nescio an ([b]) consimiliter responderent vel forte quod essentia bene posset praedicari de eis, licet aliquid addant ad eam; quia illud quod addit est forte quoddam complementum essentiae habens ([c]) intra se totam rationem essentiae ([d]); sicut et potentiis animae videtur adesse tota substantia animae.

Ad tertium dicunt quod secundum aliquem modum accidentia aliqua possunt habere aliquam rationem maiorem unitatis, veritatis, bonitatis quam sua subiecta, sicut caritas plus de ratione bonitatis et habitus intellectus plus de ratione veritatis. Praeterea dicunt quod cum ista accidentia sint potius istorum subiectorum quam sui, quod magis attribuunt suas rationes denominative suis subiectis quam sibi. Licet 4 capitulo, *De divinis nominibus*, Dionisyus dicat ([1]) quod denominationes subiectorum insunt formis a quibus descendunt altiori modo quam ipsis et magis per analogiam quam per univocationem, dans ibi exemplum de delectatione et tristitia: isti tamen dicunt pro tanto contrarium, quia accidentia potius sunt subiectorum quam sui ipsorum, secundum ultimum modum tamen respondendi.

Ad quartum dicunt quod prima propositio ([e]) non est vera nisi de accidentibus quae sequuntur esse subiecti; quia secundum eos quaedam sunt accidentia quae sic sequuntur essentiam subiectorum quod non sequuntur esse eorum, sicut ipsummet esse quod secundum multos eorum est accidens. Si autem dicatur quod ista non solum sequuntur essentiam, sed etiam ipsum esse: tunc dicunt quod non est inconveniens, si natura praecedant ea, sicut et videntur praecedere intellectu ([f]); esset tamen inconveniens, si praecederent tempore vel mensura.

Ad quintum dicunt quod forma habet illas rationes non per identitatem, sed sicut subiectum habet proprias passiones et quod illi effectus competunt illi per se, aut quia facit eas per passiones quae per se sibi competunt, aut quia illi effectus non sunt aliud quam unitas, veritas, bonitas causatae a formis entium.

([a]) Al. m. mg., del. *entia*. ([b]) B[7] *aut*. ([c]) B[7] *habent*. ([d]) Al. m. mg. *habens... essentiae*. ([e]) B[7] *positio*. ([f]) B[7] B[8] *intellectum*.

([1]) Cap. II, § 8 (PG 3, 646).

Ad sextum dicunt quod illa propositio habet locum in causis efficientibus, non in causis formaliter originantibus; dicunt enim quod originari ab aliquo ut a forma non est omnino idem quod fieri ab aliquo ut a causa efficiente.

Ad septimum dicunt quod non est inconveniens formam unam [a] ab alia informari et denominari, licet hoc magis primo et per se competat materiae; dicunt etiam quod totum compositum potest denominari ab unitate recepta in materia sua, forma autem denominabitur ab eadem sicut [b] causa a suo effectu, denominatur enim agens a sua actione et a suo effectu.

Ad octavum vero quod dicunt patebit alibi ubi de extensione corporalium quaeritur.

Ad nonum dicunt quod ens est primum obiectum materiale, sed veritas primum obiectum formale [c]; ens enim secundum eos est illud quod primo apprehenditur, sed veritas illud per quod apprehenditur seu ratio apprehensibilitatis eius. Et idem dicunt de bonitate respectu appetitus.

Ad decimum dicunt quod veritas non tantum est ratio movens ad apprehendendum se, sed etiam ad apprehendendum omnes proprietates entis, et ideo licet distinctio [d] earum inter se apprehendatur ab intellectu, hoc tamen est, ut dicunt, per eandem rationem, scilicet per rationem veritatis. Et idem est de bonitate respectu appetitus. — Ad id autem quod additur quod essentia entium potest generare sui speciem et ita per se et primo movere intellectum: dicunt quod sicut quantum non movet visum nisi sub ratione colorati, sic nec essentia nisi sub ratione veri. Et tamen quantum dicitur per se movere [e] visum, licet non primo; nec dicitur esse materiale obiectum visus sicut Sortes, quia istud est obiectum materiale per accidens et non per se, quoniam Sortes non est subiectum primum et immediatum coloris, sicut ens est veritatis.

Ad undecimum dicunt quod definitio Augustini potius est materialis quam formalis et tamen valde bona, quia propriae passiones habent definiri per sua subiecta et definitio debet dari per priora; et ita est hic.

Ad duodecimum dicunt quod sicut haec est vera « homo, in quantum homo, est risibilis [f] » et tamen humanitas non est risibilitas: sic et ista « entia, in quantum sunt, bona

---

[a] B^7 om. *f. u.* [b] B^7 add. *a.* [c] B^7 *materiale.* [d] Corr. [e] Sequitur ras. [f] B^7 add. *homo.*

sunt »; et tamen non propter hoc oportet quod entitas sit bonitas. Quod autem dicitur quod (a) malitia, pro quanto est privatio boni, pro tanto est privatio entitatis: dicunt quod hoc non est verum per identitatem, sed per concomitantiam (b); quia privatio boni inseparabiliter concomitatur privationem entis et e contrario. Ad illud autem Dionysii dicunt quod bonum et pulchrum et lumen intelligibile seu verum non (c) sunt idem formaliter, sed subiecto.

Illi vero qui volunt quod nihil addant realiter diversum ad primum quod est contra eos dicunt quod numerus non est accidens nisi sicut unitas ipsum constituens; unitates (d) enim accidentium erunt accidentia, sed non ipsorum accidentium quorum (e) sunt unitates, sicut et omne accidens sibi ipsi est essentiale.

Quod autem ab Aristotele (1) et aliis philosophis dicitur esse accidens et in praedicamento quantitatis: dicunt quod distinctio praedicamentorum non fuit facta secundum diversitatem essentialem nec secundum solam diversitatem intellectus seu modi intelligendi, sed secundum diversitatem rationum realium; relatio enim ponitur pro praedicamento, quae tamen videtur esse essentialis secundum eos actioni et passioni et qualitatibus primae speciei et secundae et materiae et formae et parti et toti et praedicamento positionis et situs et ubi et quando et omni accidenti videtur essentiale referri ad suum subiectum. Quorum rationes alibi recitavi. Haec autem distinctio conveniens (f) esse potuit secundum modum logicalem qui plus considerat rationes rerum et intentiones quam res; et ideo rationes quae secundum modum intelligendi habebant se ad alias per modum accidentium convenienter potuerunt ponere inter praedicamenta accidentium. Aut si hoc non movit (g) eos, dicunt quod Aristoteles fuit deceptus arguens ex pluralitate rationum realium diversitatem essentialem, quam deceptionem dicunt fuisse in multis antiquis philosophis. Aut in proposito forte magis fuit causa: quia posuerunt numerum causari tantum ex divisione continui; non enim in substantiis separatis posuerunt nume-

(a) Ita B^7, V om. (b) Ita B^7, V *concomitentiam*. (c) B^7 om. (d) B^7 *unitas*. (e) Ita B^6, V B^7 *quarum*. (f) Ex *convenientis*. (g) B^6 *movet*.

(1) *Cat.*, cap. 6, 4 b 20 sqq.

rum qui ab eis ponitur species quantitatis, sed solum multitudinem quae cum uno dividit ens; continuum autem posuerunt esse accidens, et ita unitatem quae est per continuitatem dixerunt esse accidens et per consequens numerum ex talibus unitatibus constitutum. Et hanc sententiam videtur [a] Aristoteles innuere in III *Physicorum* suorum [1].

Dicunt autem isti quod si hoc tenuerunt, quod in hoc videntur notanter fuisse decepti; quia si numerus est accidens, tunc oportet quod sit aliqua una forma habens aliquod unum subiectum numerus autem non potest poni esse una forma, quia cum plures habeat partes ad hoc quod ex eis efficeretur unum, oporteret quod ad se invicem unirentur [b] partes autem numeri, etiam in quantum partes eius, magis sunt a se invicem discretae quam unitae et etiam si essent unitae, tunc unio earum [c] et unitas ex hac unione consurgens essent aliae unitates ab eis et alterius rationis. — Oporteret etiam quod aut una unitatum constituentium numerum esset materialis alteri, ita quod vere reciperet eam intra se et vere informaretur ab [d] ipsa; aut quod [e] ambae essent materiales respectu alicuius formae tertiae unientis eas; aut quod essent in eadem materia; quorum nullum videtur esse intelligibile. — Oporteret etiam quod unitates constituentes numerum haberent rationem partis respectu sui generis et nullo modo rationem totius; partes enim alicuius formae non habent rationem formae totalis, quamdiu sunt partes illius formae, sicut nec partes substantiae rationem substantiae seu suppositi, quamdiu sunt partes alicuius suppositi; et tunc unitas non haberet [f] rationem formae totalis respectu entium quae per eam sunt unum; et tunc perfectius et venius tres homines dicerentur unum quam quilibet eorum, quamdiu essent sub tali numero aggregati.

Unum etiam subiectum non potest dari numero, quoniam omnis numerus, in quantum talis, requirit plura entia et exigit ea, in quantum plura, non in quantum unum. Nec in huiusmodi subiectis est dare aliquam potentiam receptivam unam numero per quam et in qua reciperent formam numeralem, et si haberent, illa potius diceretur numerata et

---

[a] B^7 *videntur;* V B^7 om. *Aristoteles* quod habet B^6. [b] B^7 *unirent.* [c] B^7 *eorum.* [d] B^7 *ex.* [e] Ita B^7 B^6, V om. [f] V *habere;* B^7 B^6 *unitates haberent* pro *u. n. h.*

---

[1] Cap. 7, 207 b 5 sqq.

forma numerali denominata quam huiusmodi entia [a]. Et idem erit de quacumque una ratione subiectiva per quam ei subiciantur. — Nec valet secundum istos quod ab aliquibus dicitur, scilicet quod huiusmodi entia numerata sunt unum subiectum in tali accidente; quia subiectum prius naturaliter oportet habere unitatem per quam subiciatur ut [b] unum tali accidenti quam quod ex hoc dicatur esse unum, quia habet tale accidens, scilicet numerum; oportet enim [c] dari subiecto [d] unam existentiam a qua et in qua accidens recipiat suam unam existentiam, et non e contrario. — Mirabile etiam erit, ut dicunt isti, quomodo ista dicentur esse unum in eo quod habent numerum seu in eo quod sunt numerata, cum secundum rem videatur ibi [e] esse oppositio in adiecto. — Item, si forma numeralis est in eis, aut tota est in quolibet aut una pars eius in uno et alia in alio; una enim forma non potest per aliam viam esse tota in aliquibus [f] simul aggregatis. Si autem tota est in quolibet, ergo quilibet est plures et plures habens unitates. Si autem una pars in uno et alià in alio, tunc partes sunt in diversis subiectis et ad se invicem nullo modo unitae. — Et est mirabile, ut isti dicunt, quomodo partes formales in diversis entibus existentes constituent unam essentiam et unam formam, unam, inquam, numero, non solum specie, et quomodo tres unitates numerales constituent [g] unam unitatem individualem et unam numero, utpote unitatem istius ternarii vel illius, et maxime quomodo ex solo concursu plurium hominum vel [h] plurium entium in uno loco generabitur una forma numeralis in eis; oportebit enim sibi dare causam efficientem, et cum sit forma dependens a suo subiecto et non solum delata super ipsum, sicut sunt primae influentiae, oportebit quod educatur de potentia materiae et tunc oportebit etiam quod per motum ipsius materiae.

Non etiam est maior ratio quare ex divisione continui resultet talis forma quam ex discretione facta per formas substantiales, cum ita [i] sint diversae et separatae a se invicem unitates continui divisi sicut et unitates duorum entium quas habent per suas formas substantiales, et maxime cum continuum divisum sit factum duo entia, quod non potest esse factum, nisi unitas quae consequitur ens sit mul-

---

[a] B^7 *essentia*. [b] Add. interl. [c] B^7 *ergo*. [d] Al. m. mg., del. *sub*. [e] Ita B^7 B^6, V *sibi*. [f] In ras.; B^7 *similis* pro *simul*. [g] Al. m. ex *contiuent*. [h] B^7 om. *p. h. v.* [i] Al. m. corr.

tiplicata; quaelibet enim pars alicuius continui divisi est facta de novo unum ens et unum suppositum substantiae, quod non potuit fieri nisi per formam substantialem aliam et aliam. Ita igitur, ut dicunt isti, est numerus in aliis rebus qui non est aliud quam multitudo unitatum sicut et in (a) corporalibus vel continuis; et ita fit numerus in corporalibus et unitatibus (b) consequentibus ens sicut et in spiritualibus. — Non etiam valet, ut dicunt, quod ab aliquibus dicitur quod ultima unitas est constitutiva numeri et quod se habet ad alias sicut ultima differentia ad priores formas; quia ultima forma vel differentia non est eiusdem rationis et ambitus cum prioribus, unitas autem est eiusdem speciei cum alia unitate; tum quia frequenter contingit et potest contingere quod simul tempore et natura tria concurrant in unum, ut quando tria simul creantur, et tunc nulla (c) illarum trium unitatum erit secundum rem ultima (d) respectu alterius. — Si autem dicatur quod numerus est aliquid in anima, hoc secundum istos non iuvat eos, sed potius destruit; quia secundum hoc numerus non erit vere quantitas nec species quantitatis nec vere accidens rerum numeratarum ex earum unitatibus constitutum. — Dicunt igitur isti quod numerus et multitudo veraciter est in rebus et non solum in intellectu; sed tamen non est aliquid unum in rebus, sed vere plura et vere plures unitates, in intellectu tamen seu secundum intellectum habet quandam rationem unitatis. — Sic igitur respondent ad primum.

Ad secundum dicunt quod etsi (e) omne quod realiter sequitur ad aliud non intrans rationem eius secundum rem sit accidens eius, non tamen illud quod sequitur ad aliud tantum secundum modum intelligendi et quod intrat alterius (f) rationem secundum rem seu secundum identitatem realem, etsi non secundum propriam rationem. Sic autem, ut dicunt, se habet unitas ad ens: si enim in una ratione entis posset ab intellectu nostro comprehendi omnis ratio per identitatem realem, illa ratio haberet rationem entis et unitatis aequaliter.

Ad tertium dicunt quod ens est eo modo comune unitati et multitudini sicut et unum est eis commune, et non aliter; non enim multitudo dicitur ens, nisi sicut dicitur una,

---

(a) Add. interl. al. m. (b) Ex *unititatibus;* B⁷ *continentibus* pro *consequentibus.* (c) B⁷ *nullam.* (d) Al. m. mg.; B⁷ *ultimam.* (e) B⁷ om. (f) Al. m. corr.

nec multa dicuntur proprie ens sed entia; et sicut dicuntur entia, sic dicuntur plura seu plures unitates habentia, et ut sic liceat loqui, sic dicuntur una (a) sicut et entia. Multitudo etiam non opponitur illi unitati quae est pars eius nisi sicut totum suae parti, relative scilicet. Prout autem unitas sumitur per se cum exclusione multitudinis, se habet ad multitudinem secundum habitudinem disparatam seu disparationis, quam aliqui vocant habitudinem contrarietatis quae in quolibet extremo includit privationem alterius extremi; licet improprie hic sumatur contrarietas nec disparatio hic sumatur secundum speciem, sed potius quasi numeralis, eo modo quo unum individuum est ab altero (b) disparatum, quod usitatius (c) discretio nominatur.

Ad quartum dicunt quod licet unitas non addat aliam rem ad ens, addit tamen aliam rationem ad rationem entis; et ideo dicere « ens est unum » non est idem secundum rationem quod dicere « ens est ens », nec ita sermo nugatorius. Quia autem res in qua fundantur huiusmodi rationes prius (d) apta nata est intelligi secundum rationem entis quam secundum rationem unitatis, seu intellectus prius aptus natus est intelligere unam quam alteram, quia una implicat aliam in sua ratione et non e contrario: ideo unitas magis (e) potest significari per modum inhaerentiae et adiacentiae ad ens quam e contrario; sicut et in Deo sapientia respectu substantiae potius quam (f) e contrario et voluntas in eo potest significari posterior intellectu potius quam e contrario.

Ad quintum dicunt quod si (g) continuum est omnino accidens, tunc per solam divisionem continui unum non efficitur multa, immo oportet quod ibi fiat divisio formae substantialis et materiae.

Ad sextum dicunt quod quia ens (h) secundum rationem suam non ita opponitur multitudini sicut unum nec unum ita non enti sicut ens: ideo dictio (i) exclusiva addita enti secundum communem usum loquendi qui plus sequitur diversitatem rationum quam rerum non excludit nisi non ens, addita vero uni non excludit nisi multitudinem; licet in uno sensu haec propositio « tantum unum est » possit esse vera et haec propositio « tantum ens est » possit esse falsa; quia si li (k) « unum » significet absolute formam unitatis, sic (l) est

(a) B⁷ om. (b) Al. m. corr. (c) B⁷ *usita eius.* (d) B⁷ om. (e) B⁷ om. (f) B⁷ om. *contrario... quam.* (g) Add. interl. al. m. (h) Add. interl. al. m. (i) B⁷ *distinctio.* (k) B⁷ om. (l) B⁷ *sicut.*

vera sub hoc sensu « tantum unum est », id est, « tantum id quod est unum est », secundum autem quod praeter hoc tenet locum signi particularis, sic est falsa sub hoc sensu « tantum unum est », id est, « tantum quoddam unum est » seu « tantum quoddam ens quod est unum est ». Et eodem modo ista « tantum ens est » potest distingui: scilicet secundum quod habet simplicem suppositionem vel personalem. Secundum enim quod significat entitatem absolute, habet simplicem suppositionem, et sic est vera; secundum autem quod habet personalem suppositionem implicat intellectum cuiusdam signi particularis, et sic est falsa, ut sit sensus « tantum ens est », id est, « tantum unum singulare ens est » seu « tantum quoddam ens est ». Quod autem hic dictum est quod terminus post dictionem exclusivam possit habere personalem suppositionem: qua ex causa et qua intentione ab eis sit dictum alibi habet discuti et recitari.

Ad septimum dicunt quod eo modo quo ens secundum opinionem cadit sub ente cadit et sub vero; pro quanto enim est ens, pro tanto est verum, et pro quanto [a] deficit a vero, tantum deficit ab ente.

Ad octavum dicunt quod enti, secundum quod dicit totum suppositum [b], nihil potest opponi nisi contradictorie; secundum autem quod stat pro aliqua forma, sic potest ei opponi aliquid privative aut contrarie. Et idem est de vero: falsum enim non opponitur veritati totius et suppositi, sed veritati alicuius formae. Sciendum tamen quod est falsitas signi et falsitas, ut ita dicam, rei quae non est aliud quam defectus et privatio alicuius veritatis realis; licet proprie falsitas non sit nisi in signo, sive sit signum naturale sive datum a voluntate sive interius conceptum in mente. Falsitas autem haec, licet secundum rationem sui nominis dicat negationem veritatis quae deberet esse in signo, fundatur tamen super contraria significatione; et pro tanto falsitas signi potest dici opponi contrarie veritati signi. Ens autem secundum opinionem non opponitur enti vero secundum quid, sed enti vero simpliciter, sicut nec opponitur enti secundum quid, sed enti simpliciter; nec tamen opponitur ei, nisi secundum quod imperfectum opponitur perfecto et sicut secundum quid opponitur ipsi simpliciter [c]. Et sic accidens potest opponi substantiae et materia formae vel composito.

---

[a] B^7 *quantum* pro *p. q.* [b] B^7 *tantum ei supponit* pro *t. s.*
[c] Ita B^7 B^8, V om. *nec tamen... simpliciter.*

Potest etiam dici quod ens secundum opinionem non est aliud realiter quam ipsa opinio; et opinio huiusmodi opponitur opinioni, non autem ipsis obiectis.

Ad nonum dicunt quod licet substantia non referatur ad aliud secundum rationem essentiae vel substantiae, refertur [a] tamen secundum substantiam; essentiale est enim, ut dicunt, unicuique substantiae referri ad creatorem et materiae ad formam. Quod autem pro ratione affertur, quod unumquodque secundum suam substantiam est absolutum [b]: dicunt quod utraque istarum est vera, et quod secundum suam substantiam sit absolutum et quod sit relatum; quia potest considerari absolute et in relatione ad aliud [c], pro eo quod non secundum omnem rationem suam est absoluta nec secundum omnem relata. Aliqui tamen simpliciter negant quod creatura habeat esse absolutum ab omni relatione nisi solum ab aliquibus, utpote a relatione inhaerentiae accidentalis vel [d] a relatione essendi in alio ut in supposito et ab aliis consimilibus quae repugnant substantiae. Non etiam concedunt quod secundum veritatem et bonitatem referantur res realiter ad intellectum et appetitum, sed solum secundum rationem intelligibilitatis et appetibilitatis; quae tamen non dicunt relationes secundum rem, sed solum secundum dici.

Ad decimum dicunt quod Boethius aliter videtur accepisse rationem boni quam communiter a sanctis et ab aliis accipiatur; videtur enim in praedicto libro bonitatem enti attribuere, ita quod idcirco dicatur bonum, quia est a bono principio factum et ad optimum finem ordinatum, scilicet ad Deum. Sancti autem bonum vocant idem quod perfectum vel perfectivum [e]. Et secundum illum modum accipiendi dicunt quod verum est quod dicit Boethius, secundum vero alium quod dicit Augustinus et Dionysius. Et hic modus, ut dicunt, est magis proprius et magis verus omnis enim communiter intellectus [f] dicet quod si per impossibile ens creatum esset sine Deo, quod quantum haberet de perfectione et entitate, tantum et de bonitate. Praeterea dicunt quod dictum Boethii tantum est contra alios quantum est contra eos; licet enim alii velint quod bonitas addat ad ens aliquid realiter diversum, volunt tamen omnes communiter quod tam bonitas quam unitas et veritas sint ita inseparabiles ab ente quod nec Deus [g] posset eas separare ab eo nec ipsum ab eis.

(a) Ex *referuntur*. (b) B^7 *abstractum*. (c) Ita B^7 B^6, V *alius*.
(d) B^7 *licet*. (e) B^7 om. *v. p.* (f) B^7 *intelligens*. (g) B^7 *alios*.

Hae igitur sunt diversitates opinantium. — Quid autem hic sit veritatis meliorum iudicio derelinquo; si tamen aliquam haberem tenere, illam quae ponit quod aliquid addat tenerem, quia solemnior et communior est, licet neutram ob materiae profunditatem scirem sustinere ad plenum.

Quicquid tamen sit de [a] iis, illud saltem amplius credo esse [b] verum, scilicet quod ratio unius secundum rem dicat aliquid positivum quam quod tantummodo negativum. Et idem credo de ratione simplicis. Licet enim a nobis [c] describantur per quasdam negationes, nihilominus tamen per illas intendimus circumloqui illud positivum quod realiter dicunt [d]. Si enim dicerent tantum rationem negativam, non comprehenderent secundum rationem sui nominis tantam perfectionem et nobilitatem quantam dicunt. Maxima enim perfectio est esse complete unum [e] et simplex; significant enim aut perfectionem identitatis aut rationem perfectae adhaesionis componentium ad se invicem aut rationem indistantis mansionis in se ipso aut aliquid aequivalens. — Nec valet contra hoc quod cum multitudo dicatur positive, quod oportet quod unitas quae ei opponitur dicat privationem [f] ipsius; quia et in contrarie oppositis seu [g] disparatis et in relative oppositis unumquodque oppositorum implicat negationem sui oppositi respectu subiecti quod denominat [h]; et tamen utrumque praeter hoc dicit aliquid positivum; sic autem est de multitudine et unitate ei opposita relative uno modo et alio modo disparate.

Ratio autem veri, prout credo, dicit rationem cuiusdam confirmativae affirmationis. Unde quando dicimus « iste lapis est verus lapis » aut « hoc est verum aurum », per appositionem veri intendimus confirmare id quod per aurum affirmative significaveramus et per ipsum affirmationem factam quasi ingeminare; ut sit quasi sensus « hoc est verum aurum », id est, « vere ita est quod hoc est aurum ». Aut potius verum non plus addit ad ens quam reale; ens enim est commune ad ens secundum solam apparentiam et opinionem et ad ens reale seu ad ens secundum rem; et per verum intendimus specificare ens ad ens secundum rem, sicut et per hoc quod dico « per se » specificamus ens ad genus

---

[a] B[7] *a.* [b] B[7] om. [c] B[7] om. *a. n.* [d] B[7] om. [e] B[7] *completum* pro *c. u.* [f] Al. m. mg. *quod oportet... privationem.* [g] B[7] add. *in.* [h] B[7] *denominant.*

substantiae. Bonum autem, ut dictum est, dicit rationem perfecti vel perfectivi. Et forte haec est causa quare verum magis dicitur obiectum intellectus quam bonum et e contrario respectu voluntatis; quia ad intellectum spectat affirmare realia et negare non realia et rem, prout est, apprehendere ad hoc quod sit verus, appetitus autem quaerit perfici a suo obiecto seu in suo obiecto. Aut fortassis ideo factum est, quia proprietas est habitus et actus intellectualis potentiae quod sit verus vel falsus, voluntatis vero quod sit bonus vel malus. Et quia [a] rationes proprias potentiarum attribuimus et appropriamus obiectis frequenter: ideo intellectus dicitur habere veritatem pro obiecto; quia tunc apprehendit quidditatem entium quae est verum [b] eius obiectum, quando apprehendit vere; etsi enim apprehendat vere non entia, hoc non potest sine apprehensione entis et nisi per ipsum.

QUAESTIO XV.

Nono quaeritur an suppositum seu persona addant aliquid ad naturam in qua et per quam subsistunt.

Et quod sic videtur.

1. Omne quod potest aliquibus advenire et deperire ipsis manentibus addit aliquid realiter differens ad ipsa, et maxime si secundum rationem suam dicat aliquid positivum; sed ratio suppositi et personae potest pluribus naturis [c] advenire et deperire; partes enim integrales substantiarum, si separentur a suis totis, accipiunt rationem suppositi; multaeque [d] substantiae, si uniantur aliquibus totis aut partibus, amittunt rationem suppositi, suppositum etiam secundum rationem suam dicit quid positivum. cum dicat rationem per se entis et singularis, et persona multo magis, cum ultra hoc dicat completum modum per se et in se existendi; ergo et cetera.

2. Item, existere in se seu per se opponitur ei quod est existere in alio, mutuo enim se expellunt in eadem natura; sed existere in alio addit aliquid ad naturam cuius est; ergo multo magis existere in se, cum magis sit positivum.

---

[a] B^7 om. [b] B^7 *vere.* [c] B^7 *personis.* [d] B^7 *multae etiam.*

3. Item, idem vere et proprie potest praedicari de se; sed [a] natura non praedicatur vere et proprie de supposito nec e contrario, non enim bene dicitur « humanitas est homo » nec e contrario; ergo et cetera.

4. Item, omne totum addit aliquid ad suam partem; sed natura se habet ad suum suppositum sicut pars ad suum totum; si enim diceret totum quod dicit suppositum: tunc posset praedicari de eo, sicut species et genera praedicantur de suis suppositis, idcirco enim Sortes potest dici homo et animal, quia ista non dicunt partes eius sed totum; quod ergo humanitas non possit [b] praedicari de Sorte, hoc non est nisi quia dicit partem eius et non totum.

5. Item, omnis natura non participata nec recepta [c] in aliquo sed in se et per se absolute existens videtur habere in se rationem summae naturae et summi entis, cum istae conditiones videantur convenire soli Deo; ergo omnis natura diversa a natura Dei erit participata et recepta in aliquo; sed hoc est impossibile, nisi illud in quo recipitur et a quo participatur differat ab ea sicut recipiens a recepto et sicut participans a participato et sicut existens in alio differt ab eo in [d] quo existit; sed illud in quo natura existit est eius suppositum nec potest recipi nisi in supposito; ergo et cetera.

6. Item, omnis forma differt ab eo cuius est forma, sicut causa a causato aut sicut pars a toto, et omne causatum addit [e] aliquid ad suam causam et totum ad partem; sed natura est forma sui suppositi, illud enim est forma alicuius per quod ipsum est ens et per quod reponitur in specie seu genere; sed suppositum est ens per suam naturam et per illam reponitur in specie; ergo et cetera.

7. Item, omne dependens differt ab eo in quo figitur et terminatur sua dependentia; sed omnis natura creata est natura dependens figiturque et terminatur eius dependentia in [f] supposito; ergo et cetera.

8. Item, omnis habitudo realis exigit realiter extrema diversa aut simpliciter aut secundum quid; sed esse in dicit quandam habitudinem; ergo omne quod realiter est in se habet habitudinem essendi in realem; ergo oportebit dare in omni realiter existente in se duo extrema, saltem secundum quid diversa; sed respectu huius habitudinis non possunt dari nisi natura et suppositum; ergo ipsa saltem sunt secun-

---

[a] B^7 *seu*. [b] Ex *possut*. [c] Ita B^7 B^6, V om. *n. r.* [d] Al. m. mg. [e] B^7 om. [f] B^7 *a*.

dum quid inter se diversa; sed hoc non potest esse, si unum non addit ad alterum aliquid realiter differens; ergo et cetera.

9. Item, illud secundum [a] quod aliquid potest subici et subsistere accidentibus differt realiter ab eo secundum quod non potest subsistere seu illud quod potest subici eis differt ab eo quod non potest eis subici; sed natura non potest subici nec subsistere accidentibus, suppositum autem potest, nec aliquid subicitur eis per rationem naturae sed per rationem suppositi; si enim natura subiceretur et subsisteret eis, ita bene diceretur humanitas alba, calida et tricubita, sicut homo dicitur albus et tricubitus et consimilia.

10. Item, omne contentum differt aliquo modo a suo continente; sed natura continetur a suo supposito; alias enim non bene diceretur quod haec natura est huius vel huius [b] suppositi, cum in proposito non videatur significari alia habitudo per hoc « esse huius » nisi contenti ad continens [c] aut aliqua alia aequivalens.

Contra: 1. Non potest aliquid addere accidentale nec essentiale; ergo nihil. Probatio antecedentis: si enim addit aliquid essentiale, aut formam aut materiam; neutrum autem horum potest addere, quia utrumque est pars naturae compositae. Praeterea, natura dicit totam essentiam suppositi, cum natura et essentia sint idem; sed extra essentiam rei non potest esse aliquod essentiale, cum omne essentiale sit aliquod de principiis constitutivis essentiae. Praeterea, omne essentiale additum alii essentiali constituit tertiam naturam; si ergo suppositum addit aliquid essentiale ad suam naturam: ergo ex illo et natura constitueretur quaedam tertia natura, et sic in infinitum. Praeterea, unum essentiale sine aliis non potest dicere totum ens; sed [d] suppositum dicit ipsum totum ens; ergo non dicit aliquod essentiale additum naturae, cum natura dicat saltem magnam partem essentialium rei. — Non etiam potest addere aliquid accidentale, quoniam omne accidens subsistit in alio et non alia in ipso; si ergo adderet aliquid [e] accidentale, ipsum non esset suppositum naturae suae nec suorum accidentium, sed potius natura [f] esset suppositum eius. Praeterea, nullus sane intelligens dicet quod ens sit sibi ipsi accidentale; sed suppositum dicit ipsum ens et

---

[a] Add. interl. al. m.; B[7] om. *quod. a. c.* cuius loco B[6] *nisi hic esse in hoc.* [b] B[7] om. [c] B[7] om. *n. c.* [d] B[7] add. *si.* [e] B[7] B[6] om. [f] B[7] om.

ratio suppositi dicit rationem totius et entis; ergo impossibile est quod sit accidentale ipsi enti; sed omne accidens est accidens [a] alicuius entis et alicuius suppositi; ergo si diceret accidens, oporteret quod esset accidens alicuius alterius entis et alicuius alterius suppositi. Praeterea, per se esse est differentia substantiae; sed hanc solam addit suppositum ad naturam; ergo et cetera. Praeterea, nihil directe et per se includitur in generibus et speciebus [b] substantiae quod sit accidentale aut sub praedicamentis accidentium; sed ratio suppositi includitur directe et per se in generibus et speciebus substantiae, omnia enim oportet quod dicant rationem per se entis, sicut utique dicunt [c] substantia et animal et homo. Si etiam non includerent rationem suppositi [d], tunc naturae [e] substantiarum essent genera et species substantiae, et tunc humanitas esset species hominis et animalitas genus eius; non enim potest inveniri quid [f] aliud addat homo ad humanitatem aut animal ad animalitatem nisi rationem [g] suppositi; et ideo si in se rationem suppositi non includunt, tunc secundum rem et rationem omnino idem erunt homo et humanitas et consimilia.

2. Item ad principale: omne quod non est in alio a se, in quantum tale, est existens in se; sed natura completa substantiae seu suppositi cuiuscunque, in quantum talis, non est in alio a se; ergo, in quantum talis, erit existens in se et ita, in quantum talis, erit [h] suppositum. Probatio minoris: omne enim quod est in alio a se est vere receptum in ipso et in aliqua eius potentia passiva; si ergo natura completa substantiae esset in alio a se, tunc illud in quo esset haberet quandam potentiam passivam in se, aliam a tota natura et partibus eius, et per consequens aliam materiam ab illa materia quae est pars naturae; hoc autem est impossibile. Illud etiam in quo esset aut esset ens completum et actuale absque natura recepta aut non. Si sic, ergo haberet aliam naturam et essentiam praeter illam; quod est contra positum. Si non, tunc illud esset tantum ens in potentia, informatum et factum in actu a tota natura, et ita tota natura haberet se ad illud sicut forma ad suam materiam et non sicut natura ad suum suppositum.

---

[a] B^7 *actus.* [b] In mg. [c] B^7 B^6 *ut facit* pro *s. u. d.* [d] B^7 B^6 om. *r. s.* [e] Ita B^7, V *natura.* [f] B^7 *quod.* [g] Ita B^7 B^6, V *ratio.* [h] B^7 om. *existens... erit.*

[Respondeo]

Ad quaestionem istam dixerunt quidam quod suppositum addit ad naturam suam etiam individualiter acceptam seu individualem[a] aliquid realiter differens ab ipsa; quid autem esset illud additum et qua ex causa oporteret ipsum realiter differre ab ea diversimode senserunt. Quidam enim dixerunt[b] quod addit quendam modum existendi; addit enim ad esse hunc modum qui est per se. Idcirco autem illud quod addit dixerunt[c] realiter differre a natura: quia omne quod habet aliam rationem realem ab aliquo dixerunt in creatis realiter differre[d] ab illo; modus autem iste qui additur dicit aliquam rationem realem aliam a ratione ipsius naturae. Secunda causa fuit: quia esse secundum eos addit aliquid realiter differens ad naturam; esse autem cum speciali modo essendi qui[e] est esse per se cadit in ratione suppositi; et hoc est quod secundum eos addit suppositum ad naturam suam. — Alii vero aliter senserunt, dixerunt enim quod suppositum non praescindit a se accidentia nec susceptibilitatem eorum, natura vero praescindit a suo intellectu tam accidentia quam susceptibilitatem eorum; suppositum enim continet in se tam naturam quam accidentia, quod non posset, si in suo intellectu includeretur praecisio seu exclusio eorum; natura vero, in quantum talis, nec est nec esse potest subiectum accidentium, non enim est informabilis ab accidentibus. Et ideo dixerunt quod suppositum se habebat ad naturam sicut totum ad partem, huiusque simile donant in genere et natura generis. Dicunt enim quod corpus, quando sumitur ut pars, non est genus hominis vel animalis, sed quando sumitur ut[f] totum; tunc autem secundum eos assumitur ut totum, quando non praescindit a se intellectum differentiarum sequentium, sed potius comprehendit eas in generali et indistincte et in potentia; ut pars vero sumitur, quando praescindit a se intellectum differentiarum sequentium, et tunc non dicit nisi naturam generis a qua et secundum quam sumptum est ipsum genus.

Alii vero istis contrarium senserunt, dixerunt enim quod suppositum nihil addit tale quod

---

(a) B[7] *individuale.* (b) B[7] om. *realiter differre... dixerunt.* (c) Al. m. mg. (d) Ita B[7], V repetit *differre.* (e) B[7] *igitur.* (f) B[7] *in.*

realiter differat a natura completa seu totali ipsius supposití; in modo tamen ponendi etiam isti diversificati sunt. Quidam enim istud posuerunt, quia dixerunt quod non addit nisi quandam rationem negativam seu privativam, scilicet negationem existendi in alio; voluerunt enim quod per se esse seu per se existere nihil positivum addat ad ipsum esse seu ad existere absolute et sine alio acceptum. — Alii autem dixerunt quod licet dicat aliquid positivum, illud tamen non dicit aliam rem ab ipsa natura, sed solum aliam rationem eiusdem naturae.

Utrique autem istorum moti sunt ad dicendum quod nihil diversum adderet (a) propter rationes factas ad oppositum et ultra hoc moti sunt ex dictis opinionum contrariarum. — Ratio enim primae opinionis non fuit eis visa sufficiens nec universaliter vera, quod scilicet diversitas rationum in re contentarum seu rationum realium concluderet necessario et semper diversitatem realem in creatis. — Item (b), quia si propter hoc differt suppositum a natura, quoniam esse et per se esse cadunt in ratione supposití et hoc est illud quod per suppositum additur ad naturam et non aliud: tunc in divinis non possent esse plura supposita, quoniam actus essendi et per se existendi includitur in perfecta actualitate essentiae divinae; dicunt enim quandam perfectionem nobilem actualitatis eius. — Item (c), quia si nihil aliud addit, tunc non addit rationem supposití; ipsum enim esse vel per se esse non erit ipsum suppositum, maxime si est accidens; immo potius oportebit quod sit in aliquo alio (d) a se, non solum sicut in supposito, sed etiam sicut in subiecto; et potissime hoc erit verum, si est actus ab aliquo exiens, omnis enim actus exit a supposito et est actus alicuius supposití. — Nec poterit dici quod ipsa natura per actum per se essendi facta per se existens sit ipsum suppositum, quia tunc ad minus ipsum suppositum praedicaretur in recto de ipsa natura et praedicaretur de ea adiective et denominative; sicut enim (e) per albedinem homo dicitur albus, sic per actum per se existendi ipsa diceretur per se existens seu suppositum; praedicatio autem adiectiva et denominativa est contrariissima supposito et rationi supposití. — Non etiam secundum istos poterit dici quod ex natura et per se esse constituatur unum tertium, quod tertium non sit tertia natura, sed solum sit suppositum eorum;

(a) Sequitur ras. (b) B⁷ *et.* (c) B⁷ *et.* (d) Al. m. mg.; V om. *in* quod habet B⁷. (e) B⁷ B⁸ *vero.*

quia cum suppositum sit radix et fundamentum [a] omnium eorum quae in ipso sunt, oporteret [b] quod ipsum, in quantum tertium, esset aliquid tale quod in eo posset figi et firmari tam natura quam ipsum esse et quam ipsa accidentia; quod non videtur posse fieri, si non dicit aliquam solidam essentiam praeter essentias eorum. Si etiam ex eis constituitur, tunc ipsum esse erit pars eius essentialis, quod est contra ipsos aut contra multos ipsorum; tunc etiam accidentale cum essentiali constitueret [c] substantiam; prima enim substantia, in quantum prima, quae idem est quod suppositum, est in praedicamento substantiae [d] solum.

Dictum vero secundae opinionis multo minus placuit eis, quia si suppositum dicit susceptibilitatem accidentium et non natura: tunc oportet quod addat aliquam potentiam susceptivam accidentium et sic per consequens materiam seu aliquid quodcunque in quo fundetur huiusmodi potentia. Si etiam suppositum se habet ad naturam sicut totum ad partem: tunc oportebit quod habeat aliam partem praeter ipsam naturam ex qua cum ipsa natura constituatur; nullum enim totum constituitur ex sola una parte, quia nec tunc esset maius illa, immo ipsa esset ipsum totum. — Non potest autem dici quod alia [e] pars sint ipsa accidentia [f]; quia tunc ex accidentibus constitueretur substantia, et quia tunc substantialia cum accidentalibus [g] vere constituerent aliquid vere unum [h], quod est contra Philosophum, VII *Metaphysicae* [1]; tunc enim non fundarentur in ipso supposito, sicut accidentia in suo subiecto, sed potius sicut partes in suo toto. Et hoc idem sequeretur, si verum esset quod suppositum comprehenderet in se accidentia, sicut suo modo genus differentias; et tunc ita deberent dici natura eius sicut et ipsa natura substantialis aut potius nec natura substantialis nec ipsa deberent dici natura eius, sed solum partes constitutivae naturae eius. Si etiam verum est quod suppositum sit informabile ab accidentibus, non autem natura eius, sicut praedicta positio dicit: tunc suppositum addit ad naturam aliquod ens informabile quod informatur ab accidentibus.

---

[a] B[7] add. *sustentativum.* [b] B[7] *oportet.* [c] Ita B[7] B[6], V *constitueretur.* [d] Ita B[7], V *substantiale.* [e] B[7] *aliqua.* [f] Ita B[7], V add. *tum quod.* [g] B[7] *accidentibus.* [h] B[7] B[6] add. *et fieret ex eis aliquid vere unum.*

---

[1] Lib. VII 4, 1030 b 4 ssq.; cap. 5, 1031 a 1 sqq.; cap. 13, 1038 b 23 sqq.

Ultimi autem moti sunt ad dicendum quod non adderet solam privationem, quia cum per se esse sit nobilior et actualior modus essendi quam esse in alio, oportet quod sit magis positivus. Cum etiam ablata ratione suppositi auferatur ratio entis et ratio totius et ista dicant quid vere positivum: oportet quod ratio suppositi addat quid vere [a] positivum. Si etiam non diceret nisi privationem nec adderet ad naturam [b] nisi rationem negativam: ergo in divinis non diceret suppositum nisi rationem negativam solum nec adderet [c] aliquam rationem positivam ad essentiam; et sic ita parum esset plurificabile in divinis sicut et essentia, nec plurificatio eius esset ibi plurificatio alicuius positivi, sed solum quarundam [d] negationum. — Dixerunt igitur isti [e] quod supra naturam individualem addit rationem per se entis, ita quod nec per se ens dicit totam rationem suppositi, sed per se ens cum individuatione acceptum. Ratio autem quam addit per se ens ad naturam non est ratio formalis aut essentialis; non enim dicit id quod dicit per modum formae aut essentiae, sed potius per modum entis; unde se habet ad rationem naturae sicut suo modo se habet ratio concreti ad rationem abstracti. Unde non dicit rationem disparatam a ratione naturae, sed dicit ipsam naturam non solum per modum naturae, sed etiam per modum entis; unde ens secundum eos est idem quod essentia sumpta per modum entis.

Hae igitur sunt opiniones quas legere vel audire potui et forte sunt aliquae aliae quas nec audivi nec legi. Quae autem istarum sit verior sapientium iudicio derelinquo.

[Solutio Obiectorum]

Ad argumenta tamen utriusque partis, prout potero [f], respondebo.

Ad primum igitur primae partis dicendum quod ratio suppositi non fundatur in natura qualicunque, sed solum in natura quae est sufficienter et actualiter actualis ad subsistendum; complementum autem huius actualitatis potest multis naturis creatis advenire et deperire; sed in eius adventu non additur sola ratio suppositi, sed additur vera actualitas quae est aliquid ipsius naturae. Et eodem modo, quando

---

[a] Al. m. mg. *positivum... vere.* [b] B^7 om. *a. n.* [c] Ita B^7 B^6, V *adderent.* [d] B^7 *quorumdam.* [e] B^7 om. [f] B^7 *credo.*

tollitur, non tollitur sola ratio suppositi, sed etiam complementum actualitatis ipsius naturae qua erat actualis ad existendum et hoc actualiter. — Si autem dicatur quod tunc illud complementum actualitatis esset accidens et sic per consequens ratio suppositi: dicendum quod non omne quod advenit et deperit alicui ipso manente est accidens seu accidentale illi cui advenit; quia sic multae formae substantiales essent accidentales suae materiae et multae differentiae suis generibus et existere [a] in alio, sicut existunt partes in suo toto, esset accidentale multis partibus substantialibus, cum illud esse in seu [b] illa unio possit eis advenire et deperire. Non est igitur verum simpliciter, sed solum quando illud cui advenit manet aeque substantialiter completum in illius adventu et in illius recessu; illud enim solum vocamus accidens quod non facit ad substantiale complementum rei. Hoc igitur complementum actualitatis est complementum [c] naturae substantiale, quoniam per ipsum completur in esse substantiali et per ipsum assumit rationem entis et totalis substantiae.

Ad secundum dicendum quod non nego quin existere in se addat aliquid ad naturam cuius est, non tamen addit aliquid ad naturam completam et actualem ad per se existendum; quia nec existere in alio addit aliquid ad naturam, prout est sufficienter impendens alteri ut [d] supposito; illud enim esse in est aliquid ei substantiale.

Ad tertium dicendum quod naturam [e] aliquando accipimus pro illa essentia quae est communis ad existere in se et ad existere in alio, ita quod, in quantum talis, non dicit quid existens in se vel in alio, sed solum quid possibile existere in se vel in alio, ita quod per actualem impendentiam et unionem ad aliud efficitur actualiter existens in alio et per adventum absolutae actualitatis efficitur existens in se; natura igitur sic sumpta non potest praedicari de supposito. Prout autem natura sumitur cum complemento illius actualitatis quo existente necessario existit ratio suppositi, sic, quantum est de vi realis identitatis, potest praedicari de supposito et e contrario; et sic praedicatur suppositum de natura divina quae non potest non [f] habere huiusmodi complementum. Sed quantum est de diversitate rationis, non proprie praedicatur unum de altero; ratio enim naturae, in

---

[a] B^7 *existens.* [b] B^7 *scientia.* [c] Al. m. mg. *a. e. c.* [d] B^7 *alterius* pro *a. u.* [e] B^7 om. [f] B^7 om.

quantum talis, non est ratio suppositi nec e contrario. Licet igitur id ipsum quod est [a] natura sit suppositum: non tamen, in quantum est natura, est suppositum [b], sumendo reduplicationem ratione diversitatis rationum et non ratione identitatis realis. — Si quis tamen instaret [c] contra tres praemissas responsiones [d] trium praedictorum argumentorum dicendo quod quando per agens violentum pars aquae vel cuiuscunque totius homogenei praescinditur a toto in quo prius erat, tunc oportet secundum praedicta quod a praedicto agente violento aggeneretur eidem parti aliquod complementum actualitatis essendi per quod fiat quoddam suppositum seu quoddam per se ens; et tunc cum [e] hoc sequetur quod illud complementum educat de potentia materiali illius partis ac per consequens quod sit naturale agens et quod eius actio per quam hoc adducet [f] sit naturalis et non violenta; sequetur etiam quod in morte hominis naturali vel violenta corpus eius acquirat quoddam complementum essendi; et tunc tam de ipso quam de praedictis partibus sequetur quod nobilius esse et plus de actualitate habeat extra sua tota quam quando erat eis unita; et hoc ipsum sequeretur de natura Christi [g] humana; sequeretur etiam tam de natura Christi humana quam de aliis praedictis quod non haberent in se unde possent per se subsistere, si separarentur a suo priori toto vel supposito; et tunc videretur quod perfecta forma substantialis cum perfecta materia non sufficerent ad complendum substantiam et rationem substantiae; si quis igitur ex hoc dicere vellet quod praedicta nullo alio [h] indigent ad per se essendum nisi solum quod auferatur eis illa inclinatio et unio qua suis totis et eorum partibus sunt unita et inclinata seu illud esse in per quod in suo toto existunt quod idem est: non clare mihi occurrit ratio bona. Nihilominus tamen adhuc non oporteret quod suppositum seu ratio suppositi nihil diceret positivum, sed [i] solam negationem huiusmodi esse in; quia semper in sua [k] ratione includeret totam naturam, ut est sufficienter actualis ad per se existere, et ultra hoc huiusmodi negationem; et primum diceret directe, hanc autem [l] negationem non diceret nisi [m] oblique et quasi per modum differentiae. Posset etiam fortassis dici

---

[a] B^7 *habet.* [b] Al. m. mg. *non tamen... suppositum.* [c] Ita B^7, V *instare.* [d] Ex *responsitones.* [e] Al. m. mg. [f] Al. m. ex *educet.* [g] Al. m. mg., del. *ipsi.* [h] Al. m. ras. [i] Add. interl. al. m. [k] Al. m. mg. *i. s.* [l] Al. m. mg. [m] Al. m. mg.

quod licet [a] generaliter loquendo per se esse sit nobilius quam esse in: tamen tale esse in quale habent illa in suis totis est nobilius quam illud per se esse quod habent extra sua tota.

Ad quartum dicendum quod natura primo modo accepta se habet [b] ad suum suppositum sicut pars ad totum; addit enim tunc suppositum ad naturam sic acceptam complementum actualitatis absolutae et independentis. Sed natura secundo modo accepta non se habet secundum rem ad suum suppositum sicut pars ad totum, sed solum secundum modum intelligendi. Suppositum enim dicit id quod dicit per modum totius et entis, natura vero secundo modo accepta dicit id ipsum non per modum entis, sed per modum essentiae; ratio autem entis se habet ad rationem essentiae, etiam completae, per quandam additionem, non quod addat aliam essentiam, sed solum rationem realem. Et ideo intellectus accipit eam respectu eius quasi per modum partis fundamentumque suae veritatis habet in diversitate rationum realium et in diverso modo earum. Quia autem modus et proprietas praedicationum sequitur modum intelligendi et rationum realium, licet veritas praedicationum sequatur potius veram entitatem rei: ideo etsi vera sit praedicatio suppositi de natura et e contrario, non tamen est omnino propria.

Ad quintum dicendum quod prima non est vera, nisi ei [c] aliquid addatur sic dicendo: omnis natura non participata nec participans nec ex participante et participato composita habet rationem naturae divinae; alias enim materia prima et omne primum participans et omne suppositum esset Deus, cum talia non possint ab aliis participari nec in aliis recipi. Naturae igitur creatae non sunt Deus, quia aut sunt participatae aut participantes aut compositae ex participante et participato. — Alia etiam pars propositionis sic debet compleri: omne in se et per se absolute existens et ita per se quod non [d] per partes et ita absolute quod nullam habet impendentiam in se nec in aliquo sui habet rationem divinae naturae; sine istis autem additionibus praedicta propositio non est vera. Sic autem non est [e] verificabilis in natura creata, quamvis sit idem quod suum suppositum quod adhuc habet partes ex quibus existit, quae partes non sunt in se, sed in suo toto existentes.

([a]) Add. interl. al. m. ([b]) Al m. ras. ([c]) B^7 om. ([d]) Add. mg. ([e]) Al. m. mg. *n. e.*

Ad sextum dicendum quod natura non potest dici forma sui suppositi, sumendo naturam pro totali [a] essentia sui suppositi, sicut in quaestione ista communiter sumitur. Licet enim forma et materia dicantur esse natura [b] in II *Physicorum* [1], communiter tamen in proposito accipitur nomine naturae tota essentia et quidditas suppositi. Nec forma etiam partialis dicitur esse forma sui suppositi, quasi informet ipsum sicut materiam suam, sed solum quia [c] est eius pars formalis; sic enim et materia dicitur materia sui suppositi, non quasi recipiat ipsum in se, sed quia est pars eius materialis. Natura autem, prout stat pro tota essentia, multo minus potest se habere ad suum suppositum sicut forma ad informabile seu ad materiam; quia tunc omnes partes essentiae seu naturae oporteret esse formales; nec tunc suppositum esset aliud quam materia suae naturae; et tunc ex natura et supposito fieret tertia natura, sicut fit ex materia et forma. Forma igitur hic sumitur aequivoce seu analogice, quia enim materia habet rationem sustinentis respectu suae formae et forma rationem actus respectu [d] suae materiae, suppositum autem in eo quod dicit rationem totius et entis dicat secundum modum intelligendi rationem sustinentis et secundum rem habeat rationem sustinentis respectu aliarum essentiarum quae in se et in sua essentia firmantur, natura vero dicat rationem quidditatis et entitatis sui suppositi: inde est quod intellectus attribuit [e] naturae totali nomen formae. Et ex hoc exivit divisio illa quod alia est forma partis, alia est forma totius, licet quidam dixerint aliter, formam totius vocantes universalia [f] quae realiter, in quantum talia, ponebant in [g] individuis, sicut in praecedentibus est tactum. Illud igitur quod ad probationem minoris assumitur non est simpliciter verum; aliter enim est ens materia per formam, aliter suppositum per suam naturam; ibi enim est per receptionem entitatis formalis, hic autem per veram identitatem ad totalem suam entitatem.

Ad septimum dicendum quod omnis natura creata est dependens a creatore et secundum hoc oportet quod figatur [h] et stabiliatur a Deo; sed non omnis natura creata est

---

([a]) Corr., B^7 B^6 *tali.* ([b]) B^7 *vera.* ([c]) B^7 *quod.* ([d]) B^7 om. ([e]) B^7 *attribuitur.* ([f]) B^7 *verba.* ([g]) B^7 om. ([h]) Al. m. ras.; al. m. mg. *et.*

([1]) Arist., *Phys.*, II, 1, 192 b 34 sqq., 193 b 4 sqq.

dependens ab alio sicut a suo supposito; alias nihil esset dare in creatis per se existens; quicquid enim daretur, eadem ratione esset dependens et non per se existens qua ratione hoc poneretur de omni natura creata. — Si autem dicatur quod ad minus oportebit quod suppositum dicat aliquid realiter differens ab omnibus partibus suis, utpote a materia et a forma, quia oportet dare aliquid fixum in quo tanquam in suo supposito partes omnes firmentur: dicendum quod non oportet quod dicat aliquid realiter differens ab omnibus partibus simul sumptis, sed solum a qualibet per se sumpta; quaelibet enim pars (a), saltem de principalibus, habet aliquid firmitatis per quod potest firmare aliam et quaelibet habet aliquid dependentiae secundum quam firmatur in altera parte, ut verbi gratia materia secundum potestatem receptivam habet figere impendentiam formae, forma vero secundum actualitatem unitivam habet figere fluxibilitatem (b) materiae. Pro tanto igitur quaelibet firmatur in supposito, quia firmatur in aliqua parte suppositi et quia constituendo unum suppositum firmum in se et fixum firmitatem suppositi quod constituunt obtinent; non autem firmantur partes in ipso supposito, quasi in ipso sicut in quodam recipiente plantentur, cum suppositum non dicat rationem recipientis vel subiecti respectu suarum (c) partium, sed solum respectu suorum accidentium.

Ad octavum dicendum quod esse in quo natura subsistens dicitur esse in se non dicit habitudinem realem, sed solum secundum modum intelligendi; quoniam nec ibi sumitur realiter esse in, cum omne esse in importet realem inhaerentiam aut impendentiam aut saltem unitivam assistentiam. Unde per esse in in proposito non significatur aliud quam absoluta actualitas existendi nulli alteri a (d) se impendens; alias eadem ratione oporteret quod suppositum differret realiter a se ipso, quia multo magis dicitur hoc de supposito quod sit in se ipso; nec enim natura dicitur esse in se ipsa, nisi in quantum dicitur habere rationem suppositi.

Ad nonum dicendum quod suppositum non subicitur proprie et per se accidentibus nisi per materiam seu per aliquid quodcunque quod est in eo potentiale et passivum; firmantur tamen in materia et in suo esse non solum per materiam eius, sed etiam per formam firmantem eorum materiam et ipsa aliquo modo originantem et causantem, cum

(a) B7 om. (b) Al. m. corr. (c) Al. m. (d) Al. m. ras.

materia et forma sint partes naturae sicut et suppositi; natura etiam talis suppositi subicietur et subsistet [a] accidentibus. Non tamen bene dicetur quod humanitas sit alba aut calida aut tricubita; quia cum intellectus accipit naturas per modum quidditatis abstrahendo ab eis rationem suppositi: tunc quicquid eis attribuitur intelligitur eis attribui sicut quidditati et non sicut supposito aut subiecto; partes autem quidditatis possunt solum attribui quidditati ut quidditati [b] et non aliquod accidens immo nec aliqua alia ratio realis, quamvis esset [c] essentialis et realiter eadem. Non igitur causatur haec ex diversitate reali, sed potius a diverso modo intelligendi et ex veritate diversarum rationum realium. Alias secundum rem ita est verum quod natura huius corporis est extensa sicut quod corpus est extensum; quamvis in humanitate et animalitate hoc non possit plene dici ratione omnium partium, sed solum ratione alterius partis, quoniam anima quae est altera pars earum non est calida vel tricubita seu extensa.

Ad decimum dicendum quod licet suppositum realiter non contineat suam naturam, pro eo tamen quod dicit id quod dicit per modum entis et totius, natura autem per modum essentiae et quasi per modum partis formalis: inde est quod bene dicitur quod haec natura est huius suppositi; secundum enim modum intelligendi le « huius » dicit ibi habitudinem quasi continentis et quasi totius.

Ad primum autem [d] alterius partis dicendum quod secundum illos qui ponunt quod esse et per se esse sint substantialia, consequentia tamen ipsam essentiam seu naturam suppositum addit ad naturam aliquid essentiale; secundum illos vero [e] qui ponunt ea esse accidentia addit aliquid accidentale.

Ad primam igitur probationem primae partis antecedentis dicendum quod quamvis suppositum [f] non addat ad naturam formam aut materiam, addit tamen actum essendi et modum essendi [g] qui est per se esse. — Ad secundam vero dicendum quod extra essentiam rei potest aliquid esse dupliciter: aut quia degenerat in [h] aliud genus, ut dicatur esse extra essentiam, quod est, extra suum genus

---

[a] B^7 B^6 *subiceretur et subsisteret* pro *s. e. s.* [b] Al. m. mg. *u. q.* [c] B^7 om. [d] Add. interl. al. m. [e] B^7 *vere,* B^6 *tamen.* [f] B^7 om. *qui ponunt... suppositum.* [g] B^7 B^6 om. *e. m. e.* [h] B^7 B^6 *ad.*

seu extra suam speciem; alio modo potest dici esse extra suam essentiam, quia est extra constitutionem essentiae, ita quod non est de principiis intrinsecis intrantibus [a] constitutionem essentiae. Et hoc modo a multis negatur minor propositio qua dicitur quod extra essentiam rei non potest esse aliquod [b] essentiale et quod omne essentiale sit aliquod de principiis constitutivis essentiae; et hoc modo suppositum addet esse et modum essendi. — Ad tertiam patet per hoc idem, quia secundum praedictos prima propositio non erit vera nisi de essentiali quod intrat constitutionem essentiae, quamvis nec de omni tali simpliciter sit verum; gradus enim albedinis secundum quem album sit magis album non constituit cum priori naturam tertiam, ad minus ita quod sit alterius speciei, nec inclinatio quae datur multis naturis, quando amittunt esse per se et incipiunt existere in alio supposito, quamvis sit eis substantialis, tamen non [c] constituit cum eis proprie tertiam naturam nec facit eam esse alterius speciei, sed solum facit eam esse alterius entis seu suppositi. Quando enim essentiale quod additur est eiusdem speciei, tunc nunquam mutat speciem, aut quando est tale quod circuit omnes differentias specificas et omnes naturas generum et specierum praedicamenti sui, impossibile est [d] quod tale essentiale sit aliqua differentia specifica contrahens ad determinatam speciem. Tale autem est in substantiis esse in alio et esse per se; respiciunt enim omnem essentiam substantiae creatae et in quantum talem. Hoc autem amplius tangetur in quaestione de humanitate Christi. — Ad quartam dicendum quod suppositum non dicit tantummodo illud quod addit ad naturam [e], sed utrumque simul.

Ad primam autem probationem secundae partis praedicti antecedentis dicendum sustinendo illos qui ponunt quod suppositum [f] addat ad naturam aliquid accidentale: illud enim accidentale [g] quod addet non erit ipsum suppositum, sed potius illud quod constituetur ex eis. — Ad secundam dicendum quod sicut album dicit aliquod accidens et tamen nihil dicit sibi accidentale: ita poterit dici de supposito et de ipso particulari ente. — Ad tertiam dicendum quod secundum illos qui ponunt quod per se esse [h] sit accidens per se esse non erit differentia substantiae, nisi prout per hunc

---

(a) B^7 om. *constitutionem ... intrantibus.* (b) Al. m. mg., del. *ad°.* (c) B^7 *non tamen.* (d) B^7 *enim.* (e) Ita B^7 B^6, V *natura.* (f) Sequitur ras. (g) Al. m. corr. (h) Ita B^7 B^6, V om.

actum significare intendimus aptitudinem et potestatem per se essendi et non ipsum actuale existere; quamvis et possit dici quod suppositum non addit ad naturam communiter acceptam solum per se esse, immo ad ipsam addit ultra hoc singularitatem, sed ad naturam individualiter acceptam non addit [a] nisi rationem per se essendi. — Ad quartam dicendum quod uno modo potest dici quod per se esse non includitur in generibus et speciebus substantiae directe et per se, prout dicit actualem existentiam et actualem modum essendi [b], sed solum prout dicit aptitudinem et potestatem per se essendi. Alio modo potest dici quod per se ens potest accipi dupliciter: aut scilicet generaliter aut determinate. Determinate autem accipi voco, quando in quantum tale potest actualiter per se esse; et hoc modo sola supposita seu primae substantiae habent rationem per se entis, secundae enim substantiae, in quantum tales, non possunt per se esse, ut scilicet existant per se in sua universalitate absque aliquo individuo; quia tunc veraciter, in quantum talia, essent quaedam supposita et primae substantiae; et [c] pro tanto ab Aristotele [1] primae substantiae dicuntur [d] magis esse substantiae, quia magis primo et per se subsistunt et existunt. Generaliter autem accipi voco, quando generaliter per hoc intendimus significare ipsas substantias per modum entis et totius non cointelligendo ibi hoc vel illud [e] seu aliquam individuationem; sicut suo modo facimus, quando dicimus quod non solum tres personae sunt una essentia et divinitas, sed etiam unum ens et unus Deus. Et hoc modo sumimus [f] per se ens quasi neutraliter, alio modo non solum neutraliter, sed etiam quasi masculine; per masculinum enim significatur [g] quis seu aliquis seu hic vel ille. Primus autem modus accipitur secundum rem in praedicamento substantiae et ideo naturae ibi in abstracto acceptae non habent rationem generis aut speciei; unde non vere dicitur « humanitas est animalitas », ad minus secundum communem opinionem. In praedicamentis autem accidentium accipitur secundum modum intelligendi; unde quando dicitur quod albedo est color, color non stat ibi tantum pro

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. corr. [c] B[7] *enim.* [d] Al. m. mg. *et pro... dicuntur;* B[7] B[6] *dicuntur,* V *dicunt.* [e] B[7] *aliud.* [f] Ras. [g] B[7] *consignificatur.*

---

[1] *Cat.*, cap. 5, 2 a 11 sqq.; *Metaph.*, VII, 13, 1038 b 6 sqq.; VII, 16, 1040 b 22 sqq.

ipsa quidditate coloris, sed pro ente quod secundum modum intelligendi habet talem quidditatem; alias enim non posset dicere totum respectu albedinis et aliarum specierum suarum, sicut debet dicere genus respectu specierum suarum.

Ad secundum principale dicendum [a] quod illud quod non est actu existens multo minus est actu existens in se; si ergo natura, in quantum talis, non est actu existens secundum illos qui volunt quod actus essendi per quem existit non sit omnino idem quod ipsa: tunc ipsa, in quantum talis, non erit existens in se, sed solum in quantum sumitur cum actu et modo per se essendi [b].

Quoniam autem quidam aliquando importune quaerunt [c] quae praedictarum positionum verisimilior videatur, dico secure quod suppositum, in quantum tale, non potest proprie et realiter esse in genere accidentis, cum directa ratio eius sit ratio primae substantiae seu primi et totius subsistentis in quo omnia accidentia subsistunt sive potius insistunt. Puto autem in theologicis tutius esse uti utraque illarum duarum, quarum una dicit quod ad naturam nihil addit realiter diversum, altera vero quod immo, et monstrare [d] quomodo utraque istarum veritati nostrae fidei non obest, sed potius famulatur [e].

Alias tamen quibusdam, inter quos et mihi, verisimilius esse videtur quod [f] nihil addat realiter diversum. Cuius prima ratio est: quia amota a tali natura omni impendentia et insistentia ad suppositum alterius naturae nulloque [g] alio suae essentiae addito, constat quod talis natura adhuc erit actu et constat quod non in alio, sed solum in se ipsa. — Secunda ratio est: quia quicquid sit illud quod adderet, posito quod [h] a Deo auferetur nullo alio addito, constat quod illa essentia adhuc erit, et utique non in altero, cum nullum esse in sit sibi adiectum. — Tertia est: quia prima ratio subsistendi seu subsistentis est in materia, omnia enim fundantur in ipsa sicut in primo recipiente; ad subsistendum autem et ad recipiendum non eget alio praeter se ipsam, et, si eget, hoc non est nisi formalis dispositio priorum formarum [i] respectu posteriorum. — Quarta est: quia cum dico « esse per se » vel « esse in se ipso », hoc quod dico « in

---

[a] Ita B^7 B^6, V om. [b] Hic desinunt B^7 B^6. [c] Al. m. [d] Ex *monstraare*. [e] V *fallatur*. [f] Al. m *v. q.* [g] Al. m. [h] V *quid*. [i] Ras.

se » vel « per se » nihil addit ad esse cui adiungitur (a) nisi solum « id ipsum », sicut ex ipsa ratione pronominis patet, quod est relativum reciprocae identitatis (b). — Quinta est: quia illud quod addet suppositum ad naturam oportet quod sit receptum et sustentatum in materia seu in passiva potentia ipsius naturae et per consequens quod ipsa natura sit quodam modo suppositum illius additi. — Sexta est: quia illud additum non erit aliqua forma seu formalis differentia nova, quia tunc novam et differentem speciem faceret. Non etiam erit novus gradus alicuius formae prioris, tum quia tunc formas illas intenderet seu intensive augeret, tum quia gradus formae posterior non alia ratione spectat ad per se existere quam gradus priores (c). Non etiam est reflexio sui super se seu inhaesio vel impendentia sui ad se, tum quia talis reflexio esset habitus vel operatio vel aliqua essentia intermedia inter rem et inter rem eandem, tum quia res non unitur sibi ipsi (d) ad constituendum aliquod tertium compositum ex se ipsa et se ipsa tanquam ex duobus extremis, tum quia illud super quod terminabitur reflexio illa erit ipsum suppositum.

Forte dicetur quod illud quod addit est absolutus modus existendi; qui modus dicit aliquid (e) magis positivum quam faciat (f) modus essendi respectivus qui dicitur esse in alio. — Sed contra hoc arguitur quod huiusmodi absolutio nihil reale addit ad essentiam naturae cuius est, sed solum dicit ipsam nihil ad aliud suppositum impendentem nec per modum talis (g) impendentiae ad aliud relatam. Praeterea, si dicit aliud, tunc illud solum habebit rationem per se existentiae (h) et absoluti esse, et tunc totum essentiale esse ipsius naturae quod est omnino id ipsum quod ipsa erit omnino alienum a per (i) se esse sive a per – se – existentia sua et suae naturae. Praeterea, cum illud additum inhaereat et impendeat naturae cui additur et (k) partibus eius: quomodo illud est absolutius quam ipsa natura vel eius esse, quod non dicit aliud quam actualitatem suae essentiae concretive sumptam?

Quod autem supra obicitur quod absolutus modus essendi dicit quid non minus positivum quam modus essendi alteri relative impendens: dicendum quod licet dicat quid non minus positivum, non propter hoc sequitur quod illud

---

(a) Al. m. *iungitur*. (b) Al. m. (c) Al. m. ex *prioris*. (d) Al. m. *u. s. i.* (e) Sequitur ras. (f) Al. m. (g) Add. interl. al. m. (h) Al. m. (i) Al. m. mg. *a. p.* (k) Al. m. in ras.

quod ponit sit realiter aliud ab ipsa natura; sicut et personale existere Dei, quamvis sit maius positivum quam quodcunque esse creatum, non propter hoc sequitur quod dicat aliud realiter differens ab essentia sua.

Si vero iterum instetur quod si suppositum nihil reale addit ad naturam suam, tunc quamdiu illa natura erit actu, semper necessario erit suppositum in se ipsa per se existens, ex quo sequeretur [a] quod humanitatis Christi esset quaedam persona creata: dicendum quod hoc quidem sequeretur, si suppositum ultra positivam rationem naturae realiter in se non includeret negationem [b] et praecisionem omnis modi essendi in alio ut in supposito; haec [c] autem negatio [d] seu ratio negativa tollitur [e] per solam additionem talis modi esse in, factam ad naturam.

---

[a] Al. m. mg., del. *sequitur;* post *quod* adde *suppositum.* [b] Al. m. [c] In mg. [d] Al. m. mg., del. *natura.* [e] Al. m. in ras.

Deinde quantum ad essentiam substantiae creatae et intrinsecorum ac constitutivorum principiorum eius quaeruntur septem.

QUAESTIO XVI.

Primo quaeritur an in angelis et in omnibus substantiis intellectualibus sit compositio materiae et formae.

Et quod non videtur.

Et primo per vias communes omnibus entibus creatis[a], deinde per vias proprias substantiis intellectualibus.

Viae autem communes ad hoc sunt quatuor.

Ostenditur enim hoc primo ex parte divinae potestatis super creatis[b] et cum hoc ex parte conditionum nobilium in creaturis participatarum[c].

1. Omne enim illud potest esse in creatura et a Deo fieri in quo non implicatur aliquid repugnans conditionibus creaturae; sed simplicitas absque omni compositione non repugnat conditioni creaturae; ergo talis simplicitas poterit esse in creaturis, saltem in nobilioribus. Probatio minoris: veritas enim, entitas[d] et bonitas sunt aeque nobiles tam in Deo quam in creaturis sicut et simplicitas; sed veritas potest creaturae communicari salvis conditionibus creaturae absque aliqua permixtione falsitatis et bonitas absque aliqua permixtione[e] pravitatis et entitas absque mixtura nihilitatis; ergo eadem ratione simplicitas[f] poterit communicari absque mixtura cuiuscunque compositionis; sed[g] si hoc potest fieri, verisimile est hoc esse factum in nobilissimis creaturis; ergo et cetera. Praeterea, si primis principiis quae sunt entia[h] incompleta et partes substantiarum potuit com-

---

(a) Al. m. mg. (b) B^7 *creati.* (c) Ita B^6, V B^7 *participatorum.* (d) Al. m. corr. (e) Al. m. mg. *f. e. b. a. a. p.* (f) Al. m. ex *simplicitatis.* (g) B^7 om. (h) Ex *essentia.*

municari omnimoda simplicitas absque repugnantia suae imperfectionis, ergo multo magis hoc potuit entibus completis.

2. Item, non minus potest Deus ante creationem quam post, nec spiritualia sunt minus remota aut minus separabilia a defectu potentialitatis et inhaerentiae quam corporalia et accidentalia; sed Deus post creationem separat accidentia corporalia a subiecto et materia et aufert eis actualem inhaerentiam et dat eis per se existentiam, sicut patet in sacramento altaris; ergo et hoc potest ante creationem; et tunc multo fortius hoc poterit in formis substantialibus et potissime in spiritualibus; poterit igitur eas creare ab initio sine materia. — Si dicatur quod ipsa accidentia ([a]) semper, quantum est de se, inhaerent: contra, sicut impossibile est dare motum finitum sine termino, ita inclinationem et inhaerentiam finitam sine termino; omnis autem inhaerentia creata est finita; ergo omnis talis habet terminum qui eam actu terminat; sed in accidentibus separatis a subiecto et materia non est dare aliquid actu terminans; ergo et cetera. Praeterea, impossibile est ([b]) quod aliquid etiam a Deo inclinetur ad nihil tanquam ad aliquem realem terminum; sed materia et subiectum accidentium separatorum est nihil; ergo impossibile est quod eis actu inhaereant seu quod inclinentur ad ipsa.

Secundo ostenditur hoc ex parte quidditatis et rationis tam materiae quam formae.

3. Quod enim secundum suam rationem est nihil nullius potest esse pars constitutiva; sed materia secundum hoc quod dicit aliquid distinctum a forma est mere nihil; ergo secundum hoc compositionem non faciet et multo minus secundum hoc quod est indistincta a forma. Minor patet: quia secundum Aristotelem, in *Metaphysicis*([1]) et II *De anima*([2]), actus est idem quod forma et e contrario ([c]); et si materia, prout distinguitur a forma, dicit aliquam essentiam et non mere nihil ([d]), ipsa erit vere actus et ita per consequens erit vere ([e]) forma; et sic etiam cessabit compositio materiae cum forma, saltem illa quae hic quaeritur. Quod autem tunc sequatur ipsam esse actum videtur: omnis enim essentia est actus entis, quoniam est illud per quod ens est ([f]); ergo si

([a]) B[7] om. ([b]) Ita B[7] B[6], V om. ([c]) Al. m. in ras. *e. c.* ([d]) Al. m. ([e]) Ex *verae.* ([f]) Ex *ens.*

([1]) Lib. VIII, 2, 1043 a 26 sqq.; VIII, 3, 1043 b 28 sqq.; IX, 8, 1050 a 15 sq., b 2 sq. et alibi saepe. ([2]) Cap. 1, 412 a 10 sqq.

habet essentiam, habet actum. — Si dicatur quod non omnis actus est forma et materia non habet talem actum qui possit habere rationem formae: contra, quia si aliquo modo dicit actum sive essentiam, tunc conveniet cum forma in ratione actus sive essentiae tanquam in suo communi; et tunc oportebit dare aliquas differentias per quas communis ratio actus determinetur [a] ad actum qui est materia et ad actum qui est forma; has autem non est dare, quia non potest dici quod illae sint actus perfectus et imperfectus, quia secundum hoc omnis forma imperfecta esset vere materia; conveniret [b] enim sibi tota definitio materiae, scilicet actus imperfectus. Praeterea, perfectum et imperfectum de se non distinguunt rem secundum genus aut speciem, cum in eadem specie et in eodem genere sint aliqua perfectiora aliis, immo etiam idem numero est aliquando perfectius et aliquando imperfectius, ut eadem albedo numero, quando est intensa et quando est remissa. Praeterea, formae et materiae nec quibuscunque primis principiis entium potest dari aliquid commune per modum universalis, ut videtur.

Tertio ostenditur hoc ex conditionibus quae attribuuntur materiae secundum hoc quod est materia.

4. Attribuitur enim sibi potestas recipiendi seu receptio et potestas stabiliendi seu substantificandi dependentiam et inhaerentiam formarum. Cum enim existere in se et taliter quod alia stabiliat in se ipso sit actus entis nobilissimus: ergo materia, secundum hoc quod [c] est materia, dicet actum entis nobilissimum; soli enim materiae in rebus in quibus materia ponitur convenit existere in se et non in alio et nihil ponitur posse subsistere nisi in ea; omnium enim formarum dependentia in ea figitur et stabilitur. Ipsa igitur [d] habebit secundum suam rationem essentiam actualissimam et nobilissimam, et ita impossibile est quod dicat aliquid distinctum a forma ac per consequens quod faciat compositionem cum forma, saltem [e] talem qualis hic quaeritur. Si etiam omne recipiens prius naturaliter est actu quam actu in se recipiat: ergo materia cui competit alia recipere prius naturaliter erit actu quam aliquid recipiat; sed esse non potest actu, nisi habeat in se rationem et actualitatem formae; ergo oportet quod ipsa non sit realiter distincta a forma.

---

[a] Ita B^7 B^6, V *determinentur*. [b] Al. m. corr. in ras. [c] Ita B^7 B^6, V om. [d] B^7 *enim*. [e] Al. m. corr. in ras.

Quarto ostenditur hoc ex parte componibilitatis et compositionis ipsorum.

5. Quodlibet enim extremorum componentium oportet quod sit alteri unitum et inclinatum et appropriatum; hoc autem esse non potest, nisi in quolibet sit aliqua inclinatio et appropriatio; sed inclinatio et ipsum quod per eam est inclinatum differunt, sicut potentia et actus et sicut forma et informatum; inclinatione enim amota ipsum inclinatum non esset actu inclinatum, sed solum esset inclinabile et in potentia ad actualem inclinationem; ergo si materia est in rebus faciens compositionem cum forma, tunc adhuc tam ipsa quam forma erunt compositae ex potentia et actu et ex forma et informato seu informabili. — Si dicatur quod unumquodque per se ipsum est inclinatum et appropriatum: contra, idem enim non potest esse actus sui ipsius nec potentia sui ipsius nec informatum a se ipso nec substratum sibi ipsi, sed ipsum inclinatum substernitur suae inclinationi et informatur ab ipsa et est in potentia respectu eius; nisi forte dicatur quod ipsum inclinatum, in quantum est tale, non est aliud quam sua inclinatio; quod tamen esse non potest, quia tunc non esset ibi aliud quam mera (a) inclinatio nec esset ibi aliquid (b) secundum rem inclinabile nec inclinatum, sed solum secundum modum intelligendi; ac per consequens nec ibi esset secundum rem inclinatio, cum omnis inclinatio sit alicuius inclinabilis et alicuius per eam actu (c) inclinati.

6. Item, ad idem: Quod non cadit in definitione alicuius nisi (d) per accidens non est de constitutione suae essentiae nisi per accidens et non per se; sed in definitione substantiarum non cadit materia nisi per accidens secundum Aristotelem, VII *Metaphysicae* (1). Vult enim ibidem quod in definitione totius non cadunt partes (e) materiales sed solum formales, quin potius e contrario totum cadit in definitione partium materialium. Averroes etiam vult ibidem (2) quod cum definitum dicat totam essentiam et speciem definiti, forma autem constituat rem in specie nec materia sit necessaria nisi ad (f) actualem existentiam (g) speciei, quia secundum eum si forma posset esse per se (h), completior esset res (i)

(a) Al. m. in ras. (b) B7 *aliud*. (c) Ex *actus*. (d) Ita B7, V *non*. (e) B7 om. (f) Al. m. mg. (g) B7 *essentiam*. (h) Al. m. mg. (i) B7 om.

(1) Cap. 10, 1035 a 1 sqq., b 33 sqq.; cap. 11, 1036 a 31 sqq. (2) *Metaph.*, lib. VII, cap. 12, n. 35 (vol. VIII, f. 186 r b sqq.); lib. VII, cap. 13, n. 37 (vol. VIII, f. 189 r a).

secundum suam speciem quam sit nunc cum materia: vult, inquam, quod materia non intret definitionem (a) substantiarum nisi sicut (b) unum correlativum intrat definitionem sui correlativi, ad determinandum scilicet dependentiam et respectum ipsius formae.

7. Item, ad idem: Nullum accidens est essentiale (c) substantiis; sed si essentia substantiarum est composita, accidens est eis essentiale, ipsa scilicet unio et compositio extremorum quae est quaedam relatio et quoddam accidens ipsorum extremorum. Quod patet: quia sine ea possunt (d) ipsa extrema intelligi et quia materia potest illam amittere, quando advenit sibi altera forma; et hoc ipsum forma, quando miraculose separatur (e) a materia. Si etiam compositio esset essentialis substantiis, tunc materia et forma non essent tota essentia suorum compositorum, immo praeter ea esset tertium, scilicet eorum compositio; et sic plura essent rerum principia quam tria. Quod est contra Aristotelem, libro *Physicorum* (1); non enim ponit nisi materiam et formam et privationem, et duo prima vult esse solum per se principia eorum quae fiunt, de compositione autem mentionem non facit. Quod autem compositio sit substantialis substantiis, si sunt compositae, patet: quia non poterunt intelligi absque ipsa; secundum autem (f) Boethium, libro *Divisionum* (2), quamvis sine accidente proprio proprie res non possit intelligi esse, illud tamen secundum eum est de essentia rei seu essentiale sine quo res non potest intelligi.

Quinto ostenditur hoc ex parte necessitatis ipsius materiae.

8. Si enim natura nihil facit frustra, multo minus hoc facit Deus; sed nulla est necessitas ponendae materiae in entibus, quia omnia aeque bene et etiam melius possunt fieri sine ea sicut cum ea; ergo et cetera. Probatio minoris: non enim materia dicitur esse necessaria nisi propter tria, aut scilicet propter motum et receptionem, ut detur aliquod recipiens et mobile quod sit subiectum motus et mutationis, aut propter individuationem aut propter substantificationem.

Sed propter primum non oportet, quia ad hoc quod aliquid possit esse recipiens sufficit quod possit informari ab aliqui-

(a) Ita B^7, V *distinctionem*. (b) Al. m. corr. (c) B^7 *substantiale*. (d) Ita B^7 B^6, V *potest*. (e) B^7 add. *ipsa forma*. (f) B^7 *ducem*.

(1) Lib. I, 7-9, 189 b 30 sqq. (2) Verbo tenus Boethius, libro *De divisione*, hoc non habet, sed ex toto tenore erui potest (PL 64, 875 sqq.).

bus formis; sed formae hoc possunt secundum philosophos [a] et magistros, quia tempus secundum eos est accidens motus et calor superficiei et sic de multis aliis; omne autem subiectum informatur a suis accidentibus, maxime si est subiectum per se et primum, sicut illa sunt secundum eos; priores etiam formae secundum eos informantur a sequentibus. Exigitur etiam ad receptionem quod recipiens sit in potentia respectu recepti; idem autem bene potest esse actus et potentia respectu diversorum absque contradictione, quia contradictio semper est respectu eiusdem; unde forma respectu sui ipsius est in actu seu respectu eius quod informat, respectu autem alterius formae a qua informabitur erit in potentia, et sic videmus quod aliquid potest habere rationem prioris et posterioris absque compositione et sic de multis aliis relative oppositis; unde et materia, si esse ponatur, non erit in potentia respectu [b] sui ipsius sed solum respectu formae, respectu vero sui erit quodam modo in actu; absque igitur materia poterunt formae esse subiecta receptionum et eorum quae recipiuntur et poterunt esse in potentia ad actus subsequentes et sic poterunt esse subiecta motuum et mutationum et tanto magis, quanto ratione suae soliditatis poterunt in ea figi fortius et perfectius.

Si dicatur quod potentia recipiendi non convenit formis nisi per accidens et secundario, omne autem per accidens reducitur ad [c] per se nec causa secundaria [d] potest esse sine prima, materiae autem insit potentia recipiendi primo et per se, adhuc formae non poterunt esse sine materia sufficientes ad aliquid recipiendum: contra hoc arguo. Si enim per accidens sumatur hic, prout omnino excludit ipsum per se, sicut musicus dicitur esse albus per accidens — albedo enim nullo modo est in musica, sed solum in subiecto eius —: tunc secundum veritatem nulla forma informaretur aut diceretur informari nisi solum eo modo quo musicus dicitur albus; quamvis nec tunc illo modo dici posset nisi in concreto, utpote quod informatum [e] tali forma diceretur informatum esse sequenti. Si vero sumatur hic « per accidens », prout opponitur solum ad « per se et primo », ita quod etsi in formis non est potentia recipiendi per se et primo, est tamen in eis per se et secundario: contra hoc est, quia immo magis forma inerit per se et primo, si sibi aliquo modo per se

---

[a] B^7 *philosophum.* [b] Al. m. in ras. [c] Al. m. corr. [d] Ex *secundarioa.* [e] Ita B^6, V *informant,* B^7 *informatur.*

inest; primum enim [a] et immediatum idem. Formae autem secundum hoc immediatius recipient formas sequentes quam materia [b]; unde et motus immediatius subiectum ponitur esse temporis et superficies coloris quam materia. Cum etiam formae sequentes per hoc dicantur supervenire materiae, quia adveniunt formis prioribus in ea existentibus et materia per eas disponatur ad receptionem secundarum [c] et non e contrario: potius inerit potentia receptiva earum ipsis formis et magis primo et per se quam materiae.

Si etiam formis inest potentia passiva per materiam, quaero in qua habitudine causae stat ibi le « per ». Non enim in [d] habitudine causae efficientis, quia materia nihil potest efficere et ita non potest gignere potentiam passivam in formis; et si hoc fieret, prius oporteret quod in formis esset potentia passiva ad recipiendum [e] hanc potentiam quae eis ingignitur a materia; multaque alia inconvenientia sequerentur satis nota. Non etiam potest stare in habitudine causae formalis, quia materia non potest esse forma alicuius et maxime formarum suarum nec ad aliquam potentiam passivam [f] potest se habere in ratione formae. Non etiam potest stare in habitudine causae [g] materialis, quia esse causam materialem alicuius non est aliud [h] quam esse eius materiam; quae pro tanto dicitur esse causa sui totius, pro quanto est principium constitutivum [i] eius; unde nomen causae sumitur ibi tantum pro principio intrinseco constitutivo. Nihil autem erit dictu dicere materiam esse principium materiale et constitutivum potentiae passivae quae est in formis, quia tunc illa potentia esset composita ex materia et ex aliquo alio et esset quaedam substantia. In habitudine autem causae finalis nihil ad propositum.

Praeterea, quando dicitur quod potentia passiva inest formae per materiam: aut dicitur hoc de eadem potentia passiva numero, ita scilicet quod eadem numero potentia quae est [k] in materia est in formis, aut hoc intelligitur de diversis.

Primum esse non potest, quia nihil quod est materiae, et [l] maxime sic sicut est eius sua potentia passiva, potest esse in forma, et maxime sic sicut oportebit in ea esse potentiam per quam in se [m] recipiet alia seu potius in qua re-

---

[a] Al. m. in ras. [b] B⁷ om. *q. m.* [c] Ex *secundarium.* [d] Al. m. mg. [e] B⁷ *recipiendam.* [f] Ita B⁷ B⁶, V *passiva* ex *passivam.* [g] Al. m. [h] Al. m. in ras. [i] Ita B⁷, V *constitutum.* [k] Al. m. mg. [l] Add. interl. al. m. [m] Al. m. mg. *i. s.*

cipientur, quando recipientur a forma. Si etiam esset omnino eadem potentia materiae et formae, tunc non esset aliud dictu [a] formam habere potentiam passivam, nisi quod habet materiam et potentiam materiae sibi assistentem; unde potius diceretur tunc eam habere per assistentiam quam per inhaerentiam, et hoc nihil faceret ad evasionem praedictam.

Praeterea, quomodocunque in forma esset potentia passiva, nisi forte per modum dictum qui est valde improprius [b], scilicet per assistentiam, tunc si ratione distinctionis quae est inter potentiam et actum probatur esse differentia inter materiam et formam et si per hoc probantur substantiae esse compositae ex materia et forma: tunc eadem ratione posset hoc probari de potentia et actu ipsius formae. — Dicebatur quod haec [c] potentia non inest formae per materiam, ita quod efficiatur a materia, sed quia forma non potest hoc habere nisi in materia et nisi in ordine ad materiam. Sed contra: tunc enim per se conveniret formae, quamvis nonnisi in materia; nec propter hoc conveniret sibi proprie per materiam, sicut nec proprie essentia, quamvis nec propriam essentiam habere possit nisi in materia. Ad hoc etiam quod eam habeat aeque primo sicut et materia sufficit quod non causetur a materia, quia nec materia potest habere potentiam passivam nisi in ordine ad formam. Praeterea, tunc ad probandum materiam esse in rebus tanquam quoddam principium distinctum a forma non sufficiet probare quod oportet esse aliquod mobile et [d] aliquod subiectum receptionis et motus et mutationis, sed praeter hoc oportebit probare quod necesse [e] est in rebus esse aliquod mobile et subiectum quod non sit forma et quod motus non solum [f] exigit mobile, sed etiam tale mobile super quo nec sancti nec [g] philosophi se intromittunt, quando probant materiam esse; sed sufficit eis absolute probare quod oportet in rebus esse aliquid mobile et aliquod potentiale.

Non etiam ratione individuationis hoc oportet, quia distinctio et declaratio magis competit formae quam materiae; et praeterea, forma non posset individuationem recipere a materia, quin materia esset illius causa efficiens et forma eius subiectum recipiens; nec accidentia miraculose separata a materia essent actu individua; et multa alia inconvenientia sequerentur in quaestionibus de individuatione tacta.

---

[a] Al. m. [b] V *impropriis*, B^{7} *propriis*. [c] Add. interl. al. m. [d] Al. m. mg. *a. m. e.* [e] Corr. interl. [f] B^{7} om. [g] Ita B^{7}, V om.

Non etiam ratione substantificationis hoc oportet [a], quia formae magis competit substantificare quam materiae, cum substantificare et per se esse sit nobilissimus actus substantiae. Praeterea, unde probatur quod forma non possit esse in se fixa et in alio non recepta, cum hoc secundum omnes possit materia? non enim videtur hoc per aliquid posse probari. Praeterea, quomodo forma substantificationem recipiet a materia aut in materia, quin oporteat formam esse compositam ex recipiente et recepto et quin oporteat quod materia sit causa efficiens suae substantificationis et forma eius subiectum recipiens?

Per vias autem proprias substantiis intellectualibus sic potest argui ad propositum.

Et primo per auctoritatem.

9. Dionysius enim, capitulo 2 et 4 *Angelicae Hierarchiae*, dicit [1] eos esse immateriales et [b] immaterialiter recipere intellectualia et impassibiliter et non materialiter sicut nos. — Augustinus autem, libro XII *Confessionum*, dicit [2] quod duo sunt primo creata a Deo: unum prope te [c], et hoc secundum eum est angelus, aliud prope nihil et hoc est materia; sed si [d] in angelis ponebat materiam, non bene distingueret prae ceteris angelum a materia; ergo et cetera.

10. Item Aristoteles, VIII *Metaphysicae*, circa finem, volens ostendere per quid res habeant unitatem dicit [3] quod omnia quae non habent [e] materiam sensibilem nec intelligibilem unumquodque eorum statim est illud quod est per essentiam; de illis enim quae habent materiam sensibilem aut intelligibilem praemiserat [4] quod illa fiunt unum per adventum formae [f] in materiam quam effective facit agens, quando de potentia materiae educit formam in actu. De istis vero vult quod per se conveniat [g] eis esse et unitas et non per aliquid additum alicui alteri, sicut additur actus potentiae seu forma materiae. Et inducit quoddam simile [5] quod sicut praedicamenta non fiunt ens et unum per aliquam differentiam additam enti tanquam generi, sed per se ipsa sunt ens et unum, propter quod ens et unum non cadit in definitione

---

[a] B^7 add. *esse*. [b] Al. m. mg: [c] V B^7 *se*. [d] Ita B^7, V om. [e] B^7 om. [f] Ita B^7, V *formam*. [g] B^7 *conveniant*.

---

[1] *De cael. hier.*, cap. II (per totum); cap. IV, § 1, 2 (PG 3, 136 sqq., 178 sq.). [2] Cap. 7 (PL 32, 828). [3] Cap. 6, 1045a 36 sqq. [4] L. c., 1045a 23 sqq. [5] L. c., 1045b 1 sqq.

eorum, quia tunc oporteret quod haberent rationem generis et quod per adventum differentiarum [a] constituerent praedicamenta diversa: sic [b] vult quod substantiae intellectuales quae [c] non habent materiam physicam seu sensibilem nec mathematicam seu imaginabilem, quam ipse vocat intelligigibilem, sunt per se ipsa ens et unum, per omnimodam scilicet identitatem sui cum forma seu actu per quem sunt. Ergo vult quod nullomodo habeant materiam nec aliquam potentiam respectu formae suae substantialis. — Omnes [d] etiam philosophi, tam Platonici quam Peripatetici hoc [e] idem videntur sentire, sicut patet in libro *De causis* [1] et in libro Procli [2] et in dictis Averrois [3].

Per rationem vero potest argui ex quatuor quae secundum omnes sunt in angelis et in omnibus substantiis intellectualibus; est enim in eis incorruptibilitas, inextensibilitas, intellectualitas et libertas.

Ex primo sic.

11. Secundum enim Aristotelem, VII *Metaphysicae* [4], materia est illud qua unumquodque singulare potest esse et non esse; potentia enim ad esse et non esse non potest alicui convenire per formam, cum forma sit actus et non potentia; sed in angelo non est potentia ad non esse, cum sit naturaliter incorruptibilis; ergo non est in eo materia.

12. Item, secundum diversitatem actuum diversificantur potentiae et e contrario; quot enim modis dicitur unum correlativorum, tot modis et reliquum; sed in angelis non est potentia ad formam substantialem, quia tunc possent per motum generationis fieri et sic per consequens per motum contrarium corrumpi, nec etiam ad quamcunque formam accidentalem, sed solum ad illas quae de potentia subiecti non educuntur; ergo in eis non est materia, nisi sumendo materiam aequivoce. Per materiam enim intendimus proprie significare illud possibile quod est [f] in potentia ad formam

---

([a]) Al. m. ex *differentia*. ([b]) B[7] *et sic*. ([c]) B[7] om. ([d]) Ita B[7], V *omnis*. ([e]) Al. m. corr. ex *hic; Peripatetici* al. m. corr. ([f]) Add. interl. al. m.

([1]) Ed. Bardenhewer, § 25-27 (p. 186 sq.). ([2]) *Institutio theologica* (ed. Dubner, Paris. Didot 1854), p. 171 sqq., 105 sqq. ([3]) *Metaph.*, lib. XII, summa 1, cap. 2 (vol. VIII, f. 292 v a sqq.); *De subst. orbis*, cap. 3-5 (vol. IX, f. 8 v a sqq.); *De an. beat.*, cap. 5 (vol. IX, f. 153 v a sqq.). Cfr. Avicenna, *De intelligentiis*, cap. 3 (f. 65 r a sqq.). ([4]) Cap. 7, 1032 a 20 sqq.

substantialem et quod constituitur in esse per eam; et tale possibile non est univocum cum illo possibili quod solum est in potentia ad formas accidentales, et maxime quando ad solas tales quae de potentia subiecti non educuntur, sed solum in ipso recipiuntur; quia quantum differt talis actus accidentalis ab actu formae substantialis, tantum differet possibile a possibili seu potentia a potentia; illa autem in [a] nulla univocantur [b].

13. Item, Aristoteles, X [c] *Metaphysicae*, vult quod corruptibile et [d] incorruptibile differant plus quam secundum [e] genus, quia incorruptibile privat potentiam generis ipsius corruptibilis; potentia enim illa per quam corruptibile potest non esse oportet quod insit omnibus generibus suis quantumcunque remotis. Si enim non inesset, tunc illud esset incorruptibile et non haberet in se materiam habentem potentiam ad non esse; impossibile est autem quod aliquid tale sit genus alicuius corruptibilis; ergo ad minus in angelis non erit materia univoce cum corruptibilibus, quia si esset, tunc necessario convenirent univoce in aliquo genere; ergo et cetera.

14. Item, omnis materia quae de [f] se est indifferens ad formas diversas et disparatas seu oppositas est, quantum est de se, mobilis ad [g] quamlibet illarum et determinabilis sive [h] appropriabilis per quamlibet illarum; sed si angelus habet materiam, materia eius erit huiusmodi, quia si non est, tunc ipsa erit determinata ad quamlibet illarum; sed determinata non potest esse nisi per aliquam differentiam eam appropriantem tali formae; sed hoc est impossibile, sicut in quaestione qua quaeritur an materia habeat differentias materiales est probatum; ergo et cetera.

15. Item, omne compositum est dissolubile in componentia, quantum est ex [i] se; unde et quidam sancti probant Deum esse simplicem sine omni compositione, quia alias secundum eos sequeretur ipsum esse dissolubilem; sed angeli sunt naturaliter indissolubiles; ergo et cetera.

Ex secundo vero arguitur sic.

16. Quando materiae simplici et indivisibili advenit forma, tota vestitur forma illa, quia si tota non vestiretur, tunc se-

---

[a] Al. m. mg. [b] B[7] *aequivocantur*. [c] B[7] *4°*. [d] Ita B[7], V om. [e] Add. interl. al. m. [f] Sequitur lac. [g] Al. m. ex *ex*. [h] Al. m. ex *su*. [i] B[7] *de*.

---

[1] Cap. 10, 1058 b 26 sqq.

cundum unam partem sui non esset vestita seu informata tali forma, secundum autem aliam partem sui esset, et ita haberet partem et partem; sed si angeli haberent materiam, ipsa necessario esset simplex et indivisibilis; ergo sola una forma unius angeli informaretur tota materia angelorum.

17. Item, aut materia angeli habet partes aut non. Si sic, tunc potest habere unam extra alteram et sic per consequens extensionem; et tunc etiam forma abstracta [a], intelligerentur actu divisae et semper etiam secundum intellectum possent intelligi ut divisibiles; et tunc aut in infinitum [b] aut veniretur ad partes indivisibiles ex quibus totalis materia esset composita; et utrumque [c] horum videtur valde [d] inconveniens. Si autem non [e] habet partes, ergo videtur quiddam esse punctale habens minimum de essentia; et etiam tunc non poterit in angelis esse maior et minor capacitas, cum non sit in eis maior aut minor materia, sed solum aequalis; maius enim et minus multitudinem partium supponunt; haec autem omnia videntur falsa; ergo et cetera.

Ex tertio et quarto arguitur sic, scilicet ex intellectualitate et libertate.

18. Omnis enim forma quae totaliter est inclusa intra suam materiam et secundum se totam impendens materiae et dependens ab ea videtur habere nihil libertatis, sed potius videtur esse valde passibilis et defectibilis; sed tales erunt formae substantiarum intellectualium; ergo et cetera.

19. Item, quod impedit actum alicuius potentiae videtur repugnare naturae ipsius potentiae, cum potentia et actus et obiectum sint sibi valde proportionata; sed conditiones materiales impediunt actum intellectus et voluntatis intellectualis et puritatem sui obiecti; unde quando vult aliquid intelligere, abstrahit a conditionibus materialibus et pro viribus separat se ab eis et secundum quod magis separat se, tanto purius intelligitur; ergo et cetera.

20. Item, materia non potest recipere aliquid sine conditionibus materialibus, cum receptum sequatur modum recipientis; sed species [f] intellectualis est abstractissima ab eis; ergo impossibile esset ea in intellectu recipi, si haberet materiam.

21. Item, arguitur hoc specialiter de rationali anima. Si enim habet materiam, prout est separata a corpore seu separa-

---

[a] B^7 *formae abstractae* pro *f. a.* [b] Al. m. corr. [c] Ita B^7, V *utrum.* [d] Al. m. mg. [e] Al. m. mg. [f] Ita B^7, V *spes.*

bilis, ergo ipsa est potius quaedam substantia completa quam pars substantiae et ita non erit pars hominis.

22. Item, si habet materiam, tunc impossibile est quod sit forma corporis, cum impossibile sit unam formam informare simul diversas (a) materias, et maxime si sunt diversissimorum generum; et posito quod posset, anima tamen non informaret corpus secundum aliam suam materiam, cum materia nullius possit esse forma; et tunc ipsa non deberet dici forma corporis, sed ipsa forma animae deberet solum dici forma corporis.

Contra: 1. Simplex et compositum non possunt esse uniformiter et recte sub eodem genere, tanquam scilicet duae species eiusdem generis, quia genus simplicis erit necessario simplex, genus vero compositi erit compositum; sed omnes substantiae creatae sunt in genere substantiae, corpora autem quae sunt quaedam species eius sunt composita ex materia et forma; ergo et angelici spiritus. Probatio minoris: si enim substantiae corporales et incorporales non essent in eodem genere substantiae, tunc essent plura praedicamenta quam decem et essent plura genera generalissima in substantiis, cum omnis substantia, praeter illam quae est increata, sit in genere et praedicamento.

2. Item, secundum Boethium (b), in *Praedicamentis* (1), quando agit de substantia, relictis extremis, agit de composito; sed ipse agit ibi de genere generalissimo substantiae secundum quod ad omnes substantias se extendit, sicut et facit de aliis praedicamentis; ergo tam secundum eum < sc. Aristotelem > quam secundum Boethium genus generalissimum substantiae quod sub se comprehendit spiritus angelicos est compositum et sic per consequens et ipsi. Sumit autem ibi Boethius nomine extremorum materiam et formam; ergo sequitur secundum eos quod sunt compositi ex materia et forma.

3. Item, certum est Aristotelem posuisse motum (c) non posse esse sine materia; unde dicit, II *Metaphysicae* (2), quod materiam necessario imaginamur seu intelligimus in re mota; et, I *De generatione*, dicit (3) quod sicut agere est

---

(a) Ita B^6, V *diversitas*. (b) B^6 add. mg. *Aristoteles*. (c) B^7 om.

---

(1) *In cat. Arist.*, lib. I (PL 64, 184). (2) Cap. 2, 994 b 26. (3) Lib. II, 9, 335 b 30 sq.

ratione (a) formae, ita pati est ratione materiae; sed angeli moventur per loca et secundum varios effectus et multa pati et recipere possunt; ergo secundum eum ipsi habent materiam.

4. Item, secundum eum, libro *De caelo et mundo* (1), individuatio qua aliquid potest dici hoc non est sine materia; unde dicit quod cum dico « caelum », dico formam (b), cum autem dico « hoc caelum » dico formam cum materia; sed substantiae intellectuales sunt quaedam individua et de iis potest dici « hic angelus et ille »; ergo adhuc secundum eum ipsi habent materiam.

5. Item, Averroes, super III *De anima,* dicit (2) quod in intellectu est aliquid simile materiae et aliquid simile formae; et Aristoteles ibidem dicit (3) quod sicut in natura est aliquid (c) quo est omnia fieri et aliquid quo est omnia facere, sic et (d) in anima secundum partem eius intellectivam; sed praedicta in aliis non sunt aliud quam materia et forma; ergo adhuc secundum eos ipsi habent materiam.

6. Item, quibus competunt eaedem (e) proprietates et univoce talia participant aliquod genus univoce; sed omnibus substantiis conveniunt univoce aliquae proprietates ut numerus et susceptibilitas contrariorum seu accidentium; ergo et cetera.

[Respondeo]

Ad quaestionem istam dicendum quod licet aliqui tenuerint et teneant in substantiis intellectualibus non esse materiam nec compositionem materiae cum forma, credo tamen iuxta communiorem opinionem in eis esse compositionem materiae cum forma et credo quod haec secundum fidem sit sanior et securior et quod altera multum appropinquet errori philosophicae et paganicae infidelitatis.

Ad huius autem pleniorem intelligentiam quatuor sunt notanda; quorum duo sunt communia omnibus substantiis intellectualibus propria; oportet enim primo videre quae sit ratio materiae quam (f) per suum nomen directe significare

(a) Ita B7, V *rationem.* (b) B7 *materiam.* (c) B7 om. (d) B7 *etiam.* (e) Al. m. corr. (f) B7 *quod.*

(1) *De caelo,* 1, 9, 278a 11 sqq. (2) Lib. III, summa 1, cap. 1-3 (vol. VI, pars I, f. 136r sqq.). (3) *De an.,* III, 4, 429a 13 sqq.; III, 5, 430a 10 sqq.

intendimus; secundo autem quae [a] sit eius necessitas ad constitutionem entium; tertio oportet videre an ratio et natura materiae cum proprietatibus naturae angelicae possit se compati; quarto an natura angelica et aliarum substantiarum intellectualium possit sine materia salvari in complemento suae existentiae et speciei.

Quantum ad primum sciendum quod quidam dixerunt materiam esse puram potentiam seu purum possibile, ita quod in sua essentia nihil esset secundum se actus seu [b] actualitatis. — Et nisi sunt hoc trahere ab Aristotele qui ubique definit eam dicendo quod est ens in potentia et quod est medium inter ens et non ens et quod nihil in ea est distinctum et quod est de se infinita et indeterminata semperque distinguit eam a forma tanquam potentiam ab actu; haec autem patent I *Physicorum* et I *De generatione* et II et VII *Metaphysicae* [1] et etiam fere ubique. — Nisi sunt etiam hoc trahere a ratione, quia si ipsa aliquo modo haberet actum seu actualitatem aliquam secundum se, haberet tunc secundum se et esse nec videretur posse distingui a forma, cum forma et actus idem sint, nec etiam videretur posse suscipere simpliciter esse a forma; ex quo enim de se haberet aliquod esse [c], non posset ab ea suscipere esse simpliciter, sed solum [d] esse tale seu esse secundum quid. Tunc etiam non videretur posse dari quare non posset aliquo modo esse [e] sine forma, ex quo per se habet aliquod esse. Tunc etiam esset per se scibilis et non solum per analogiam seu per respectum ad formam, quia actus videtur per se scibilis. Videretur etiam esse composita necessario ex actu et potentia, quia secundum [f] id quod esset actus [g] seu in actu non esset in potentia ad formas, et ita oporteret quod secundum aliud erit in actu et secundum aliud in potentia.

Alii autem dixerunt et, ut credo, verius [h] et rationabilius quod materia secundum suam essentiam dicit aliquem actum seu actualitatem, di-

---

[a] Al. m. mg. [b] B[7] om. [c] Add. interl. [d] Al. m. mg. [e] Ex *esset*. [f] Add. interl. [g] Ex *esseit actu*. [h] B[7] *nihilominus*.

---

[1] *Phys.*, I, 7, 191a 8 sqq.; II, 1, 193a 29 sqq.; II, 3, 194b 23 sqq.; IV, 2, 209b 7 sqq.; *De gener. et corrupt.*, I, 7, 324b 17 sqq.; I, 10, 328b IV sqq.; II, 9, 335a 32 sqq.; *Metaph.*, VII, 3, 1029a 20 sqq.; VII, 7, 1032a 20 sqq.; VII, 10, 1035a 1 sqq.

stinctam tamen sufficienter ab actu qui est idem quod forma; hoc autem dicunt, sumendo [a] nomine actus quodcunque positivum reale et quamcunque realem entitatem.

Moti autem sunt ad hoc ex ratione et ex dictis Augustini. Si enim nullum actum diceret, tunc per consequens nec aliquam essentiam; essentia enim est actus seu actualitas entis, non partialis sicut forma, sed potius totalis, quoniam ipsa est proprie illud per quod ens est [b] ens; pro quanto igitur habebit essentiam, pro tanto habebit et actualitatem. — Praeterea, nihil est in potentia ad illud quod habet, immo est actu respectu eius quod habet, et maxime si habet illud per se et per [c] omnimodam indifferentiam; sed materia habet hoc modo suam essentiam, non enim accipit suam essentiam a forma; ergo ipsa erit vere in actu respectu suae essentiae. — Praeterea, de omni materia est verum dicere quod ipsa est materia actu; sed nulla potest esse materia actu nisi per illud per quod est materia, cum idem sit ipsam esse materiam et esse materiam [d] actu; nec illud quod nihil facit ad hoc quod sit materia [e] facit aliquid ad hoc quod actu habeat [f] rationem et essentiam materiae; sed ipsa per nihil aliud potest habere rationem et naturam [g] materiae quam per suam essentiam, et loquimur [h] hic, prout le « per » [i] stat hic in habitudine causae formalis seu quasi formalis et non prout stat in habitudine causae efficientis; ergo actus ille secundum quem est verum dicere quod ipsae essentialiter habent rationem materiae et sunt materiae non est aliud ab essentia materiae, et ita earum essentia aliquo modo est [k] actus. — Praeterea, nihil potest fundari et [l] stabiliri actualiter in eo quod de se nihil [m] habet actualitatis; ergo nec potentia passiva nec forma aliqua poterit fundari in materia, si ipsa per se nihil habet actualitatis. — Praeterea, unitas et veritas suae essentiae [n] quae sibi competit per solam suam essentiam non datur ei [o] a suis formis, cum materia una et eadem specie et numero possit esse et sit sub variis formis; sed unitas et veritas aliquam actualitatem dicere videntur; ergo essentia materiae habebit per se aliquam actualitatem sub diversis formis.

---

[a] In ras. [b] Al. m. mg. *e. e.* [c] Add. interl. al. m. [d] Al. m. mg. *e. e. m.* [e] B[7] *materiae sint* pro *s. m.* [f] Ex *habeant,* quod habet B[7]. [g] Ex *materiam.* [h] Al. m. corr. [i] In ras. [k] Ita B[7], V om. [l] Al. m. mg. [m] Al. m. *s. n.* [n] Ita B[7], V add. *et.* [o] B[7] *eis.*

Trahunt etiam hoc pro tanto ex dictis Augustini, quoniam materiam corporalem dicit [1] esse ipsam molem corporum informem et mutabilem; moles autem, in quantum moles, aliquid actuale dicere videtur. Cum etiam tam ipse [2] quam omnes philosophi velint eam esse partem constitutivam substantiarum habentium materiam et [a] esse aliquo modo substantiam — unde dicunt substantiam dici analogice de materia et forma et composito — et velint eam esse radicem et fundamentum primarium totius entis et suscipere in se actiones agentium et moveri ab eis et, prout est in corporibus, velint eam habere partes diversas secundum essentiam et ita quod suam essentiam et suam essentialem diversitatem non habeant a forma, sed potius per se ipsas: mirabile esset, si voluissent cum hoc ipsam non esse aliud quam puram potentiam, cum ista non videantur posse attribui purae potentiae. Non enim pura potentia videtur posse dici substantia nec quaedam pars principalis substantiae constitutiva nec videtur posse dici fundamentum omnium [b] quae sunt in substantia, immo secundum rationem videtur potius dicere aliquid in aliquo fundatum; alias enim si per se solum sumatur ut non existens in aliquo, potius videtur dicere nihil quam aliquid [c]. Nec etiam potest dici quod ipsum mobile quod suscipit [d] actiones et motiones agentium non sit aliud quam quaedam mera potentia passiva; quid enim est dicere puram potentiam moveri? Non etiam videtur aliquid dictu quod pura [e] potentia habeat per se partes diversas secundum essentiam.

Tenendum est igitur, ut credo, quod materia non sit solum potentia, sed praeter hoc quiddam [f] solidum habens in se rationem non solum unius potentiae, sed etiam plurium, sicut ipsemet Aristoteles vult; ad contrarias enim formas et disparatas diversas habet [g] secundum eum [3] potentias, quod tamen esse non posset, si ipsa non esset [h] aliud quam mera potentia; tunc enim plures potentiae seu plures rationes potentiarum non possent unam materiam nec unam rationem materiae dicere vel constituere.

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. corr.; al. m. *quae sunt.* [c] Al. m. in ras. [d] B^7 *suscepit.* [e] Al. m. [f] Al. m. *p. h. q.* [g] Ita B^7, V *habent.* [h] B^7 om. *s. i. n. e.*

---

[1] *Confess.*, XII, 20 (PL 32, 836); *Contra adv. leg. et proph.*, I, 8 (PL 42, 609). [2] *Confess.*, XII, 7, 8, 12, 15, 21 (PL 32, 828 sqq.). [3] *Metaph.*, VII, 7, 1032b 14 sqq.; VIII, 4, 1044a 15 sqq. et alibi saepius.

Distinguunt autem eam isti a forma hoc modo. Dicunt enim quod materia dicit ens indeterminatum, ita quod eius actualitas et eius esse et eius unitas est omnino de se indeterminata ac per hoc determinabilis per varias formas. Formam autem dicunt esse actum determinatum non determinabilem per aliquid aliud nisi per accidens. Licet enim dicatur quod forma generis determinatur per formas differentiarum et formae priores per posteriores, hoc tamen non est intelligendum nisi per accidens, pro eo scilicet quod concurrunt [a] in eadem materia et in eodem supposito, quae perfectiora sunt quanto plures formae in eis concurrunt. Dicitur etiam hoc propter modum intelligendi, pro eo quod quae postremo adveniunt habent se ad priores tanquam perfectiores ad minus perfectas, et ideo videtur secundum modum intelligendi quod se habeant ad eas [b] sicut perfectiones ad sua perfectibilia. Et maxime quia materia, prout est sub prioribus, est in quadam tendentia ad posteriora et est adhuc perfectibilis et determinabilis per eas, et quia hoc in parte convenit materiae ratione imperfectionis priorum formarum, pro [c] eo scilicet quod non complent capacitatem materiae, secundum quod ipsa est simul et semel replebilis: ideo intellectus attribuit hoc quod est materiae prioribus formis. Est etiam huius alia causa, quia scilicet per hoc quod materia per formas sequentes perfectior redditur, eo ipso et formae priores fiunt perfectiores; et etiam quia quando materia ducitur ad formas posteriores, tunc eo ipso per motum eundem sublimantur formae priores. In nullo autem [d] istorum modorum aliquid per se et directe recipiunt a formis postremis.

Licet igitur materia aliquo modo sit actus, sufficienter tamen distinguitur a forma per hoc quod actualitas huius est per suam essentiam indeterminata et determinabilis; et ita per suam essentiam est in potentia ad alia tanquam [e] per suam essentiam possibilis determinari per ea [f]. Forma vero seu actus formalis est per suam essentiam determinatus [g] seu potius terminus et terminatio et ab alio non determinabilis. Si enim accipias molem cerae, ipsa quidem [h] secundum quod est quaedam moles est aliquid actuale; et tamen, in quantum talis, nullam habet determinatam quanti-

---

[a] Al. m. [b] Al. m. mg. *et ideo... eas.* [c] Ita B^7, V *per.* [d] Al. m. mg. [e] B^7 *tamen.* [f] B^7 *eam.* [g] Al. m. ex *terminatus.* [h] Ita B^7, V *quidam.*

tatem nec aliquam determinatam figuram seu qualitatem et sic de aliis formis; et etiam, in quantum talis, est determinabilis per omnes et possibilis ad omnes suscipiendas. Ipsae autem formae sunt eius actuales determinationes, sicut figura seu figuratio talis vel talis est [a] eius determinatio secundum hoc quod ipsa est figurabilis, et anima secundum hoc quod ipsa est vivificabilis seu sensificabilis, et sic de aliis.

Quod igitur Aristoteles vocat eam ens in potentia et quod dicit eam esse indistinctam et infinitam: non oportet quod per hoc velit dicere quod non sit aliud quam pura potentia aut quod non habeat essentiam per se distinctam ab essentia formae, sed solum quod ipsa sic est ens quod eius actualitati non repugnat esse in potentia et esse indeterminatam; sed potius hoc convenit sibi essentialiter, esse scilicet in potentia, non respectu sui sed respectu aliorum quae in ea possunt fieri, et esse indistinctam, non respectu distinctionis quam habet cum essentia formae et quam habent partes suae ad invicem secundum suas essentias, sed [b] solum respectu distinctionis formalis. Formae enim advenientes materiae distinguunt et uniunt ipsam et eius partes formaliter et perfecte; unde et materia sic informata potest dici differre [c] formaliter et specifice ab aliis materiis quae sunt formis aliis informatae et etiam partes suae inter se.

Quod autem dicitur [d] eam non posse distingui a forma secundum hunc modum, quia forma et actus idem sunt: sciendum quod si actus sumatur generaliter secundum quod est analogum ad essentiam materiae, formae et compositi et ad essentias [e] accidentium, sic forma non est ita commune sicut actus, immo addit aliquam specialem rationem ad ipsum. Forma enim non est actus qualiscunque, sed solum actus determinativus [f] et indeterminabilis; et quia huiusmodi actus nullam habet in se potentialitatem, sicut habet actus materiae: ideo illum actum distinguimus ab isto sicut actum a potentia, non intendentes per hoc [g] quin in potentia tali implicetur aliquis actus, sed intendentes per hoc significare differentiam seu rationem differentialem per quam actus materialis distinguitur a formali; quia scilicet iste est de se possibilis et informabilis [h], ille autem nullo modo. Non etiam est [i] inconveniens, si de se habeat esse indeterminatum et

---

(a) Add. interl. al. m. (b) Add. interl. al. m. (c) Ex *differe*. (d) Al. m. corr. (e) B^7 *essentiam*. (f) B^7 *determinatus*. (g) B^7 om. *p. h.* (h) Ita B^7, V *in forma*. (i) Add. interl. al. m.

potentiale, sicut et habet actualitatem. Non etiam est intelligendum sic eam suscipere a forma esse simpliciter quod totum esse quod habet ab ea suscipiat, sed solum esse formale et non esse materiale. Esse tamen formale pro tanto potest dici eius esse simpliciter, quia sine eo non habet esse nisi secundum quid et quia etiam illud esse quod sibi convenit secundum suam essentiam non potest actualiter existere, nisi sit adiunctum ei esse formale, sicut nec essentia materiae potest per se ipsam stare sine essentia formae; nulla enim res potest esse actu nisi sub certo et determinato modo essendi, determinatus autem modus essendi est modus essendi formalis. Quod autem hoc sit verum potest faciliter quis (a) intueri in mole corporali; non enim potest intelligi esse nisi sub determinata figura et quantitate et sub determinata positione partium. Et ideo materia dicitur (b) quodam modo recipere totale suum esse a forma, non quia totum ab ea recipiat, sed quia sine ea nullum habere potest.

Non etiam oportebit propter hoc materiam esse compositam ex potentia et actu, quia secundum idem realiter erit (c) actus et potentia, cum actus suus per essentiam suam sit potentialis; quamvis alia ratio sit secundum quam est actus et alia secundum quam est in potentia. Sicut enim alibi pluries est ostensum, diversitas aliquarum rationum, etiam realium, potest stare cum omnimoda indifferentia essentiae. Posito etiam quod ex hoc sequeretur eam esse compositam ex actu et potentia: haec compositio non esset sicut duarum partium constituentium unum ens, sed solum sicut subiecti et propriae passionis: esset enim potentia propria passio ipsius materiae et actualitatis eius. Quomodo autem hoc (d) non oporteat sequi in quaestionibus aliis de materia est actum.

Quod autem dicitur quod secundum hoc esset per se (e) scibilis: nulli fideli debet esse dubium quin Deus ita cognoscat essentiam materiae per se sicut et formae et etiam angeli suo modo. Neutra tamen potest cognosci sine altera propter essentiales respectus quos inter se habent; materia tamen pro tanto minus, pro quanto minus potest esse sine forma quam forma sine ea et pro quanto minus habet de entitate intelligibili quam forma. Ratio autem quare nos in cognitionem (f) materiae devenimus per formas est, quia nostra co-

---

(a) Al. m. mg., B^7 om. (b) B^7 om. (c) B^7 om. (d) B^7 om. (e) Al. m. mg. (f) Ita B^6, V B^7 *cognitione.*

gnitio proficiscitur [a] a sensibus quorum non est apprehendere quidditates substantiarum. Unde per accidentia et effectus substantiarum devenimus in cognitionem earum et ita per motum et passionem devenimus in cognitionem [b] earum, et ita per [c] motum et passionem [d] devenimus in cognitionem [e] mobilis et potentiae [f] patientis et per hoc in cognitionem materiae [g]. — Per hoc igitur reputant se [h] isti satisfacere rationibus alterius partis.

Secundo autem est videndum quae sit necessitas materiae ad constitutionem entium, hoc est, propter quam causam et rationem sic necessario exigitur quod sine ea esse non possint. Ad quod plenius intuendum tria sunt per ordinem consideranda: primo videlicet quomodo possibilitas [i] seu potentia passiva sit de complemento omnis substantiae creatae; secundo autem quomodo oporteat huiusmodi potentiam esse substantialem; tertio vero quomodo oporteat ipsam esse essentialiter et realiter distinctam ab actu formali seu a forma. Iis enim visis et probatis patens erit quod in omni substantia est aliquid possibile essentialiter distinctum a forma et entibus substantiale et de complemento ipsorum, et sic habebimus in omni ente plenam definitionem seu rationem materiae.

Primo [k] igitur sciendum quod potentia huiusmodi est necessario de complemento omnis substantiae creatae; sine ea enim non habet completum modum existendi nec respectu Dei nec respectu sui nec respectu universi.

Non quidem respectu Dei. Nulla enim creatura habet plenum ordinem ad Deum, nisi possit ab eo diversimode mutari et ad varia inclinari et diversas perfectiones [l] ab eo suscipere, ita quod plenissime sit subicibilis [m] et subiecta divinae virtuti et eius influentiis et actionibus. Sed hoc non potest proprie et plene habere sine potentia passiva. Si etiam sumantur duae creaturae finitae quarum una sit possibilis ad capiendum multas perfectiones a Deo, altera vero penitus nullam: nemo dubitabit quin illa quae hoc [n] potest sit eo ipso perfectior; unde et haec est summa perfectio naturae [o] intellectualis quod est Dei singulariter

---

[a] Al. m. corr.; V B^7, B^6 *sensu* pro *sensibus*. [b] Al. m. corr. [c] B^7 om. *earum... per*. [d] B^7 *positione*. [e] Al. m. mg. *earum... cognitionem*. [f] B^7 om. *devenimus... potentiae*. [g] B^7 *potentiae*. [h] Al. m. mg. [i] B^7 *passibilitas*. [k] Al. m. [l] Al. m. corr. [m] Al. m. corr. [n] B^7 *habet*. [o] Al. m.

capax et in hoc secundum Augustinum [1] est eius singularis imago.

Non etiam erit completa respectu sui sine huiusmodi potentia, quoniam multitudo plurium perfectionum in nullo creato sine hac esse potest, sive ponantur esse substantiales sive accidentales; impossibile est enim quod plures perfectiones sibi invicem uniantur, nisi simul concurrant [a] in aliquo tertio in quo recipiantur [b], aut nisi una habeat potentiam susceptivam alterius, ita quod una sit ab altera informabilis [c] et ab ea actu informetur, et nisi ad se invicem inclinentur; quocunque autem istorum modorum fiat, semper necessario oportet ibi esse potentiam passivam. Nulla etiam unica perfectio seu forma potest esse absque hoc quod in aliquo alio a se sit recepta, quin vel ipsa sit Deus vel ens valde incompletum; quod quia in tertio membro magis tangetur, hic probare omitto. Et breviter: nullam actionem nullamque [d] alicuius utilis acquisitionem poteris dare in aliqua substantia sine potentia ista; omne enim agens creatum oportet quod sit virtualiter inclinatum et conversum super suum patiens; omnis autem inclinatio exigit aliquod inclinabile quod per eam dicatur inclinatum et conversum, nisi ponas quod tota substantia et essentia eius sit mera inclinatio. Nihil etiam utile acquirere poterit, nisi possit illud capere et ad illud tendere et duci et illi uniri; quae non possunt stare, ubi nihil est possibile, mobile, ductibile, unibile. Hoc autem maxime patet in agentibus quorum actiones sunt intra eos et quorum summa perfectio est in eorum actionibus et passionibus intrinsecis, sicut est in rebus animatis et maxime sensitiva et super omnia in natura intellectuali, sicut infra magis patebit.

Non etiam erit completa respectu universi [e]. Quod enim partibus universi non connectitur [f] nec aliquem habet aspectum determinatum ad eas aut ipsum est Deus aut in [g] nullo coadiuvat ad perfectionem universi aut coadiuvatur ab eo. Et quidem, si bene inspiciatur, quod nullum aspectum nec connexionem nec inclinationem determinatam et quasi partialem ad alia habet [h] ipsum vere est Deus,

---

[a] Al. m. mg., del. *concarrant.* [b] B^7 *recipiuntur.* [c] Ita B^6, V *informalis,* B^7 *in forma.* [d] Add. interl. al. m. *que.* [e] Ex *universis.* [f] Ita B^7, V om. *n. c.* [g] Ita B^7, V om. [h] Ita B^7, V om.; al. m. mg. *ipsum.*

---

[1] *De Trin.*, XIV, 12, 17 (PL 42, 1048, 1054 sq.); *De vera relig.*, cap. 44 (PL 34, 159).

quoniam omne tale oportet quod sit ens absolutissimum et universalissimum et ab omni ente creato ineffabiliter segregatum. Si igitur ad hoc quod universum sit aliquo modo unum exigitur determinata [a] unio et connexio inter eius partes quae sine inclinabilitate potentiae passivae esse non potest, si [b] etiam partes universi et ipsum universum tanto sunt perfectiores, quanto perfectius et intimius sibi invicem connectuntur et quanto efficacius et perfectius se mutuo coadiuvant et perficiunt, et hoc sine potentia passiva esse non possunt: patens est quod potentia seu natura inclinabilis et mobilis facit ad complementum ipsius universi et omnis substantiae respectu ipsius. Sicut enim dicit [c] Augustinus, *Super Genesim ad litteram* [1]: « De unoquoque genere entium dictum est per se *vidit Deus quod bonum est* [2], de omnibus autem insimul dictum est quod *erant valde bona* » [3]; quia nulli debet esse dubium quod omne ens creatum [d] perfectius est cum aliis acceptum et aliis [e] coordinatum quam per se acceptum et ab aliis sequestratum; et tamen tale oportet ipsum poni, si nullam habet potentiam passivam. Quemadmodum enim videmus quod in nobis posse moveri ad plura loca vel in eodem loco est nobilitatis et idem est in omnibus habentibus partialem situm et locum, quamvis in Deo hoc esset [f] valde ignobile: sic est universaliter et de potentia passiva.

Secundo autem sciendum quod haec potentia est ipsis entibus necessario substantialis. Quod quidem evidenter [g] ostendit ratio ipsius accidentis et ratio subiecti et suppositi seu substantis et ratio ipsiusmet potentiae et ratio corporalis materiae, et ratio potentiarum animae et ratio cuiuslibet intellectualis naturae.

Ratio quidem accidentis hoc ostendit, quoniam omne [h] accidens dicit actum et formam in alio receptam; actus autem formalis, in quantum talis, non dicit illud quod est [i] primum recipiens alia [k]. — Praeterea, si potentia ista esset accidens, cum omne accidens sit in alia receptum, ad-

---

[a] Ita B^7, V *determinatam.* [b] B^7 *et.* [c] B^7 om. [d] Ita B^6, V add. *quod.* [e] Al. m. mg. *a. e. a.;* B^7 *coadunatum* pro *coordinatum.* [f] B^7 om. *h. e.* [g] Sequitur lac. et ras. [h] Al. m. mg. *q. o.* [i] Add. interl. al. mg. [k] B^7 *potentiam passivam non dicit neque recipit in quantum tale dicit illud quod est primum accipiens alia* pro *non... alia.*

---

[1] Lib. III, 14 (PL 34, 295). [2] Gen. 1, 4 et sqq. [3] Gen. 1, 31.

huc oporteret dare aliud [a] recipiens et aliam potentiam receptivam.

Ostendit hoc etiam ratio suppositi et subiecti. Substare [b] enim et subici proprie est [c] substantiae; et huic [d] attestatur Aristoteles, in *Praedicamentis* [1], nullusque sapiens dicet [e] quod suppositum, in quantum suppositum, seu subiectum, in quantum subiectum [f], sit accidens; quia tunc ipsum ens per se et in se esset sibi ipsi accidens et illud per quod alia sustentat et per quod habet rationem sustentantis, qualis est ratio suppositi et subiecti, esset in aliquo alio sustentatum, si esset accidens; cum omne accidens in aliquo subiecto et supposito sustentetur. — Praeterea, quis dicet quod substantia sit capax plurium perfectionum sive a Deo sive ab aliis solum per sua accidentia, ita quod sine eis nullo modo possit intelligi aliquam habere capacitatem nec a Deo possit [g] aliquid recipere aut ad [h] aliquod bonum [i] inclinari?

Ostendit etiam hoc ratio ipsiusmet potentiae. Cum enim primum [k] recipiens nullo modo possit esse in alio receptum — unde necessario semper dicit aliquid primum in ordine entium, sicut et omne receptum quodam modo dicit [l] quid secundum in ordine entis, primum autem in ordine entium et quod in nullo alio est receptum impossibile est quod sit [m] accidens —: patet quod ipsamet evidenter clamat se esse substantialem entibus. — Praeterea, potentia passiva et eius quidditas, in quantum talis, nullum dicit determinatum modum essendi, immo, in quantum talis, abstrahit ab omni determinato modo essendi; sicut patet percurrenti [n] omnes modos possibilium, utpote cum dico tale factibile, illuminabile, inclinabile, mobile et sic de aliis; si mille talia etiam simul [o] sumeres, nullum modum essendi determinatum habebimus. Et hoc clarius patet in mole [p] seu materia corporali de qua certum est quod eius partes per se ipsas nullam habent inter se unionem nec divisionem nec situm et positionem; illa enim unio seu divisio quae per suam essentiam

---

[a] B^7 *aliquod.* [b] Al. m. ex *stare.* [c] B^7 *subiecti proprium* pro *s. p. e.* [d] Al. m. corr. [e] Ita B^7 B^6, V *dicat.* [f] Al. m. mg. [g] B^7 *posse.* [h] Al. m. mg. [i] B^7 om. [k] In ras. *e. p.* [l] Al. m. mg. [m] Add. interl. al. m., del. *dicit.* [n] Al. m. [o] In mg. [p] Corr.

---

[1] *Cat.*, cap. 5, 2a 11sqq.; *Metaph.*, VII, 3, 1029a 8sq.; V, 8, 1017b 13sq. et alibi saepe.

eis inesset nullo modo esset ab eis separabilis etiam secundum intellectum, et tamen impossibile est eam esse, quin partes eius sint sibi invicem unitae aliquo modo determinato unionis et positionis, alias omnes partes essent actu divisae et sic actu infinitae; et nihilominus ipsa divisio seu modus existendi cum tali divisione non esset aliquid de essentia earum. Si igitur huiusmodi potentia [a] nullum habet per se determinatum modum essendi et nullum tale potest per se ipsum existere: ergo oportet quod per aliud simpliciter existat et habeat esse; sed impossibile est quod per aliquod accidens habeat simpliciter per se et primo existere; ergo oportet quod ab aliquo actu substantiali hoc habeat; sed a nullo hoc habere potest, nisi ipsam perficiat et ipsius sit actus determinans et statuens eius indeterminationem [b]: aliter enim non posset sibi dare esse determinatum et esse simpliciter, non solum tale vel tale, sicut est esse album vel huiusmodi; ab actu autem seu a forma substantiali hoc habere [c] non potest, quin vere sit eius forma, sibi autem substantialis esse non potest, nisi e contrario ipsa sit substantialis eidem. Patet igitur quod sua indeterminatione evidenter clamat se [d] esse substantialem, sicut et [e] in praecedenti sua primitate suaque capacitate hoc clamabat.

Ostendit et hoc ratio corporalis [f] materiae. In corporalibus enim omnes concedunt [g] quod eadem materia subsistit accidentibus et formis substantialibus et quod, licet per plures dispositiones accidentales disponatur ad recipiendum aliqua, ipsa tamen per se ipsam seu in se ipsa suscipit omnia; quamvis enim mollities vel durities videantur dicere quasdam potentias, nullus tamen dicet quod ipsa mollities sit illud quod est vere subiectum recipiens illa ad quorum receptionem mollities disponit, sed solum hoc attribuent ipsi materiae. Si igitur ita est in materia corporali et si per hoc ipsa clamat se esse substantialem tanquam formis substantialibus substantem et omnibus accidentibus: satis [h] per simile clamat hoc in aliis.

Quomodo autem hoc clament singulariter potentiae animae et cuiuslibet intellectualis naturae [i] in *Quolibet* [k] de potentiis animae satis est tactum; quoniam ipsa substantia intellectualis non potest intelligi sine

---

[a] B^7 *positio.* [b] Corr. mg. ex *interminationem,* quod habet B^7. [c] B^7 *dare.* [d] Sequitur ras. et lac. [e] Add. interl. [f] Al. m. in ras. [g] Ex *concendunt.* [h] Al. m. ex *sitis.* [i] Ita B^6, V B^7 *materiae.* [k] B^7 *quaestionibus.*

huiusmodi potentia, non solum in quantum est potentia passiva, specierum scilicet et actionum intellectualium receptiva, sed etiam — quod amplius est — in quantum includit in se aliquid formale et activum; quod quidem implicant aliquo modo omnes animae potentiae, sicut ibidem est tactum et probatum; propter quod huiusmodi probationem hic omitto et quia etiam ex sequentibus hoc magis patebit.

Tertio etiam est sciendum quod oportet eam esse essentialiter et realiter distinctam a forma. Posset enim forte aliquis dicere quod forma sit actus respectu sui, si [a] est prima forma, vel respectu alicuius alterius [b] formae prioris, si est secunda forma [c], et quod sit in potentia respectu formae sequentis. Quod enim aliqua res respectu eiusdem sit actus [d] et potentia est impossibile manifestum apud omnes.

Quod autem impossibile sit formam aliquam, quantumcunque primam, esse simul actum et potentiam respectu diversorum et ita quod omnino oporteat potentiam passivam esse diversam ab omni [e] actu formali: patet quidem primo ex parte ipsius potentiae. Clamat enim [f] hoc modus suae existentiae. Cum enim de se sit omnino indeterminata ad esse, sicut supra est tactum, oportet quod per aliquem actum accipiat esse simpliciter. Impossibile est autem quin ab illo actu per quem recipiet simpliciter esse differat essentialiter, quoniam aliter respectu eiusdem esset potentia et actus et idem esset realiter recipiens et dans et etiam recipiens [g] et receptum, quoniam potentia ista non posset actum existendi recipere nisi per hoc quod informatur et perficitur; quod sine receptione formae et perfectionis non potest fieri. Sed si ponitur esse eadem per essentiam cum aliquo actu, oporteret quod per illum existeret; quoniam posito illo actu in esse, eo ipso ipsa esset posita in esse tanquam penitus eadem cum ipso; et sic sequeretur quod essent eadem per essentiam et diversa, quod est impossibile.

Clamat etiam [h] hoc fundamentalis essentia ipsius potentiae, scilicet essentia ipsius possibilis. Non enim solum ipsa ratio potentiae, sed etiam essentia [i] ipsius possibilis [k] seu potentia tota, in quantum talis, est indetermi-

---

[a] Ex *sicut.* [b] B⁷ *anterioris.* [c] B⁷ *formae prioris* pro *s. e. s. f.* [d] Ita B⁷, V *actu.* [e] Al. m. mg. [f] B⁷ *autem.* [g] Al. m. mg. *e. d. e. e. r.* [h] Add. interl., del. *in.* [i] Al. m. corr., B⁷ *existentia.* [k] Ita B⁷, V *passibilis;* add. interl. al. m. *seu.*

nata et tota ab alio [a] determinabilis; essentia vero formae seu actus formalis, in quantum talis, nihil habet in se indeterminatum nec determinabile, immo est purus terminus. Impossibile autem est quod eadem essentia sit secundum se totam indeterminata, ita quod nihil in ea sit quin sit totum [b] determinabile et quod cum hoc secundum se totam sit purus terminus et pura determinatio et quod nihil in ea sit quod sit determinabile. Haec [c] autem contingent, si aliqua una essentia sit aliquo modo simul potentia et actus; unde qui hoc imaginatur videtur imaginari quod ipsa ratio potentiae subiciatur formis et recipiat esse ab eis, ita quod non eius essentia, et eodem modo quod ipsa ratio formae seu actus sic sit forma quod tamen non haec sit eius essentia; quae imaginatio est omnino ridiculosa.

Clamat etiam hoc abstractio informitatis suae seu privatio omnis formae implicita in eius essentia. Potentia enim et eius essentia absolute et simpliciter abstrahit ab omni forma et non solum ab hac vel ab illa, quoniam secundum se et in quantum talis nullam habet in se formam; alias, in quantum talis, haberet determinatum modum essendi et potius haberet rationem formae quam potentiae; sed si ipsa secundum se esset eadem essentia penitus, tum essentia alicuius formae non iam abstraheret [d] simpliciter et absolute ab omni forma; oportet igitur necessario quod sua essentia [e] omni formae opponatur tanquam potentia actui [f]; si autem omni formae opponitur [g], ab omni forma est necessario per essentiam diversa. Si quis autem diligenter inspiciat quod privatio informitatis et ordo perfectibilitatis secundum quem ipsum possibile refertur ad formam, oportet quod fundentur in aliqua essentia quae aliquid positivum dicat praeter privationem et ordinem praedictum et quod necessario illa essentia aliquem modum entitatis absolutum dicet et non solum purum respectum seu ordinem: inveniet quod ille modus qui sibi absolute competit omnino est oppositus illi modo quem forma in se includit; sicut sensibiliter quodam modo patet in mole [h] cerae vel nasi quae aliquando est sub una forma et figura, aliquando sub alia; amotis enim omnibus formis quas amittere potest, utique aliquid ponet praeter

---

[a] B^{7} *alia.* [b] Ita B^{7}, V om. [c] Ita B^{7}, V *hoc.* [d] Ita B^{7}, V *substraheret.* [e] Al. m. mg. [f] B^{7} *ab omni forma est necessario per eundem diversificat opponatur tanquam potentia actui* pro *t. p. a.* [g] Al. m. corr. [h] Corr.

privationem suae informitatis et praeter ordinem suae perfectibilitatis seu possibilitatis. Et tamen modus illius entitatis quem absolute ponet tale quid oportet esse quod merito seu per se et ex se et ex sua ratione talem privationem et ordinem in se implicet; quod nullo modo faceret, nisi totaliter esset oppositus actui formali et modo eius, quoniam forma e contrario dicit modum determinatum entis; unde sua praesentia amovet privationem informitatis et indeterminationem [a] sibi oppositam; dicit enim id quod dicit per modum termini et perfectivi potius quam per modum terminabilis et perfectibilis, sicut evidenter patet in omnibus formis nobis notis. Non enim figura est alia figuratione figurabilis nec calor est illuminabilis nec musica potest informari arte grammaticae vel quacunque alia scientia, ita quod possit fieri et dici musica grammaticalis [b]; potius enim per huiusmodi formas aliquid aptum natum est dici tale vel tale quam quod ipsae per aliquas alias formas possint dici per se et non per accidens tales vel tales. Si autem essentia potentiae seu ipsius possibilis et essentia ipsius actus formalis opponuntur ad invicem secundum absolutos modos suae entitatis et non solum secundum [c] suos respectus: tunc simpliciter et generaliter sibi opponentur et non solum per respectum ad hoc vel ad illud. Haec est enim conditio [d] oppositionis absolutae seu inter absoluta; quamvis enim in relativis [e] idem possit habere respectus oppositos [f] respectu diversorum, nullo tamen modo hoc potest esse in absolutis, sicut patet in formis contrariis. Absoluta igitur oppositio essentiae ipsius possibilis ad essentiam formalem realem diversitatem esse inter ipsa clamat. Quod autem dixi [g] ea inter se opponi etiam in suis absolutis, loquor de oppositione incompossibilitatis qua scilicet non possunt aliqua in uno et eodem se compati, non autem de oppositione contrarietatis proprie [h] accepta, quia ista non est nisi in formis quae in eodem subiecto, quantum est de se, vicissim esse possunt.

Iis autem attestantur [i] Augustinus et Aristoteles et [k] omnes eius sequaces, quoniam non per aliam viam nec per aliam rationem probaverunt materiam esse in rebus corporalibus nisi per hoc quod in toto motu et sub contrariis

---

[a] Ita B^7, V *indeterminationis.* [b] Al. m. corr. [c] Ita B^7, V om. [d] Al. m. mg.; al. m. corr. *oppositionis.* [e] B^7 *relatum.* [f] B^7 add. *pro.* [g] B^7 om. [h] Ita B^7, in V lac.; al. m. corr. *accepta.* [i] V B^7 B^6 *attestatur.* [k] Add. interl.

terminis eius oportebat dare unum commune subiectum mobile et mutabile, hoc autem necessario ponunt esse materiam et nullo modo formam; et tamen si forma poterat istis esse subiecta [a] per aliquam potentiam quam in se haberet, tunc omnino insufficiens et inefficax esset ratio eorum. — Et quod quidem Aristoteles nullam aliam rationem faciat ad probandum materiam esse in istis inferioribus patet tam in *Physicis* quam in *Metaphysicis* [1]; expresse etiam dicit V *Physicorum* [2], quod formae non est forma, quod tamen nullo modo esset verum, si potentia et [b] essentia in qua fundatur non esset essentialiter alia ab essentia formae. — Augustinus etiam, XII *Confessionum*, 2 capitulo, ostendens per quid devenerit in cognitionem materiae dicit [3] quod postquam diu circa ipsam quasdam falsas imaginationes habuerat quas ibidem recitat dicit, inquam, quod « intendit in ipsa corpora, inspexitque eorum mutabilitatem qua desinunt esse quod fuerant et incipiunt esse quod [c] non erant; eundemque transitum de forma in formam per informe quiddam fieri suspicatus sum, non per omnino nihil ». Et paulo post [4]: « Mutabilitas enim rerum mutabilium ipsa capax est formarum omnium in quas mutantur res mutabiles; et hoc quid est? numquid animus? numquid corpus? numquid species animae et corporis? si dici posset, nihil aliquid est ». Et breviter tam in libro illo quam libro *Supra Genesim ad litteram* quam libro *De vera religione*, per mutabilitatem probat [d 5] esse aliquid omnino informe. — Per oppositum etiam probat Boethius, libro suo *De Trinitate* [6], quod in Deo non potest esse aliud praeter id quod est. « Nec enim », inquit, « subiectum fieri potest, forma enim est; formae vero subiectae esse non possunt; nam quod ceterae formae subiectae accidentibus sunt, ut humanitas, non ita accidentia suscipit in eo quod ipsa est, sed in eo quod ei materia subiecta [e] est; dum enim materia subiecta humanitati suscipit quodlibet accidens, ipsa

---

[a] B[7] *subiectam.* [b] B[7] om. *p. e.* [c] Al. m. mg. *f. e. i. e. q.* [d] Al. m. mg. [e] Al. m. ex *subiectis.*

---

[1] *Phys.*, I, 7 (per totum), 189 b 30 sqq.; II, 1, 193 a 26 sqq.; *Metaph.*, VII, 7, 1032 a 17 sqq.; 1032 b 32 sqq.; VII 8, 1033 a 24 sqq.; VIII 1, 1042 a 25 sqq.; VIII, 4, 1044 a 15 sqq.; VIII, 5, 1044 b 21 sqq. et alibi saepe. [2] Cap. 2, 226 a 10 sq.; V, 1, 224 b 11 sqq. [3] Cap. 6 (PL 32, 828). [4] Cap. 7, 8, 12, 13 (PL 32, 828 sqq.). [5] *De Gen. ad. lit.*, I, 14, 15 (PL 34, 256 sq.); II, 11 (PL 34, 272); VII, 6 (PL 34, 359); *De vera relig.*, cap. 18 (PL 34, 137). [6] Cap. 2 (PL 64, 1250).

hoc suscipere videtur humanitas; forma vero quae est sine materia non poterit esse subiectum ».

Patet etiam hoc secundo ex parte ipsius actus formalis. Prima enim forma quae in nullo erit recepta erit omnino alterius generis et (a) rationis ab omni forma in alio recepta et aliquid informante, quia istis erit essentiale quod informent aliquid a (b) se differens, ita quod tota essentia earum erit essentialiter ordinata ad illud informandum; illi vero primae formae erit essentiale esse absolutam ab omni tali informatione et ab omni ordinatione ad aliquid informandum; ergo nomen formae vel actus non competet eis univoce. — Praeterea, constat quod forma sic absoluta habet actualitatem longe nobiliorem quam formae essentialiter alicui informabili impendentes; ergo impossibile est quod illa forma sit inferior omnibus aliis; sed prima forma est naturaliter inferior omnibus sequentibus, saltem quando sequuntur (c) ut perfectiores, finaliores et principaliores; ergo prima forma non est minus impendens alicui ab ea informabili quam ceterae formae sequentes. — Praeterea, si forma informatur, aut sua actualitas informatur aut non. Si sic: ergo actualitas formae, in quantum actualitas, informatur et est informabilis; ergo, in quantum actualitas, est potentialis seu potentialitas. Si non: ergo suum informans non recipitur in actualitate formae quam informat; cum etiam actualitas eius sit (d) tota entitas sua: ergo nihil de tota sua entitate informatur (e).

Praeter ista autem omnia clamat hoc omnis formae creatae multiplex defectus, videlicet defectus omnimodae absolutionis, summae simplicitatis, illimitationis. Omnis enim forma quae non est in alio a se recepta et participata vel saltem ita se habens, quantum est ex parte sua, ac si esset in alio recepta et participata est absolutissima, simplicissima, universalissima (f) et infinitissima, et breviter est summum ens et ipsemet Deus.

Erit quidem absolutissima. Non enim habebit existere suum impendens alicui nec per se nec per partes suas, quoniam totum quod in ea erit erit in se ipso manens; quod enim non esset in se ipso manens (g) iam esset in alio re-

(a) Add. interl. (b) Ex *ad*. (c) Al. m. corr. (d) Al. m.; al. m. mg. *tota*. (e) Al. m. mg.; B^{7} om. *Patet etiam hoc secundo... informatur*. (f) Al. m. mg. *s. u.* (g) B^{7} om. *quod enim... manens*.

ceptum, et tunc quantum ad illud haberemus propositum. Non solum etiam esset in se ipsa manens, sed etiam nullo modo esset in aliquo alio receptibilis, ita quod posset esse actus alicuius alterius; quoniam omne quod potest esse actus alterius oportet quod habeat in (a) se defectum plenae existentiae et ordinabilitatem ad aliud competentem sibi essentialiter. Quantum autem ad esse seu existere non potest maior absolutio excogitari, nisi forte dicatur quod ipsa habeat relationem ad suum esse tanquam recipiens ad receptum et quod habeat relationem ad Deum tanquam ad causam effectivam sui esse. Sed primum stare non potest; et posito quod stare posset, iam haberemus plene intentum, quoniam essentia illa quae de se (b) nihil habet de esse et quae tota est ordinabilis ad illud sicut possibile ad suum actum per quem simpliciter et non solum secundum quid existit habet vere in se totam definitionem materiae et huiusmodi esse vere totam definitionem substantialis formae, sicut in quaestione de essentia et esse magis patuit. Unde oportet tenere quod omnis forma habeat esse absque hoc quod esse in ea recipiatur tanquam essentialiter et secundum rem diversum ab ea; et maxime, si est forma in se ipsa manens, hoc sibi competet. Licet autem effici a Deo implicet in se defectum plenae absolutionis, nihilominus tamen in tali actu eo ipso quod ponitur in se ipso perfecte consistere ponitur intra se summam absolutionem habere; sicut in essentia Filii Dei vel Spiritus Sancti tenemus quod licet personae illae producantur (c) a Patre, quia tamen ita perfecte manent in se ipsis sicut et Pater, ita absolutam habent essentiam et esse sicut et Pater. Unde et Christus, Iohannis 5, ubi vult ostendere se Patri aequalem, hoc tanquam summum sibi attribuit dicens (1) quod *sicut Pater habet vitam in semetipso* (d), *sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (e). Omne enim quod sic manet in se ipso ad nihil extra se est inclinabile nec inclinatum nec coordinatum; non enim hoc posset esse, nisi tota sua essentia esset pura inclinatio, quoniam inclinabile et inclinatum non differret (f) ibi a sua inclinatione. Nulla etiam esset ibi protensio virtualis alicuius aspectus seu potentiae, nisi forte tota essentia eius esset pura protensio. Et tamen

---

(a) B^7 *intra.* (b) *De se* ex *sed.* (c) Al. m. ex *prodicantur.*
(d) B^7 *se ipso.* (e) Al. m. mg. *sic... semetipso.* (f) B^7 *differet.*

---

(1) Ioh. 5, 26.

cum hoc sequeretur quod cum omnis inclinatio sit apta nata esse alicuius inclinabilis, immo et de se semper videatur dicere actum alicuius inclinati per eam formaliter, quod posset esse actus alicuius possibilis et ita quod posset in aliquo recipi tanquam forma. Et breviter: omnis actus in (a) aliud relatus, sicut est protensio aspectus et consimilia, semper videtur dicere actum alicuius possibilis seu alicuius materiae; nulla enim protensio aut inclinatio (b) videtur dicere actum absolute in se ipso manentem. Si autem nulla esset ibi protensio aut inclinatio nec aliquis aspectus determinatus, tunc haberet virtutem et actionem absolutissimam nullo modo indigentem materia vel obiecto, et sic per consequens posset creare, sicut est probatum in quaestione an creatura aliqua possit creare. Istae autem conditiones non sunt nisi solius Dei.

Praeterea, cum totum quod erit in tali actu sic in se ipso existente sit per se ens sufficienter et absolute — quicquid enim esset in ipso quod non esset ens per se et in se esset necessario in alio receptum et in alio existens —: constat quod talis actus nullo modo indigebit aliquo recipiente aut qualitercunque coadiuvante ad suum existere. Ubi autem nihil est alio aliquo modo indigens ad sui esse (c) nihil est penitus de possibili aut de potentia passiva, quoniam totum et omnis ratio quae in eo erit erit purus (d) et perfectus actus, tanquam per se et in se perfecte existens, quod nullo modo competit rationi ipsius possibilis vel potentiae passivae. Quod autem nihil habet in se possibile non est (e) ens creatum, saltem completum, sicut supra est satis ostensum. — Praeterea, si ille actus haberet aliquam potentiam passivam sive per indifferentiam realem sive a se realiter differentem: aut ratio illius actus fundaretur in ratione illius potentiae aut e contrario; non enim de pari et quasi disparate aut sine omni ordine posset utraque se habere ad esse. Si autem actus fundaretur in ratione potentiae, hoc non posset esse, nisi esset actus eius (f), ipsam scilicet perficiens et informans; et tunc haberemus propositum. Si vero ratio potentiae fundaretur in ratione ipsius actus, tunc eo ipso haberet rationem cuiusdam ulterioris actus et magis determinativi ex sua ratione quam esset id in quo fundaretur, quoniam haberet se ad id per modum addentis et supervenientis. — Praeterea, si actus haberet potentiam aut in se implicitam aut

(a) Al. m. mg. (b) B7 om. *videtur... inclinatio.* (c) B7 add. *vel existere.* (d) Al. m. corr. (e) Add. interl. al. m. (f) B7 om.

sibi suppositam (a), non videtur quod posset dicere aliud quam ordinem et relationem illius actus ad illa respectu quorum esset (b) in potentia aut aliquam essentiam sibi inhaerentem et in ipso receptam. Secundum autem omnia ista semper diceret aliquam rationem formalem et in quantum talem et sic non iam rationem potentiae passivae.

Erit etiam simplicissima. Quaecunque enim (c) diversitas partium ibi esset, nulla illarum esset perfecte in se ipsa manens; quaecunque enim in se ipsa maneret, esset ens per se ipsam absque omni alio. — Praeterea, partes diversae non possunt aliquod unum (d) constituere, nisi una sit forma alterius vel ambae una forma informentur aut nisi concurrant in eadem materia; et sic in omni compositione partium semper oportet esse materiam et formam. Si enim sunt (e) partes materiales, per se quidem possunt esse unibiles, sed actus unionis non erit de essentia earum, sed potius aliquid formale. Si vero sunt partes formales, oportebit quod una sit forma alterius et altera materia eius (f) aut quod pro tanto uniantur, quia in eadem materia concurrunt. Nec est plures modos dare quomodo plures partes uniri possunt ad constituendum aliquod unum. — Et praeterea, impossibile est quod aliquod constitutum ex partibus sit proprie et plene manens in se ipso, cum stabilitas suae existentiae sit a partibus et quaelibet partium faciat ad stabilitatem alterius. Oportet igitur quod omnis forma in se ipsa manens sit simplicissima et tali simplicitate quod non poterit minui nec augeri, etiam a Deo, neque intelligi maior quam sit nec minor, quoniam tunc necessario haberet partes vel habere posset. Nec erit simplicitatis punctalis quam proprie vocamus simplicitatem parvitatis (g), quia tunc haberet essentiam defectivam in summo, ita quod non posset cogitari quomodo minus posset habere; et tunc non esset possibile quod esset in se ipsa manens, cum existere in se ipso sit nobilissimus actus entis.

Esset igitur simplicissima, ita quod secundum id ipsum sui simplicissimum haberet aliquem ambitum et latitudinem entitatis intensionis et virtutis, ita quod totum et totaliter in eo non differrent. Haberet etiam simplicitatem nulli alteri componibilem per modum partis, quia tunc oporteret quod

---

(a) B[7] *superpositam.* (b) Al. m. ex *esse.* (c) B[7] om.; idem subinde. (d) B[7] *bonum.* (e) B[7] *semper.* (f) B[7] *eiusdem.* (g) B[7] om. *q. p. v. s. p.*

posset recipi in aliquo sicut in materia et quod posset non existere in se ipsa. Talis autem simplicitatis conditio non videtur posse esse (a) nisi solius Dei. Illud enim in quo non differt totum et totaliter, totum et totaliter (b), quantum est ex parte sua, attingit (c) omnia quae attingit, ita quod si esset in pluribus locis, totum et totaliter esset in pluribus locis. Omne autem tale, qua ratione potest sic attingere duo vel tria, eadem ratione posset sic attingere infinita. Nullum etiam tale attingit aliquid per protensionem et inclinationem, quia omnis protensio vel inclinatio habet in se compositionem graduum intensionis et remissionis seu magis et minus; intensius enim attingit propinquiora quam longinquiora; et omne inclinatum et protensum posset saltem a Deo inclinari et protendi aliquando magis aliquando minus et secundum aliquid sui attingit unum et secundum aliquid aliud, sicut in omnibus potentiis animae et in omnibus aspectibus virtutum corporalium satis inspici potest. Quod autem absque protensione et inclinatione attingit alia, et operatur virtute absolutissima et in nullo determinata (d) omnia agit. Et sic est absolutissima in essentia et virtute et operatione; quod soli Deo attribui potest.

Erit etiam universalissima et illimitatissima, tum quia absolutissima et simplicissima, quanto autem aliquid absolutius et simplicius, tanto universalius vel abstractius; quicquid enim est partiale, est ad alia entia universi coordinabile tanquam quaedam pars universi tenens partialem gradum et quasi situm, sive spiritualem sive corporalem, in ipso universo respectu superiorum et inferiorum et respectu coaequalium. Quae omnia enti absolutissimo et simplicissimo et habenti conditiones supra immediate probatas convenire non possunt. — Praeterea, in omni habente limitem est dare terminos, saltem intelligibiliter, vel est terminus alicuius alterius, sicut est punctus; ubicunque autem sunt (e) ista, ibi est dare compositionem, saltem intelligibilem, qualis est compositio graduum intensionis et remissionis. Cum etiam omni habenti terminum possit fieri additio, saltem a Deo, et etiam diminutio, cum non participet totum ambitum et totam actualitatem suae speciei aut sui generis: posset isti formae aliquid addi de sua essentia aut subtrahi; et ita non haberet absolutionem aut simplicitatem superius praetactam et sic

---

(a) B^7 om. (b) Al. m. mg. *t. e. t.* (c) Al. m. (d) Ita B^7, V *determinatam.* (e) B^7 om.

per consequens nec essentiam [a] in se ipsa manentem. Omnis etiam forma partialis est limitata ad hic et nunc et ita est tota applicata et determinata tam secundum suam essentiam quam secundum suam virtutem et eius aspectum et secundum suam operationem. Omnis autem talis forma manifeste videtur dicere essentiam in aliquo receptam et participatam et ad ipsum [b] applicatam et determinatam et per ipsum ad alia. — Si autem dicatur, sicut et quidam dicunt, quod erit limitata [c] ad certam naturam specificam ac per hoc non est universalissima, non autem erit limitata [d] sub sua specie [e], ita quod non contineat in se totum ambitum suae speciei: hoc quidem praemissa non evadit; et tamen ex hoc ipso sequitur quod sit universalissima et in omnibus sicut Deus, sicut in sequenti quaestione plenius patebit.

Et praeterea, Dionysius tanquam christianissimus theologus, 4 capitulo *De divinis nominibus*, dicit [1] quod « pulchrum et pulchritudo non sunt dividenda in causa quae in uno tota comprehendit; haec enim in [f] existentibus in participationes et participantia dividentes pulchrum quidem esse dicimus quod participat pulchritudinem, pulchritudinem autem participationem pulchri facientis tota pulchra causae ». In quo expresse dicere intendit quod in Deo non differunt pulchrum et pulchritudo, in aliis autem a Deo differunt sicut participans et participatum. Nec potest dici quod velit dicere quod in entibus differant haec secundum rationem solum, quia etiam sic differunt in Deo; et tamen in hoc ponit differentiam inter Deum et alia entia. Praeterea, in eo quod dicit quod differunt sicut participans et participatum, hoc est, sicut recipiens et receptum: manifeste apparet quod vult quod realiter differant, quoniam recipiens et receptum necessario realiter differunt. Non etiam potest dici quod velit dicere quod participans sit ipsa essentia, participatum vero ipsum esse, sicut quidam [g] dicunt; quoniam pulchritudo et intelligibile lumen potius dicunt rationes formales quam [h] solum ipsum esse seu existere; et tamen has vocat participationes et participata. Ipsum etiam pulchrum quod vocat participans potius dicit materiam vel aliquid quodcunque informatum quam quidditatem alicuius formae. Et tam [i]

---

[a] Ita B^7, V *essentia*. [b] B^7 *ab ipso* pro *a. i.* [c] Ex *limitatam*. [d] Al. m. mg. *ad... limitata*. [e] B^7 om. [f] Add. interl. al. m. [g] Al. m. corr. [h] Al. m. corr.; idem subinde. [i] B^7 *tamen*.

[1] § 7 (PG 3, 702).

2 capitulo quam alibi pluries [1] perfectiones formales omnium entium per quas ascendimus in divinam cognitionem vocat participationes. Unde 2 capitulo dicit [2] quod « omnia divina participationibus solum cognoscuntur ». Unde et omnia nomina divina dicit [3] esse accepta a participationibus divinis a Deo in causa [a] procedentibus. Et expressissime capitulo 11 [4] ubi exponit quid in libris suis vocat per se vitam et per se virtutem et consimilia dicit « per se substantificationem et per se vivificationem [b] et per se deificationem esse provisivas virtutes participaliter datas ex Deo imparticipabili quibus existentia iuxta proprietatem suam participantia et existentia et viventia et divina et sunt et dicuntur »; et alia similiter. Unde et infra hoc ipsum dicit de per se bonitate, de per se pulchritudine. Et statim post dicit [5] quod Deus primo dicitur esse causa [c] ipsarum absolute, deinde earundem in universali acceptarum, deinde earundem sumptarum in particulari, deinde participantium eas acceptorum in universali, ultimo participantium ipsas particulariter. Quod non est aliud dicere nisi quod sicut ipsae intelliguntur primo absolute, deinde respectu suorum inferiorum generaliter, deinde particulariter: sic consimiliter et de participantibus eas, et ita quod secundum omnem modum tam in generali quam in speciali semper intelligantur [d] ut participabiles et participatae. Quinto etiam capitulo ubi loquitur de existente dicit [6] quod quia substantiae intellectuales pluribus donis [e] Dei participant quam aliä quae solum sunt existentia aut viventia: ideo [f] sunt meliores omnibus aliis, quamvis in ipsis participationibus e contrario esse videatur, utpote quod existere excedit vitam et vita sapientiam. Et circa medium capituli id ipsum quod postea dicit capitulo 11 ponit, quod « scilicet per se vita et per se sapientia et per se deitas et per se esse sunt participationes quibus existentia participantia participant ».

Boethius etiam, libro *De Trinitate*, hoc ipsum ponit expresse [7]. « Divina », inquit, « substantia sine materia forma

---

[a] Ita B^7, V *incausata*, B^6 *increata* pro *i. c.* [b] Al. m. corr. [c] B^7 *tam.* [d] Ex *intelliguntur.* [e] Al. m. mg., del. *deo donis.* [f] B^7 om.

---

[1] Cap. II, § 5-7; cap. I, § 4; cap. V, § 5, 7 (PG 3, 591; 642 sqq.; 819 sqq.). [2] § 5 (PG 3, 646). [3] Cap. I, § 4, 6-7 (PG 3, 590 sqq.). [4] § 6 (PG 3, 955). [5] Cap. V, § 3 (PG 3, 818). [6] § 5-7; cap. XI, § 6 (PL 3, 819 sqq.; 955). [7] Cap. 2 (PL 64, 1250).

est atque ideo unum est et est id quod est. Reliqua enim non sunt id quod sunt; unumquodque enim habet esse suum ex iis ex quibus est, id est, ex suis partibus, et est hoc atque hoc, id est, partes suae (a) coniunctae, sed non hoc vel hoc singulariter ». Expresse igitur vult hic Boethius quod sola quidditas Dei seu suum id quod est non sit compositum ex partibus, immo quod in omnibus aliis sit compositum ex partibus; et hoc ipsum paulo post replicat. Unde illi qui ponunt esse in angelis compositionem solum ex essentia et esse vel ex subiecto et accidentibus expresse iis contradicunt, quia tales compositiones non sunt compositiones ipsius essentiae seu ipsius quod est nec sunt compositiones tanquam (b) ex partibus aliquod totum constituentibus.

Iis igitur visis quae sunt communia omnibus substantiis attendenda sunt sequentia duo substantiis angelicis propria: an scilicet ratio et natura materiae cum natura angelica possit se compati; et post, an natura substantiarum intellectualium possit sine materia in suo complemento salvari.

Et primum quidem, quod scilicet possint se compati, plene patebit ostenso quod materia in eis posita non repugnat eorum incorruptibilitati aut simplicitati nec eorum intellectualitati nec libertati. Quia autem hoc ex responsione argumentorum quae huius contrarium directe concludunt sufficienter patebit, idcirco usque tunc differatur.

Ultimum autem, quod scilicet sine materia secundum modum praedefinita non possint substantiae intellectuales in complemento suae existentiae et speciei salvari, licet ex superioribus iam sufficienter possit colligi, quoniam generaliter hoc de omnibus entibus est ostensum: nihilominus tamen ad abundantiorem huius evidentiam praedicta ad propositum applicemus.

Defectus enim materiae secundum rationem supra positam acceptae ponit in eis essentiam omnino imparticipabilem et imparticipatam (c) et sic per consequens Deo aequalem, sicut hoc in sequenti quaestione magis patebit. Ponit etiam eos respectu Dei omnino invariabiles et insusceptibiles omnis (d) doni sui et cuiuscunque gratiae seu influentiae suae. — Prae-

---

(a) B^7 om. *p. s.* (b) B^7 om. (c) Ita B^7, V *imparticipata.*
(d) Corr. interl.

terea, quaero an Deus posset unum angelum aut quamcunque substantiam intellectualem sibi personaliter unire; et quidem secundum fidem nostram oportet concedi quod sic. Sed forma simplex in se ipsa manens et imparticipata nullo modo potest radicari et existere in alio supposito, cum sit per essentiam suam existens in se (a) ipsa et ita sit sibi essentiale existere in se quod non possit intelligi sine tali existentia nec talis modus existendi aliquo modo addat aliquid ad ipsam, quantumcunque nudam et absolute cogitatam, nec dicat aliquid quod possit sibi auferri, si in eius substantia nulla est penitus substantialis compositio. Non enim potest dicere accidens, sicut de se patet et sicut satis (b) alibi est probatum; quia tunc ratio suppositi et entis seu ipsum suppositum et ens esset (c) sibi ipsi accidentale et quia oporteret quod esset tale accidens in quo tam natura quam omnia accidentia substantificarentur tanquam in eorum supposito. Ponit igitur haec positio Deum non posse angelum nec aliquam substantiam intellectualem sibi personaliter unire.

Ponit etiam eorum intellectum omnino inerrabilem et invariabilem et eorum libertatem omnino impeccabilem et immutabilem, impassibilem et impunibilem (d) et imbeatificabilem et penitus ab omni passione seu receptione et ab omni determinata inclinatione et aspectu, etiam ab omni accidente penitus elongatam (e). — Et sicut in sequenti quaestione patebit, sequitur ex ea in omnibus hominibus unitas intellectus; contraria enim praedictorum potentiam receptivam seu participantem necessario in se includunt, et sic per consequens materiam superius praedefinitam. — Et ex ea sequitur quod anima rationalis sit ita absolute et perfecte in se ipsa manens quod nullo modo possit corpori aut alicui alteri substantialiter uniri et maxime tanquam participatum in participante et sicut receptum in recipiente. Si enim ratione suae simplicitatis et intellectualitatis nullo modo potest sibi competere quod sit aliquo modo recepta et participata in aliqua materia spirituali et simplici et quasi sui generis: multo minus ex eisdem causis poterit sibi competere quod sit recepta et participata in materia corporali. Si etiam ex eo, quod eius essentia est manens in se ipsa tanquam (f) sibi ad esse sufficiens et tanquam imparticipabilis, nullo modo potest esse in materia spirituali (g): eisdem causis sequitur

(a) B^7 om. *i. s.* (b) Add. interl. al. m. (c) Al. m. mg. (d) Corr. in ras. (e) V B^7 B^6 *elongatas.* (f) B^7 *eam qua.* (g) Ex *spiritualia.*

quod nec in materia corporali. Hoc autem in sequenti quaestione amplius patebit.

Ut autem sciatur quod haec opinio est recte sanctorum: sub expresso vocabulo materiae dicit Augustinus materiam esse in angelis. Dicit enim, *Confessionum* XIII, a medio et ultra [1], exponens illud [2] *in principio fecit Deus caelum et terram* et inter alios modos exponendi ponens unum, quod per caelum intelligatur materia invisibilium, per terram vero materia visibilium, ita scilicet quod per [a] terram invisibilem [b] et incompositam intelligatur materies corporalis [c] ante qualitatem formae, per tenebras autem super abyssum spiritualis [d] materies ante cohibitionem quasi fluentis immoderationis et ante illuminationem, dans cum hoc rationem quare in utrisque esse possit, quoniam inest quaedam mutabilitas omnibus, sive maneant sicut aeterna domus Dei, sive mutentur sicut anima hominis et corpus: dicit quidem, postquam plures modos exponendi posuit, quod posito quod omnes non fuerint intellecti a Moyse, quod nihilominus omnes sunt veri [e] secundum iudicium Veritatis aeternae. Unde et quemlibet per ordinem verum esse enarrans dicit [3] quod « verus est ille qui ait quod *in principio fecit Deus caelum et terram*, id est, in Verbo suo coaeterno fecit Deus informem materiam spiritualis et corporalis naturae ». Et exinde usque ad finem eiusdem libri multotiens ponit [4] materiam spiritualem et intelligibilem spiritualis et [f] intelligibilis creaturae. — Et XIII [g] libro, circa principium [h], loquens de informi spirituali et corporali, quae non solum vocat informia, sed etiam inchoata, sicut in libro *De vera religione* ipsam materiam non solum vocat [5] quoddam informe, sed etiam quandam inchoationem entium, dicit [6] quod « spirituale informe praestantius est quam si formatum corpus esset, corporale autem informe praestantius quam si omnino nihil esset ». Et post dicit quod « ita penderent informia, nisi per Verbum Dei revocarentur ad divinitatem eius et formarentur ». Et post etiam expressis verbis eas nominando expresse plura dicit de eis. — Item, V *Super Ge-*

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Ita B^7, V *invisibile*. [c] B^7 *materias corporales* pro *m. c.* [d] B^7 *spirituales*. [e] Sequitur ras. [f] In mg., B^7 om. [g] B^7 *in IV*. [h] B^7 *praeceptum*.

---

[1] Lib. XII, 6, 8, 15, 17, 20 (PL 32, 827 sqq.; 833 sq.). [2] Gen. 1, 1. [3] *Confess.*, XII, 20 (PL 32, 836). [4] Capp. 20, 24, 28, 29 (PL 32, 837 sqq.). [5] Cap. 18 (PL 34, 137). [6] Cap. 2 (PL 32, 845).

nesim, capitulo 10 de nostris capitulis parvis, « non itaque », inquit [1], « corporali sed causali ordine prius facta est informis formabilisque materies et spiritualis et corporalis ». Et postea ponit [a] quomodo « per caelum et terram intelliguntur et per terram invisibilem et incompositam ac per abyssum tenebrosam », ut in primo libro se dicit tractasse, subiungens quaedam de angelica natura per quae patentius patet quod de materia eorum loquitur. — Item, VII libro *Genesis* [2], circa principium, quaerens quomodo ante creata fuerit simul cum primis operibus sex dierum et subiungens unum modum qui dici posset, quod scilicet materiam eius spiritualem de qua fieri posset fecisset in illis diebus, antequam ipsam secundum suam speciem formasset, sed volens post recitationem huius positionis ostendere quod quantum ad hoc non est inconveniens quod materiam ponit in anima rationali dicit [b 3]: « Si enim quiddam incommutabile esset anima, nullo modo eius materiem quaerere deberemus; nunc autem mutabilitas satis indicat eam vitiis interim atque fallaciis deformem reddi, formari autem virtutibus veritatisque doctrina, et hoc in sua natura qua [c] est anima; sicut et caro in sua natura qua iam caro est et salute [d] decoratur et morbis vulneribusque foedatur »; quamvis quantum ad aliquas alias conditiones ostendat positionem praedictam non multum esse convenientem. — Boethius etiam, libro *De unitate*, si tamen suus est liber, dicit [4] quod [e] aliud dicitur esse unum essentiae simplicitate, ut Deus, aliud simplicium coniunctione, ut angelus et anima quorum unumquodque est unum coniunctione materiae et formae. — Patet igitur quod sic senserunt sancti.

Quid autem super hoc senserunt philosophi pagani in responsione argumentorum tangetur.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum igitur dicendum quod non est simile de bonitate et veritate et de simplicitate, quia compositum op-

---

[a] B^7 om. [b] B^7 om. [c] Ex *que*. [d] Al. m. ex *salite*. [e] Ita B^7, add. *unum*.

---

[1] *De gen. ad lit.*, V, 5 (PL 34, 326). [2] Lib. I, 2, 5 (PL 34, 247 sqq.). [3] Lib. VII, 6 (PL 34, 359). [4] *De unitate et uno*, auctore Dominico Gundissalino saeculo XII. (cfr. Paul Correns, *Die dem Boethius fälschlich zugeschriebene Abhandlung des Dominicus Gundisalvi de unitate, Beiträge zur Gesch. d. mittelalt. Philosophie.* Münster W., 1891 Bd I, 1); vide PL, 63, 1075 sqq.

ponitur simplici uno modo relative, sicut totum [a] et pars et sicut suo modo unum et multa, compositum enim est quodam modo multa; alio modo opponitur ei disparate et quasi contrarie. Compositio etiam seu compositum non dicunt aliquid repugnans naturae ipsius compositi nec defectum naturae eius indebitum et innaturalem, sed potius aliquid positivum et naturae complementum. Malum autem et falsitas dicunt quosdam defectus disconvenientes, indebitos et innaturales naturae in qua sunt et opponuntur [b] veritati et bonitati privative; sunt enim quaedam privationes veritatis et bonitatis debitae seu quae inesse debent [c], nec ex eis potest aliquid totum constitui, sicut nec ex ente et non ente. — Praeterea, simplex, prout a se excludit omnem compositionem, idem est quod summe simplex; omne enim tale nullum habet defectum simplicitatis. Bonitas autem [d] excludens a se omne malum non propter hoc excludit omnem defectum bonitatis, quia non omnis defectus bonitatis est malum, sed solum ille qui est indebitus et innaturalis, non autem ille qui est conveniens et naturalis, sicut est unicuique rei conveniens quod non habeat bonitates aliarum rerum. Et ideo dicere quod creatura possit esse simplex absque omni compositione est dicere quod possit esse summe simplex et summe absoluta. Dicere autem quod sit [e] absque omni malo vel falsitate non est dicere [f] quod sit summe bona et summe vera. Summa autem simplicitas non potest communicari creaturae absque contradictione sicut nec summa bonitas.

Ad id autem quod additur de primis principiis entium dicendum quod simplicitas eorum potius dicit defectum a perfectione totius ex [g] eis compositi quam perfectionis excessum; unde potius debet dici simplicitas parvitatis et defectibilitatis secundum quam a ratione entis completi deficiunt quam simplicitas plenae et absolutae unitatis. Nec etiam excludunt a se compositionem simpliciter, quoniam de se semper sunt componibilia nec possunt existere nisi in [h] composito; et si possunt, non potest hoc fieri nisi cum modo existendi incompleto et semper contra exigentiam naturae eorum. — Quidam etiam praeter hoc ad hoc dicunt quod nullum principium substantiae est carens omni compositione par-

---

[a] Al. m. mg. [b] Ita B^7, V *apponuntur*. [c] Ita B^7, V *debet*. [d] B^7 om. [e] B^7 *possit esse*. [f] B^7 add. *nisi*. [g] B^7 om. [h] Ita B^7, V om.

tium, quamvis in intellectualibus careant compositione quantitativa sicut et entia ex eis composita, quamvis ubique careant compositione naturarum diversae speciei vel generis, si tamen sunt omnino prima. Volunt enim quod omnis forma habeat compositionem graduum secundum quam potest esse intensior et remissior et virtuosior seu potentior et minus potens. Et dicunt quod sine tali compositione angeli non possunt in suis formis substantialibus se ipsos excedere nec Christi anima nostras, cum omnis excessus respectu eiusdem speciei et formae specificae necessario praesupponat plus haberi de illa specie seu forma; plus autem et minus partium compositionem includunt. Et idem dicunt de caritate maiori et minori, sicut in quaestione de augmento caritatis et aliarum virtutum habet tradi. Consimiliter etiam dicunt quod una materia plus habet in se de substantia informi et plus per consequens de capacitate quam alia; et loquuntur de maioritate capacitatis quae materiae essentialiter inest, non de illa maioritate capacitatis [a] quae ratione dispositionum formalium sibi attribuitur, eo modo quo dicitur quod materia corporis humani est capax animae rationalis, prout est debite organizata et non aliter. Dicunt enim isti quod omnis forma habens aliquem ambitum et magnitudinem virtutis et omnis materia habens aliquem [b] ambitum seu magnitudinem capacitatis oportet quod hoc habeat secundum aliquam magnitudinem suae essentiae, etsi illa magnitudo non sit situalis et extensa. Et breviter, dicunt quod si aliquid in eis est dare absque omni compositione partium, quod illud est recte in eis sicut punctus in linea vel terminus mutationis in motu, minimum scilicet illius naturae quod excogitari possit.

Ad secundum dicendum quod sicut in quaestionibus de sacramento Eucharistiae magis habet tangi, accidentia illa semper sic stant, quantum est ex parte sua, ac si materiae actualiter inhaererent. Nulla enim mutatio facta est ex parte eorum, sed solum materia et subiectum sunt eis subtracta et ideo miraculose dicuntur existere; nec est eis datus modus per se existendi absolutus proprie, cum actualiter, quantum est ex parte sua, referantur ad subiectum [c] et recte ita ac si iam actu inhaererent [d]. Unde in eis per se existere nihil ponit nisi solum negationem subiecti; non enim est eis data ratio suppositi seu substantiae primae

---

[a] Al. m. mg. *quae materiae... capacitatis,* quae B^7 om. [b] B^7 om. *ambitum... aliquem.* [c] B^7 *obiectum.* [d] B^7 om. *a. i.*

nec aliquid positivum quod prius non haberent. — Quod autem dicitur quod non possunt inclinari aut inhaerere, etiam quantum est ex parte sua, nisi illa inclinatio aut inhaerentia habeat [a] terminum actualem: dicendum quod est verum de termino intrinseco, eo modo quo terminum vocamus terminationem cuiuscunque finiti; non autem hoc oportet de termino extrinseco. Potest enim hoc Deus miraculose facere etiam in motu, utpote si moveret aliquid localiter absque omni loco seu locante; sicut posset movere totum mundum, faciendo quod ubi nunc est pars caeli superior, esset illa quae est subtus nos, ita quod illa quae est supra nos esset tantum supra eam quantum nunc est; totus enim motus iste nullum haberet terminum extrinsecum. — Quod etiam dicitur quod nulla res potest inclinari ad nihil: dicendum quod inclinari ad nihil potest sumi dupliciter, aut scilicet ad id quod licet actu sit nihil, ex sua tamen ratione dicit aliquid et ens; et hoc modo bene potest aliquid inclinari ad nihil, saltem miraculose. Unde et intellectus noster intelligendo aliquid praeteritum seu quodcunque aliud quod actu est nihil seu non ens refertur aliquo modo ad id quod est actu, nihil dicens tamen ratione [b] obiecti et entis. Aut potest dici alio modo inclinari ad nihil, quia ad ipsam non entitatem et ad ipsam negationem entis aliquid inclinetur; et hoc nullo modo potest fieri per se et directe. Sic autem non est in proposito, sed solum primo modo.

Ad tertium patet ex iis quae dicta sunt in principio responsionis principalis. Licet enim materia dicat actum et essentiam, tamen essentialiter [c] differentem ab actu et essentia formali; quoniam actus et essentia materialis includit in se [d] essentialiter privationem informitatis et indeterminationem essendi et ordinem potentialitatis et perfectibilitatis et aliquid magis sibi absolutum quod nobis non est bene explicabile verbo; forma vero includit in se eorum opposita. — Quod autem obicitur quod tunc erunt compositae ex eo in quo conveniunt et ex eo in quo differunt, quasi ex genere et differentia: dicendum quod actus vel [e] essentia est eis commune analogum, sicut et ens, et ita non est genus eorum. Nec etiam omnem rationem differentialem oportet aliquid addere realiter diversum ad illud commune cui additur et maxime ad commune analogum; sicut patet

---

[a] Ita B⁷, V om. [b] B⁷ B⁸ *rationem.* [c] B⁷ *essentiali.* [d] B⁷ om. *i. s.* [e] B⁷ *el.*

de praedicamentis quae non addunt ad ens aliquid realiter diversum, etiam secundum [a] Aristotelem [1], et tamen aliquo modo addunt aliquas rationes differentiales secundum quas inter se differunt. — Ad illud autem de imperfecto dicendum quod imperfectum non diversificat speciem, si illa imperfectio non dicat nisi diminutionem eiusdem naturae et speciei quam perfectum superaddit, sicut cum dicimus caritatem vel calorem perfectum et imperfectum. Quando autem privatio imperfectionis est ipsi imperfecto essentialis et in se includens aliquam differentiam essentialem et realem seu positivam, tunc bene diversificat speciem. Et sic est in proposito, sicut ex praedictis patet.

Ad quartum dicendum quod potestas stabiliendi et substantificandi non convenit materiae nisi materialiter, per hoc scilicet quod forma recipitur in ea et terminatur et figitur in ea formae impendentia tanquam in [b] recipiente eam et tanquam in eo [c] cuius est actus non enim materia facit hic aliquid effective nec aliquid formale; forma vero stabilit materiam formaliter. Non igitur [d] convenit materiae nobilissimo modo nec totali, sed solum partiali; formae etenim [e] hoc convenit et altiori modo. — Quod autem dicitur quod recipiens est naturaliter prius recepto: dicendum quod hoc est verum de tali recepto quod recipit existentiam [f] suam a recipiente et quod non dat aliquo modo existere simpliciter suo recipienti, sicut est de lumine recepto in aere. Et sic est de omni accidente. Non autem est verum de tali recepto sine cuius adiutorio existentia [g] seu esse nullo modo potest haberi. Talis autem est forma substantialis respectu suae materiae; licet enim possit aliquando esse sine hac vel sine illa et pro tanto possit esse prius naturaliter hac forma vel illa, non tamen simpliciter potest esse sine forma. Et ideo nec simpliciter et absolute et universaliter est [h] prior omni forma, immo sic materia et forma sunt simul natura tanquam correlativa; mutuo enim ad se referuntur, etiam secundum Aristotelem, II *Physicorum* [2], per hoc inter alia ostendentem quod ad naturalem pertinet considerare formam

---

[a] B[7] om. [b] Ita B[7], V om. [c] B[7] *ea.* [d] B[7] *enim.* [e] B[7] *vero.* [f] B[7] *essentiam.* [g] B[7] *essentia.* [h] B[7] *esse; prior* ex *priori.*

---

[1] *Metaph.*, V, 28, 1024 b 9 sqq.; VII, 1, 1028 a 10 sqq.; III, 3, 998 b 22; V, 6, 1016 b 31 sqq.; V, 7, 1017 a 22 sqq.; *Eth.*, I, 4, 1096 a 23 et alibi saepius. [2] Cap. 2, 194 a 12 sqq.

et materiam, quia unum correlativum non potest sciri sine altero, cum unum cadat in definitione alterius.

Ad quintum dicendum quod quando dicitur formam et materiam ad invicem uniri, unio haec non dicit actum quendam intermedium inter materiam et formam, quia tunc praedicta ratio bene concluderet; et praeter hoc sequeretur quod huiusmodi unio uniretur suis unibilibus, materiae scilicet et formae, alia unione a se, et sic in infinitum. Si enim forma non possit uniri materiae suae nisi per unionem intermediam quae dicat (a) alium actum per essentiam a suis extremis: ergo nec forma unionis poterit uniri suis unibilibus quorum est unio et actus nisi per aliam unionem. — Sequitur enim hoc per locum a toto in quantitate. Quem scienter allego, quia quidam hic et in consimilibus accipientes primo universalem negativam instant in proposito. Et tamen instantia haec est quaedam propositio particularis contenta sub illis, ut quando dicitur quod veritas addit aliquid diversum essentialiter ad essentiam seu ad ens, probantes per hoc, quia ratio essentiae non est ratio veritatis, immo sunt ratio alia et alia. Et tamen, quando ab eis quaeritur si in illa essentia quam addit ratio ipsius veritatis aut (b) consimilium sunt penitus idem ratio essentiae et ratio veritatis: dicunt quod sic; quia, ut dicunt, standum est in primis, alias iretur in infinitum, non intelligentes quod hoc continebatur sub prima, sicut particularis in sua universali, sub illa scilicet qua dicitur quod ratio essentiae non est ratio (c) veritatis, sed sunt alia et alia ratio. Si autem prima non erat universaliter accepta, tunc ex ea non poterunt aliquam conclusionem formare in aliqua determinata materia sine paralogismo (d) consequentis; erit enim sicut si dicerem (e): quidam homo currit, ergo iste. Si etiam non erit vera universaliter, tunc simpliciter et absolute non erit vera, sed solum in aliqua determinata materia; nec hoc erit per se, sed quasi per accidens. Et tamen tunc oportebit probare quare sit vera in tali materia et quare magis in illa quam in alia. Haec autem idcirco tetigi, quia in multis habet locum et maxime in primis et generalissimis conditionibus entis, ut sunt absolutum et relatum, suppositum et (f) natura, essentia et esse, unum, verum, bonum et consimilia. — Dico igitur quod materiam uniri formae non est aliud quam eam per modum pos-

---

(a) Ex *dicit*. — (b) Sequitur ras. (c) B^7 om. (d) In ras.
(e) Ita B^7, V *diceret*. (f) Add. interl. al. m.

sibilis et informabilis esse praesentem formae; et formam uniri non est [a] aliud quam eam per modum actus et informantis esse praesentem materiae. Non enim materia refertur ad formam [b] per aliquem actum formalem aliquo modo, utpote non per aliquam inclinationem actualem vel unionem, sed solum per modum possibilis et perfectibilis et receptivi; nisi forte quando respectu aliquarum ulteriorum formarum oportet eam esse dispositam et coaptatam ad eas per aliquas priores formas, tunc enim refertur ad tales formas [c] non solum ut possibilis et ut capax, sed etiam ut per formas priores disposita et inclinata ad eas. Et consimiliter forma non refertur ad materiam per aliquam aliam formam, acsi esset quaedam materia per formam aliquam sibi additam ad suam materiam inclinata; sed solum refertur tanquam per suam essentiam ut [d] huius materiae actus et non solum actus absolute, sicut et materia per suam essentiam est possibile et capax eius. Alias quaero per quid inclinatio unitur inclinabili quod per eam est inclinatum et e contrario per quid ipsum inclinabile unitur suae inclinationi; et idem quaero de unione et unibili. Et utique non erit dare per quid aliud a se ipsis, nisi eatur in infinitum. Et tamen toto hoc nihil esset dictu secundum veritatem. Secundum hoc autem forma non debet dici appropriata suae materiae per aliquem alium actum, immo de se est terminus proprius materiae et eius determinatio; unde debet dici eius [e] forma propria potius [f] quam appropriata.

Ad sextum dicendum quod in definitionem substantiae compositae ex materia et forma oportet quod intret materia seu ratio materiae; alias non dicet totam essentiam compositi. Verum est autem quod materia ponitur ibi oblique, sicut et forma concretive; de substantia enim sic composita non potest aliqua eius pars praedicari directe et in quid. Unde genus quod praedicatur in quid dicit compositum ex materia et forma; unde in eo, quod genus ponitur in definitione, ponitur ibi materia. Alias quis posset definire hominem nulla facta mentione de corpore humano, non solum per modum correlativi, sed etiam per modum partis hominis essentialis? nonnisi qui diceret quod homo non sit aliud quam anima corporis humani. — Averroes igitur hic sicut et in multis aliis insanit. Non enim forma rerum habentium

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Al. m. mg. *r. a. f.* [c] B[7] om. *t. e. r. a. t. f.* [d] B[7] om. [e] B[7] om. [f] Al. m. mg., del. *post.*

materiam dicit totam [a] quidditatem ipsarum, sicut ipse vult, sed oportet quod dicat aggregatum ex forma et materia, sicut facit humanitas quam [b] quidam vocant formam totius, quamvis secundum veritatem non possit dici forma nisi metaphorice; alias oporteret quod aliquam materiam veraciter informaret et quod cum ea constitueret tertiam naturam et multa alia inconvenientia alibi [c] tacta. — Aristoteles etiam non hoc videtur ibi sentire, licet mihi non sit cura quid hic vel alibi senserit; eius enim auctoritas et cuiuslibet infidelis et idolatrae mihi est nulla, et maxime in iis quae sunt fidei christianae aut multum ei propinqua. A multis enim ibidem exponitur quod non loquatur de materia aut partibus materialibus in communi acceptis, sed solum de eis, prout sunt particulares et individuatae; alias verba eius sunt etiam contra dictum Averrois, cum ipse velit quod intrent definitionem per modum correlativi; et eo modo quo intrat definitionem oportet quod sit prior definito. Aristoteles autem utrumque negat a partibus materialibus; vult enim quod non intrent definitionem totius, sed potius quod totum intret definitionem earum et quod non sint priores suo toto sed posteriores quantum ad intellectum et quantum ad viam definiendi, dans exemplum de circulo et semicirculo et de recto angulo et acuto qui est quaedam pars anguli recti [d], et de digito et homine cuius est.

Vidi tamen quendam qui dicebat Aristotelem hic satis turpiter fuisse deceptum, in exemplis scilicet quae causa probationis ponit. Semicirculus enim et angulus acutus, prout in eorum definitionibus cadunt circulus et [e] rectus angulus [f], non erant, ut dicebat, partes eorum, sed potius sumuntur ut quaedam tota ab eis et [g] ab aliis partibus eorum divisa. Angulus enim acutus, prout est pars recti anguli, non debet dici angulus [h] acutus nec etiam angulus. Et similiter semicirculus, prout est actualis pars circuli, non debet dici figura semicircularis nec etiam semicirculus; in quantum enim est pars eius [i], non est figura sed pars figurae, nec debet aliquo modo intelligi ut divisus, sed ut unitus. De digito vero et consimilibus partibus dicebat quod duplex est modus partium. Quaedam enim sunt [k] ex quibus simpliciter constituitur ipsum totum, ita quod sine eis nullo modo esse

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. corr. [c] Al. m. ex *alia*. [d] Al. m. mg. [e] Al. m. mg. [f] Al. m. ex *angelus*. [g] Al. m. [h] Al. m. ex *angelus*. [i] B⁷ om. [k] B⁷ om.

potest, ut sunt in homine corpus et anima et in corpore humano cor et caput; quaedam vero aliae sunt quae non faciunt ad eius esse simpliciter, sed solum ad perfectum esse, substantiale tamen. Et primae quidem simpliciter sunt priores toto, etiam quantum ad intellectum, aut saltem simul et aliquo modo oportet quod in eorum definitionibus cadant; secundae vero nec quantum ad suum materiale nec quantum ad suum formale intrant definitionem totius, si [a] per definitionem non indicetur eorum essentia completa et complete, sed solum eorum essentia simpliciter; quia illo modo non sunt partes illius totius. Et sic dicebat esse in digito et consimilibus.

Qui autem nituntur [b] Aristotelis exempla exponere dicunt quod quantitas est materia circuli et anguli et breviter omnium figurarum. Incisio autem non competit figuris nisi per quantitatem quae secundum eos est earum materia et pars materialis; et ideo dicunt quod incisiones semicirculorum non competunt circulo secundum suam speciem, sed solum huic vel illi circulo per materiam suam, quantitatem scilicet individuatam [c].

Praedictus tamen dicebat hic quinque inconvenientia implicari: Primo, quia ponit circulum per se non habere partes in quas possit dividi. — Secundo, quia ponit quantitem esse materiam earum. — Tertio, quia ponit incisiones semicirculorum non convenire nisi circulis individualibus, cum semicirculus sit ita commune et ita universale sicut et circulus. — Quarto, quia [d] per quantitatem abstractissime et communissime acceptam, sicut sumitur a mathematicis, etiam prout eam intelligunt ut subsistentem figuris, ponit hunc et illum circulum individuari; et quod circulo universali cum quantitate universali accepto ponit non posse competere incisiones, etiam per quantitatem illam; unde videtur velle ponere quod quantitas, in quantum quantitas, est individua et nullo modo universalis. — Quinto, quia istimet ponunt et ibidem exponendo dicunt quod materia in communi intrat definitionem non solum compositi, sed etiam ipsius formae, licet per modum correlativi; et ita secundum hoc quantitas et eius partes et materia semicirculorum in communi accepta intrabit definitionem circuli, et ad minus formae ipsorum intrare debebunt; et sic etiam secundum hoc formae

---

[a] B^7 *sed.* [b] Ita B^7, V *nituuntur.* [c] Ita B^6, V B^7 *individuata.* [d] Ita B^6, V B^7 *quod.*

digitorum et manuum definitionem hominis seu humani corporis debebunt intrare.

Quid autem de iis sit verum ad praesens non curo; ad propositum enim non multum refert.

Ad septimum dicendum quod [a] posito quod compositio aliquid addat ad extrema aliquo modo essentialiter diversum, sicut quidam volunt, non tamen secundum eos addit accidens, sed quendam essentialem respectum. Et secundum hoc materia et forma dicent quidem totam essentiam absolutam ipsius compositi, non autem totum respectum et modum ipsius, nisi sumantur ut unitae et coordinatae, sicut suo modo sumuntur genus et differentia in definitionibus. Nec etiam omne quod potest ab alio separari est accidentale, quia [b] tunc forma substantialis esset accidentalis [c] materiae et manus homini et consimilia, sed solum illud quod potest separari absque omni variatione et diminutione substantiae et substantialis esse. — Secundum alios autem qui volunt quod nihil addat ad ipsa essentialiter diversum potest dici, sicut quidam dicunt, quod quando Deus separat hanc formam ab hac materia et ponit eam in altera materia et e contrario materiam sub altera forma, sicut utrumque [d] miraculose potest facere: non fit hoc per aliquem motum vel [e] inclinationem factam in essentia ipsius formae, sed solum per hoc quod datur sibi alius terminus extrinsecus, scilicet alia materia; sicut quando ante aspectum lucis et virtutis solaris transeunt varia corpora sive perspicua sive densa, etiam ipso corpore solari immobiliter stante, mutatur relatio illius [f] aspectus, non quidem in se aut secundum se aliquo modo, sed solum quantum ad hoc quod aspicit aliud et [g] aliud patiens qui est terminus vel medium sui aspectus. Et eodem modo erit de materia, nisi, sicut supra dictum est, quando per praecedentes formas et formales dispositiones et inclinationes ab aliquo agente inclinatur et ducitur ad [h] aliquam aliam formam.

Si autem adhuc contra hoc dicatur quod ad minus [i] oportet in altero extremorum mutationem fieri — nulla enim mutatione facta in aliquo extremorum, omnia [k] sicut prius se habebunt et stabunt —: dici potest quod sicut materia, quamvis in sua essentia sit immutabilis secundum Augu-

---

[a] Al. m. mg., del. *etiam.* [b] Al. m. mg. [c] B[7] *accidentale.* [d] Corr. interl. [e] B[7] *nec,* om. *motum.* [f] B[7] *ipsius.* [g] Sequitur ras. et lac. [h] Al. m. mg. [i] Al. m. [k] B[7] om.

stinum dicentem, XII *Confessionum* (1), quod secundum suam essentiam caret temporibus ac (a) per consequens motibus (b) et secundum Aristotelem, I *Physicorum*, dicentem (2) quod de se est ingenerabilis et incorruptibilis, mutari tamen dicitur per hoc solum quod suscipit varias formas, ita quod tam ipse motus quam termini motuum nihil dicunt materiale, sed solum formale: sic e contrario forma non dicetur mutari per hoc quod in se recipiat diversa formalia (c), sed solum per hoc quod ei substernuntur diversae materiae. Licet enim essentia materiae non sit essentia formae, nihilominus tamen ipsa materia est vere aliquid eius, ita quod auferre sibi materiam est vere aliquid sibi auferre et dare sibi aliam est vere circa eam aliquid innovare et ita bene suo modo, sicut si aliquid formale sibi auferretur (d) et aliud formale seu alia essentia formalis sibi (e) adderetur. Et idem est de materia respectu diversarum formarum, quoniam ipsae formae vere sunt aliquid ipsius materiae, ut merito earum ablatio vel donatio (f) sit materiae mutatio. Quando igitur fit a Deo miraculum per hoc quod haec forma quae modo erat forma huius materiae efficitur forma alterius materiae et simul cum hoc sua prior materia fit materia alterius formae: tunc fit mutatio in utroque extremorum, sed non in eorum essentiis, ita scilicet quod aliquid materiale ipsi materiae addatur vel aliquid formale ipsi formae; quamvis magis proprie possit dici quod solum in ipsis materiis fit mutatio, eo modo quo dicitur quod mutatio proprie non fit nisi in ipso per se mutabili. Quando autem sic fit quod forma remanet absque omni materia, sicut fit in sacramento altaris, tunc in forma remanente non fit mutatio etiam modo praedicto, quod scilicet detur sibi alius terminus vel aliud (g) patiens; sed solum fit mutatio in eo quod sibi subtrahitur, scilicet in substantia panis; nisi pro tanto et hic mutari dicatur, quia suus terminus vel suum recipiens sibi subtrahitur. Cui autem hoc non placet, sufficiat sibi primum; videat tamen quomodo in conversione panis in corpus Christi nulla fit alicuius essentiae annihilatio nec alicuius essentiae generatio, et tamen fit mutatio quae dicitur conversio.

(a) B^7 *aut.* (b) B^7 *motus.* (c) Al. m. corr. (d) Al. m. ex *auferetur;* add. interl. *et.* (e) Add. interl. (f) B^7 om. *v. d.* (g) Ita B^6, V B^7 *alius.*

---

(1) Cap. 9 (PL 32, 829). (2) Cap. 9, 192a 27 sq.

Ad octavum dicendum quod, sicut ex praecedentibus sufficienter patet, forma nullo modo per se potest esse subiectum receptionis vel motus, quoniam nullo modo potest habere rationem potentiae vel possibilis nisi per accidens omnino, sicut in argumento illo supponitur; unde non est simile de priori et posteriori et de actu et potentia, sicut in praecedentibus satis patuit. — Concedo autem rationes in praedicto argumento adductas quae probant quod formis non potest convenire potentia recipiendi per materiam, ita quod in se habeant aliquam potentiam passivam praeter illam quae est propria illius materiae; quia, ut credo, valde bene concludunt. — Ad id autem quod additur de individuatione dicendum sicut in quaestione de individuatione dictum est. Non enim forma individuatur a materia, quasi recipiat essentiam suae individuationis a materia (a), ac si materia generaret illam individuationem in ea; nec consimiliter materia (b) sic individuatur a forma; sed pro tanto una dicitur individuari per alteram, quia forma non potest esse aut fieri individua, nisi sit talis in sua essentia quod possit esse actus materiae individualis tanquam existens secundum suam essentiam participabilis et participata et non imparticipabilis (c), sicut est forma Dei. Et eodem modo nec materia potest esse aut fieri individua, nisi sit talis quod sit capax formae individualis; quamvis pro tanto individuatio possit magis attribui materiae quam formae, pro quanto nulla potest intelligi materia, quantumcunque absolute et abstractissime intelligatur, quae unquam in sua abstractione et universalitate possit actu esse aut intelligi ut sic actu existens vel ut sic possibilis existere. Hoc autem potest fieri de forma, sicut patet de formis et perfectionibus quae sunt in Deo. — Ad id autem quod additur de substantificatione dicendum quod materia non exigitur ad hoc tanquam tota causa substantificationis, sed tanquam concausa, et hoc ignobiliori modo quam ipsa forma. Quare autem forma non possit (d) esse in se fixa satis supra patuit. Nec (e) in hoc praevalet sibi materia, quia nec materia potest esse fixa nisi per formam; sed tamen illa figitur per hoc quod recipitur, haec vero per hoc quod substernitur seu subicitur, unaquaeque scilicet secundum proprietatem suam. Non est etiam intelligendum quod forma recipiat substantificationem a materia, quasi materia efficiat

(a) B⁷ om. (b) B⁷ add. *non.* (c) B⁷ *participabilis.* (d) Ex *possint.* (e) B⁷ om.

in ea hanc substantificationem; sed solum hoc habet a materia materialiter et receptive et terminative, per hoc scilicet quod est terminus receptivus et solidus suae impendentiae.

Ad nonum dicendum quod tam a Dionysio quam ab aliis sanctis dicuntur angeli esse immateriales non per privationem omnis materiae simpliciter, sed solum per privationem materiae corporalis. Quod patet per Damascenum, II libro, capitulo 2 ([a] [1]), loquens ([b]) de angelo: « Incorporeus autem et immaterialis dicitur quantum ad nos; omne enim comparatum ad Deum ([c]) qui est solus incorporalis ([d]) et grossum et materiale invenitur; solus enim essentialiter immaterialis et incorporalis Deus est ». Patet etiam hoc ipsum per Dionysium ([2]) qui crebro in suis libris dicit nostrum intellectum esse materialem et passibilem, pro eo quod per ista sensibilia et corporalia apprehendimus divina et quasi modo conformi ipsis sensibilibus et corporalibus; et idem dicit de nostro affectu. Alias non plus est materialis noster intellectus quam intellectus angelicus. — Ad illud autem Augustini dicendum quod non condividit materiam et angelum quasi duo simpliciter diversa, sed solum connumerat ea quantum ad unum in quo secundum se conveniunt, in carentia scilicet temporum; quod quidem convenit angelo non solum ratione suae materiae, sed etiam ratione totius suae substantiae et formalis ([e]) perfectionis suae gloriae. Alias in eodem libro expressissime vult angelum habere materiam, sicut supra ([f]) patuit.

Ad decimum dicendum quod christiano viro sola Scriptura sacra et fides catholica debet esse in robur et culmen auctoritatis; et ideo posito quod omnes pagani falso dicti philosophi contrarium senserint aut aliqui eorum, non est mihi cura. Licet diversis diversa super hoc videantur, omnibus tamen pensatis quae de eorum dictis legere potui, magis mihi videntur voluisse non esse materiam in eis, sumptam iuxta modum superius praedefinitum. Hoc autem magis tangetur in quibusdam argumentis pro parte vera factis.

Ad undecimum dicendum quod prima propositio duplici ratione est falsa, nisi sane et catholice accipiatur, quo-

---

([a]) Ita B^6, in V B^7 lac. ([b]) Rectius *loquentem*. ([c]) B^7 *a Deo* pro *a. D.* ([d]) B^7 *incorporeus*. ([e]) B^7 *materialis*. ([f]) Al. m. in ras.

([1]) *De fide orth.*, II, 3 (PG 94, 867). ([2]) Pseudo-Dionysius, *De cael. hierarchia*, cap. I, § 3; cap. II, § 1, 2 (PG 3, 122, 138 sq.).

niam causam possibilitatis essendi et non essendi videtur attribuere materiae proprie et universaliter, ita scilicet quod hoc conveniat omni materiae et soli; et tamen hoc non simpliciter convenit omni materiae nec in ipsa solummodo est causa huius. Quando enim materia ex sua essentia et specie est determinata ad aliquas formas, nullo modo potest tendere ad alias; ut verbi gratia, materia corporalis nullo modo potest recipere formas spirituales nec moveri ad eas hoc modo quod nullam habeat in se formam corporalem et quod per eas fiat spiritualis et simplex. Et consimiliter materia spiritualis sic est determinata ad formas spirituales quod nullo modo potest esse totaliter exuta ab eis et formis corporalibus indui. Materia igitur spiritualis non habet in se potentiam talem per quam spirituale possit corrumpi et mutari in corporale, sicut nec e contrario materia corporalis hoc habet. Non etiam convenit hoc soli materiae, immo partim huius rei causa est ex parte formae. Quando enim forma talis est quod perfecte tenet materiam sub se et in tanta sublimitate et stabilitate quod nullum agens creatum potest in eam (a) facere aliquam impressionem aut impulsum seu inclinationem ducentem ad formam contrariam et elongantem eam a forma praedicta: quantumcunque materia, quantum est de se, sit possibilis ad recipiendum formas contrarias seu disparatas, nullo modo poterit duci ad eas nec recedere a forma priori. Et talis ad minus est forma liberi arbitrii; alias non posset esse forma libera et dominativa, sicut alibi est ostensum. Quando etiam formae ad quas materia est possibilis, quantum est de se, sunt talis naturae et excellentiae quod per motum introduci non possunt (b): tunc impossibile erit quod materia ad illas formas duci possit per aliquod agens creatum, cum nullum agens creatum possit educere de materia formas stabiles nisi per motum, sicut alibi est ostensum. Intellectus autem et voluntas dicunt tales formas quae per nullum (c) motum fieri possunt, etiam a Deo, sed solum per absolutum exitum a virtute Dei creante, sicut in quaestione an sint (d) formae generabiles et corruptibiles habet tangi. Et loquor de eis, prout dicunt formas suas; dicunt enim praedictae potentiae non solum formam sed etiam (e) materiam, sicut alibi est tactum. Quando etiam formae ad quas

---

(a) B^{7} *ea.* (b) B^{7} *possit.* (c) Ita B^{7}, V *ullum.* (d) Al. m. *a. s.* (e) Add. interl.

materia est in potentia sunt tales quod sunt eiusdem speciei solo numero differentes vel non habent inter se intelligibilem distantiam seu contrarietatem vel oppositionem talem sine qua non est intelligere motum: tunc per nullum agens creatum nec per aliquem motum [a] poterunt huiusmodi formae fieri in ea. Tales autem sunt formae substantiales angelorum, sicut in sequentibus ostendetur. Et ideo licet eorum materia posset suscipere a Deo formas substantiales cuiuscunque alterius angeli, non tamen per motum hoc posset nec ab aliquo agente creato. Talia autem entia, quae scilicet per motum corrumpi aut generari non possunt nec per aliquod agens creatum aliquo modo fieri vel destrui [b], non vocamus communiter possibilia esse et non esse, immo vocamus ea incorruptibilia et ingenerabilia, quamvis respectu Dei sint mere possibilia. — Est igitur prima propositio neganda quantum ad hoc quod materiam dicit simpliciter et universaliter esse causam possendi esse et non esse et quantum ad hoc quod formis causalitatem huius totaliter tollit. Quod autem ibi pro huius probatione [c] affertur quod hoc formae non potest convenire, cum sit actus et non [d] potentia: dicendum quod hoc formae non convenit per hoc quod sit potentia nec simpliciter per hoc quod est actus, sed per hoc quod est actus defectivus, non sufficiens ad materiam plene et potenter sub se tenendam.

Ad duodecimum dicendum quod prima propositio est manifeste falsa, si intendit quod potentia secundum essentiam absolutam in qua fundatur debeat diversificari secundum diversitatem actuum et si velit quod extrema relationum in quibus respectus ipsi [e] fundantur multiplicentur secundum multiplicationem alterius extremi. Tunc enim tot erunt patres, quot erunt filii, quamvis ab eodem homine geniti; et tunc tot erunt potentiae intellectivae, quot possunt in ea esse actus et habitus. Nec formarum contrariarum aut diversarum sibi in eodem succedentium contrarie [f] erit una materia, nec plures formae seu naturae formales possent simul recipi in eadem materia; et saltem secundum hoc alia esset materia formarum substantialium et alia accidentalium, etiam in corporibus. Quae omnia sunt absurda. Est ergo hoc tantum intelligendum de ipsis respectibus. Secundum enim quod plurificantur filii, secundum hoc est dare

---

[a] Sequitur ras. et lac. [b] Ex *destrtrui*. [c] Ita B^7, V *per huius probationem*. [d] Al. m. mg. [e] B^7 *ipsius*. [f] Ita B^7, V *non*.

in causa [a] eorum plures respectus ad ipsos. Et sic etiam respectus materiae quos aliquando nomine potentiarum vocamus sunt plures, sicut et formae ad quas terminantur; quamvis non oporteat propter hoc quod sint plures per essentiarum diversitatem, sed solum per plurium rationum realem veritatem, sicut alibi est ostensum. — Minor etiam et eius probatio sunt falsae. Est enim in angelis potentia ad formam substantialem, sicut supra [b] satis est ostensum; sed non est ibi [c] velut ad absentem aut velut ad talem ad quam per motum possit duci, sed solum velut ad praesentem et semper veraciter in se receptam, tanquam ab ea semper informata. Probatio etiam eius nihil valet nisi solum in potentia modis contrariis accepta, quae scilicet est in tendentia ad formam substantialem, ita quod ad [d] eam potest moveri tanquam ad absentem.

Quod etiam dicitur, quod scilicet in angelis non est potentia ad formam accidentalem quae per motum possit educi et corrumpi: est contra Sanctorum doctrinam et contra rationem et experientiam et, ut credo, contra fidem catholicam. Augustinus enim, V *Supra Genesim* et XII *Confessionum* et XII *De Civitate* capitulo 15 et in pluribus aliis locis [1], vult expresse quod in angelicis affectionibus sint motus et tales qui tempore mensurentur. Et, XV *De Trinitate* [2], vult quod conversio nostri intellectus et applicatio sit aciei intellectualis quaedam iactatio et motio qua huc illucque iactatur. Et Anselmus, libro *De concordia*, parum ante finem [3], vult quod voluntas est instrumentum se ipsum movens et omnes alias potentias animae et quod faciat omnes motus voluntarios. Damascenus [4] etiam et fere tota Scriptura sacra vult [e 5] angelos localiter seu per loca moveri, sicut suo loco plenius habet ostendi. Sed impossibile est motum esse in aliquo, quin ibi sit terminus motus per motum eductus [f]; et utique terminus [g] motus formale quid est, magis etiam quam ipse motus. — Est etiam contra rationem

---

[a] B[7] *vitam* pro *i. c.* [b] B[7] om. [c] Ex *sibi.* [d] B[7] om. [e] In marg., del. *ut.* [f] Ita B[6], V *educturus.* [g] B[7] om. *p. m. e. e. u. t.*

---

[1] *De Gen. ad lit.*, IV, 29, 31, 32 (PL 34, 315 sqq.); *Confess.*, XII, 9, 12, 16, 18 (PL 32, 829 sqq.). [2] Cap. 15 (PL 42, 1078). [3] *De concordia praesc. et libert.*, q. III, cap. 13 (PL 158, 538). [4] *De fide orth.*, II, 3 (PG 94, 866 sqq.). [5] Cfr. Tob. 5, 5 sqq. (fere per totum); Is. 6, 6; Dan. 3, 49; 14, 35; Matth. 28, 2; Luc. 1, 26; 10, 18; Ioh. 1, 51.

rectam; ubicunque enim est dare contrarias formas et tales quae magis et minus recipiunt et quae post actionem agentium eas permanent: tales non est dubium per motum educi. Si enim per simplicem influentiam fierent, tunc statim cessante causa cessaret effectus nec esset in eis omnino [a] plena contrarietas. Sed in habitibus consuetudinalibus seu in affectionibus [b] habitualibus est vera contrarietas cum aliis conditionibus praedictis; vere enim contrariatur humilitas superbiae, castitas luxuriae, largitas avaritiae et sic de aliis; et vere ista recipiunt magis et minus et permanent cessante actione suorum agentium. Constat igitur quod fiunt per motum aut saltem fieri possint, utpote quando paulative et successive ab affectu [c] luxuriae elevat se [d] quis magis ac magis ad affectum castitatis et sic de aliis. Praeterea, virtutes et habitus consuetudinales, sive boni sive mali, per frequentes actus et applicationes potentiarum magis ac magis educuntur in esse et crescunt. Cui etiam consentit Aristoteles, in *Ethicis* suis [1]. Sed hoc non videtur esse aliud quam fieri et crescere per motum intrinsecum in ipsis potentiis magis ac magis factum. — Est etiam contra experientiam; manifeste enim experimur voluntatem nostram per affectus [e] successive magis ac magis elevari aut incurvari et dilatari aut ad se quodam modo coarctari et sic de aliis [f] modis spiritualium motionum.

Ratio autem per quam Aristoteles paganus contrarium huius probare nititur, VII *Physicorum* [2], per hoc scilicet quod virtutes dicit esse quasdam relationes et in ad [g] aliquid secundum eum [3] non est motus, quam sit frivola [h] de se patet; tum quia insanus esset qui diceret quod nullam aliam essentiam dicant praeter meram relationem, et ideo, licet ipsi respectus non sint per se termini motus aut actionis, sunt tamen essentiae in quibus fundantur; tum quia quomodocunque ponantur esse respectus, oportet eis dare aliquid absolutum in quo fundentur per quorum [i] generationem et corruptionem generentur et corrumpantur. Quaero etiam ego ab Aristotele si illae relationes virtutum fiant.

---

[a] Al. m. mg. [b] B^7 *effectionibus.* [c] B^7 *effectu.* [d] Ita B^7, V *elevatur* pro *e. s.;* B^7 om. *quis.* [e] B^7 *effectus.* [f] Ex *alis.* [g] B^7 om. [h] Ita B^6, V B^7 *frivolum.* [i] Rectius *cuius.*

---

[1] Lib. II, 1, 1103a 17sqq., b 14 sqq.; VI, 13, 1144b 1sqq. [2] Cap. 3, 246b 3sqq. [3] Cfr. *Phys.*, V, 2, 225b 10sqq., 226b 23sq.

Et utique oportet quod sic, cum prius non essent et modo sint et cum secundum eum sequantur ad motus factos in passionibus sensualibus. Sed omne quod fit oportet quod habeat causam sui effectivam et non solum causam mediatam sed etiam immediatam, quia omnis causa media supponit immediatam (a). Quaero etiam an fiant aliquo modo per se aut solum per accidens: et quocunque (b) horum dato semper oportet poni aliquem per se effectum in subiecto seu potentia in qua fiunt. Dicere autem quod motus factus in sensitiva parte et in organis eius (c) sit causa effectiva et totalis ipsarum virtutum non solum est multipliciter absurdum, sed etiam simpliciter haereticum; destruit enim totaliter arbitrii libertatem et virtutum et meriti nobilitatem et multa alia quae suo loco habent magis (d) tangi. — Alia etiam ratio eius quam in libro *De anima* et I (e) *De caelo et mundo* et alibi videtur innuere (1), quod scilicet si in parte intellectiva est motus, quod ibi erit vera alteratio ac per consequens corruptio et potentia ad non esse, frivola est et vana; tum quia petit principium supponens (f) id quod probare debebat — supponit enim quod ubicunque est motus alterationis, quod ibi sit potentia ad non esse seu ad corruptionem formae substantialis —; tum quia apud omnes est per se notum quod subiectum motus, in quantum tale, per motum non destruitur, sed potius in toto motu semper salvatur et manet, potentiae autem substantiae intellectualis (g) motibus suis subiciuntur, ita quod motiones illae non possunt in eis esse vel intelligi ipsis potentiis in sua specie non salvatis; tum quia tam ipsi Aristoteli (2) quam eius sequacibus est notum quod motus non corrumpit nisi solum formas incontingentes, quoniam nec per motum fiunt omnia ex omnibus, utpote non fit album ex nigro seu ex quocunque non albo, sed solum ex non albo quod privat albedinem tanquam

---

(a) Al. m. mg. *quia... immediatam.* (b) Ita B^7, V *quorumcunque.* (c) B^7 *suis.* (d) B^7 om. (e) B^7 *super.* (f) Ex *suspponens.* (g) Ex *intellectus.*

---

(1) Falso interpretatur auctor Aristotelem; cfr. *De an.*, I, 4, 408a 34sqq.; II, 12, 424a 17sqq.; III, 4, 429a 10sqq. Ipse solummodo motum substantialem seu compositionem ex materia et forma in intelligentiis esse negat; cfr. *De an.*, III, 5, 430a 10sqq.; *De caelo* I, 2, 3, 268b 11sqq; *Metaph.*, XII, 2, 1069b 24sqq. (2) Cfr. *Metaph.*, VII, 7, 1032a 20, b 17sqq.; *De gener. et corr.*, II, 4 (per totum), 331a 7sqq.; I, 7 (per totum), 323b 1sqq.

ei incontingens seu incompossibile; sed motus qui sunt [a] in substantiis intellectualibus seu qui ibi esse possunt et eorum termini nullam habent incontingentiam aut oppositionem [b] cum formis substantialibus earum, quin semper potius eas praesupponunt et in sua ratione et existentia semper includuntur, quoniam materia seu potentia passiva substantiarum intellectualium nullum habet ordinem ad huiusmodi motus nec ad terminos eorum nisi mediantibus suis formis substantialibus; tum quia nulla causa effectiva ipsius motus est per se et immediate sui ipsius per motum illius destructiva, sed potentiae cum suis formis sunt causae effectivae omnium motuum fere qui [c] in eis fiunt, ergo per tales motus impossibile est eas destrui per se et directe nec est dare qualiter per accidens hoc posset fieri. Praeterea, quomodo per hoc probatur quod saltem ibi esse non possit [d] motus localis absque omni corruptibilitate suarum substantiarum, cum hoc ponant esse in caelis? Quod autem angeli moveantur per loca et sic per consequens quod habeant in se aliquod mobile quod sit per se subiectum huius [e] motus in quaestione de loco angeli ostendetur.

Huius etiam sententiae non videntur omnes philosophi fuisse. Unde Simplicius, *Super praedicamenta*, capitulo *De motu*, dicit [1] quod tria sunt genera motuum [f], scilicet motus intellectualis, animalis, naturalis. In praedicamentis autem Aristoteles [2] non determinat nisi de motu corporali et naturali.

Quod etiam in praedicta ratione adiungitur quod illud possibile quod est in potentia ad formas accidentales quae de potentia subiecti non educuntur, sicut est lumen in aere, non est univocum [g] cum illo possibili quod est in potentia ad formas substantiales: patet esse falsum ex iis quae in principali responsione sunt dicta.

Ad decimum tertium dicendum quod maior est simpliciter falsa, quamvis credam quod sit Aristotelis [3],

---

[a] B[7] *est.* [b] Ita B[7], V *appositionem.* [c] B[7] *quando.* [d] Ex *possut.* [e] B[7] om. [f] B[7] *motus.* [g] B[7] *unicum.*

---

[1] *In Aristotelis categorias commentarium* (Consilio et auctoritate Acad. Borussiacae, ed. Kalbfleisch, Berolini 1907) pag. 427, 27 sq.: ὡς νῦν περὶ κινήσεως οὐ νοερᾶς ἢ ψυχικῆς λόγος, ἀλλὰ τῆς φυσικῆς καὶ σωματικῆς. [2] *Cat.*, cap. 14, 15 a 13 sqq. [3] *Metaph.*, X, 10, 1058 b 26 sqq.; Aristoteles autem non dicit quod auctor ei imponit, corruptibile et incorruptibile plus quam secundum genus differre; dicit: ἐπειδὴ δὲ τὰ ἐναντία ἕτερα τῷ εἴδει, τὸ δὲ φθαρτὸν καὶ τὸ ἄφθαρτον ἐναντία..., ἀνάγκη ἕτερον εἶναι τῷ γένει τὸ φθαρτὸν καὶ ἄφθαρτον.

quia nec etiam credo quod semper oporteat corruptibile et incorruptibile secundum speciem differre, immo nec semper numero. Credo enim quod corpora humana fient vere incorruptibilia post resurrectionem per suam formam substantialem quae est rationalis anima, sicut alibi habet ostendi. Ratio autem praedictae positionis habet falsum fundamentum et satis superius improbatum ([a]), quod scilicet incorruptibilitas solummodo possit ([b]) inesse propter privationem potentiae seu materiae per quam ipsum corruptibile potest non esse et quod corruptibilitas insit solum ipsis corruptibilibus propter talem potentiam vel materiam. Sicut enim ([c]) supra satis est ostensum, non semper materia est tota causa corruptibilitatis aut incorruptibilitatis, immo semper maior et potior ratio est ex parte formae. Incorruptibilitas igitur potest tribus modis rebus inesse: aut ratione speciei ipsius materiae, quando scilicet secundum suam speciem est ita determinata ad aliquas species formarum quod nullo modo est in potentia ad alias. Et hoc modo non posse corrumpi aut verti in corpora competit intellectualibus, et e contrario non posse verti in intellectualia competit per hoc ipsum corporalibus. Alio modo potest rebus inesse ratione ipsius formae. Et hoc potest fieri ([d]) duplici via: aut quia scilicet forma illa est talis naturae quod non potest per motum generari aut corrumpi seu per motum a sua materia separari nec habet aliquam formam oppositam ad quam materia eius per motum posset duci, quamvis alias posset a prima recedere et alteram recipere a causa quae potest hoc facere sine motu, scilicet a Deo. Et hoc modo competit incorruptibilitas solis substantiis intellectualibus, ut credo; de omnibus enim corporalibus dicit Augustinus, *Super Genesim*, libro VII ([e] [1]), quod « omne corpus potest in quodcunque corpus verti ». Alio modo ex parte ipsius formae potest hoc fieri, quando ([f]) in tanta sublimitate tamque potenter tenet materiam sub se quod nullum agens creatum potest in ea imprimere actionem seu impulsum et inclinationem per quam possit vel ad modicum ([g]) ad formam oppositam inclinari et ab ipsa elongari. Et hoc modo fiet in resurrectione, sicut

([a]) Ex *impropbandum.* ([b]) Ex *possint.* ([c]) Al. m. ex *est.* ([d]) Ex *fieri potest.* ([e]) In B[7] lac. ([f]) B[7] *quoniam.* ([g]) B[7] *medium.*

([1]) *De Genesi ad lit.*, VII, 12 (PL 34, 362); Augustinus tantum refert: « non defuerunt qui assererent » hoc.

suo loco magis ostendetur. Ex nullo autem istorum trium modorum potest concludi materiam non esse in [a] rebus incorruptibilibus aut non esse unam genere in omnibus, quamvis ex primo modo sequatur quod non sit eiusdem speciei in intellectualibus et corporalibus; quod in alia quaestione de materia est concessum [b].

Ad decimum quartum dicendum quod materia angelorum est ex sua specie et essentia determinata ad formas intellectuales, non tamen tali determinatione quae dicat aliquem actum formalem; sicut nec materia corporalis est determinata ad primas formas corporales per aliud quam per ipsam. Talis enim determinatio non dicit aliud quam quandam conditionem materialem ipsius possibilis; sicut in quaestione alia de materia est tactum. Quamvis autem materia angelica, quantum est de se, sit indifferens ad formas intellectuales: non tamen propter hoc est mobilis ad illas, causis supra iam dictis.

Ad decimum quintum dicendum quod aliud est esse dissolubile simpliciter, aliud esse dissolubile tali vel tali modo, utpote per motum aut per actionem agentis creati aut aliquo consimili modo. Substantiae igitur intellectuales sunt dissolubiles per puram annihilationem principiorum, ita quod dissolutio nihil aliud significet quam annihilationem compositi vel compositionis earum [c]. Sunt etiam dissolubiles, quia Deus posset absque motu eas [d] in aliud quodcunque [e] convertere, sicut convertit panem in corpus Christi, aut materiam earum [f] sub alia [g] forma intellectuali constituere et formam earum [h] in alia materia [i] intellectuali ponere. Ista enim non repugnant incorruptibilitati quam ponimus in angelis.

Ad decimum sextum dicendum quod ista ratio arguit ex suppositione quod omnium angelorum creatorum et creabilium sit una materia numero, et non solum unitate privativa, sed etiam positiva et reali; quam etiam non ponunt illi qui ponunt unam materiam numero in omnibus. Dico igitur quod tota materia unius angeli vestitur sua forma, non autem propter hoc materia aliorum [k] angelorum. — Quando autem dicitur quod materia angelorum non potest esse divisibilis: verum est de divisione quae in se includit corpo-

---

[a] Ita B^7, V om. [b] Ex *concenssum*. [c] V *eorum*. [d] V *eos*. [e] In ras. et lac. [f] V *eorum*. [g] B^7 *substantialem a* pro *s. a*. [h] V *eorum*. [i] Sequitur ras. et lac. [k] B^7 om.

ralem extensionem et situm seu positionem; nihilominus tamen materiae eorum sunt divisae seu potius diversae [a] per suas [b] proprias essentias, sicut et per suas essentias [c] differunt a suis formis.

Ad decimum septimum dicendum quod posito quod materia angeli habeat intra se partes, sicut quidam volunt, non tamen tales quae sint aliquo modo receptibiles situs aut extensionis et ita non tales quarum una possit esse extra alteram tali modo exterioritatis qui in se aliquo modo implicet situm aut extensionem. — Quod autem dicitur quod omni forma abstracta essent actu divisae: idem posset dici de materia corporali; et [d] tamen si divisio proprie sumatur, dicit aliquid formale. Unde proprie non essent [e] divisae nec unitae; unde sicut alibi dictum est, materia non est bene intelligibilis nisi ut sub forma. — Quod etiam adiungitur quod aut esset divisibilis in infinitum aut non: sequendo illos qui volunt eam habere partes, potest dici quod in infinitum, exclusa tamen semper divisione in se implicante situm.

Ad duodevicesimum dicendum quod formam esse totaliter inclusam intra suam materiam potest dupliciter intelligi: aut quantum ad suum esse solum, quia scilicet secundum totam suam essentiam est in ea recepta nec alibi existit praeterquam in ea; et hic modus in nullo repugnat liberti creatae, immo sine eo esse non potest, sicut suo loco ostendetur. Alio modo potest hoc intelligi quantum ad suum agere seu operari, quia scilicet nullo modo potest in suam materiam agere et dominative [f] ei praesidere et imperiose eam movere; et hoc modo forma [g] angelica non est a sua materia quasi conclusa.

Ad undevicesimum dicendum quod conditiones materiales ex parte obiecti acceptae non impediunt actum intellectus et voluntatis; alias, res materiales et conditiones earum non possent intelligi aut diligi [h] ab aliquo intellectu, etiam ab intellectu divino. Si autem accipiantur ex parte ipsius potentiae, adhuc non est verum, nisi materiale accipiatur pro corporali. Conditiones enim materiae corporalis, si essent in potentia intellectiva, nullo modo posset aliquid intelligere; sicut nec hoc posset, si sua forma esset forma corporalis. Si vero accipiantur ex parte speciei et actus in-

---

[a] B^7 *diversas.* [b] B^7 *sua.* [c] Al. m. mg. [d] Add. interl. al. m. [e] B^7 om. [f] Ex *dominatione.* [g] Ex *formam.* [h] Al. m. mg. *a. d.*

tellectualis, adhuc non est omnino verum. Oportet enim eas habere aliquam materiam seu aliquod recipiens quod informent; et si sint species rerum materialium et corporalium, oportet eas habere vim repraesentandi conditiones materiales et corporales. — Quod autem [a] dicitur quod quando homo aliquid vult pure intelligere, abstrahit se pro viribus a conditionibus materialibus: dico quod hoc non est verum nisi sub hoc intellectu quod quando homo vult intelligere aliquid spirituale et insensibile seu incorporeum, elevat aspectum suum ab [b] obiectis corporalibus seu a speciebus repraesentantibus corporalia, quales sunt species imaginationis; et quando vult intelligere aliquid universaliter et absolute, tunc per quandam intellectualem discretionem seu distinctionem discernit et discernendo separat rationem naturae absolutae et universalis a ratione suae [c] individuationis. Et quoniam quidam [d] crediderunt [e] materiam esse totam causam individuationis et non posse accipi nisi individualiter et sub conditionibus individualibus: idcirco abstractionem naturae universalis a conditionibus individualibus [f] vocant frequenter abstractionem a conditionibus materialibus, quamquam quidam eorum adhuc magis erronee hoc faciant, pro eo quod credunt species intellectuales esse universales et in nulla materia existentes.

Ad vicesimum dicendum quod species intellectualis quantum ad suam essentiam et esse est abstractissima a conditionibus materiae corporalis, non autem a conditionibus materiae intellectualis. Illae autem species per quas intelliguntur materiae corporales quantum ad vim et modum repraesentandi non sunt abstractae a conditionibus corporalibus, cum vere repraesentent corporalia; quamvis sint abstractae seu remotae ab eis quantum ad essentiam [g] et esse.

Ad vicesimum primum dicendum quod quamvis anima rationalis habeat materiam spiritualem, quia tamen praeter hoc habet essentialem respectum ad corpus humanum tanquam forma ad suam materiam: idcirco nunquam debet dici per se substantia completa, sed potius incompleta.

Ad vicesimum secundum dicendum quod una forma bene potest simul [h] informare diversas materias ad ipsam ordinate se habentes. Qualiter autem hoc possit fieri

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. mg. [c] B^{7} om. [d] Al. m. mg. [e] Al. m. corr. [f] B^{7} om. *idcirco... individualibus.* [g] Al. m. in ras. [h] B^{7} om.

et specialiter a forma rationalis animae in quaestione an [a] sensitiva hominis in substantia animae rationalis radicetur sufficienter pro posse meo est tactum.

Ad argumenta autem in contrarium quae de dictis philosophorum sumuntur respondent illi qui credunt philosophis, saltem Aristotelis sequaces in intellectualibus materiam non posuisse; et quamvis mihi non sit curae quid ipsi inde senserint, magis tamen mihi videtur eos materiam iuxta modum praedefinitum acceptam in eis non posuisse [1].

Ad primum igitur dicendum quod Aristoteles non creditur voluisse substantias intellectuales esse in praedicamento substantiae, quoniam illas posuit tanquam quosdam deos et totam naturam suae speciei intra se habentes et magis extra genus [b] quam in genere existentes; quamvis animam rationalem pro tanto forte ponat in praedicamento substantiae, pro quanto ponit eam partem formalem hominis. Quod autem hoc senserit [c] arguunt ex eo quod dicit X [d] *Metaphysicae*, quod corruptibile et incorruptibile [e] differunt plus quam secundum genus. Dicunt ergo quod in praedicamentis non agit nisi de substantiis sensibilibus et de earum accidentibus [f] quae faciunt novem praedicamenta, quia nec habitus virtutum, prout secundum eum dicunt qualitates accidentales, creditur posuisse in substantiis omnino separatis, sed in anima hoc esse ex coniunctione ad corpus.

Et propter hoc patet ad secundum.

Ad tertium dicendum quod Aristoteles non creditur posuisse motum in substantiis separatis; unde et in VIII

---

[a] Ita B[7], V *aut.* [b] Al. m. corr. [c] In ras. [d] Ita B[7], V *4.* [e] Al. m. mg. *e. i.* [f] B[7] *actionibus.*

---

[1] Ad totum in quo auctor falsa veris miscet cfr. Aristotel., *Metaph.*, X, 10, 1058b 26 sqq.; corruptibile et incorruptibile genere differunt. — *Cat.*, cap. 5, 2a 11 sqq.; *Metaph.*, VII 1-3, 1028a 10 sqq.; VII, 7, 1037a 33 sqq.; VII, 15, 1039b 20 sqq.; VIII, 1, 1024a 24 sqq.; VIII, 4, 1044a 15: de substantia in genere agit, et revera fere exclusive de corruptibilibus seu ex materia et forma compositis. — *Metaph.*, XII, 7, 1072a 19 sqq., XII, 8, 1073a 14 sqq.; *Phys.*, VIII, 10, 266a 10 sqq.; *De caelo*, I, 2-3, 268b 11 sqq.: de substantiis incorruptibilibus i. e. essentialiter simplicibus agit. — *De an.*, II, 1, 413a 1 sqq.; III, 5, 430a 10 sqq.; *Metaph.*, VII, 11, 1037a 5 sqq.: de anima rationali agit. – *Cat.*, cap. 8, 8b 25 sqq.; *Eth.* II (fere per totum) 1103a 14 sqq.: de qualitatibus et virtutibus agit.

Physicorum vocat [1] eas motores omnino immobiles. Nec mirum, quia nec in anima rationali ponit motum; unde et virtutes ponit ibidem sequi ad motum [a] factum in sensibilibus absque hoc quod motus fiat in ipsa anima; et idem vult de scientia. Et ideo licet ponat motum non posse esse sine materia, non propter hoc [b] sequitur quod posuerit materiam in eis, quia non posuit motum in eis. Quod autem, I *De generatione*, vult quod passio [c] sit ratione materiae: de passione alterante, per quam scilicet aliquid corrumpitur et aliquid generatur, sive simpliciter sive secundum quid, hoc intendit, quam communiter vocat passionem naturalem, sicut eius efficiens motorem naturalem. Unde, in libro II et III *De anima*, passiones quae fiunt in apprehensivis potentiis non vult [d] esse univocas cum passionibus alterativis quas quidam sequaces eius passiones intentionales vocant; primas autem passiones non ponit in substantiis intellectivis nec forte secundas nisi in solo intellectu humano.

Ad quartum [e] patet per [f] praedicta: quia si ipse non ponit in eis individuationem contrahentem speciem ad determinatam materiam, non propter hoc oportebit quia de sola tali individuatione videtur velle quod exigat materiam.

Ad quintum dicendum quod absque dubio tam Aristoteles quam eius sequaces ponunt in intellectu humano aliquid potentiale quod et intellectum possibilem vocant, sed forte in aliis separatis substantiis hoc non ponunt, saltem ita plene. Non tamen volunt quod aliquam univocationem habeat cum materia, sed solum quantum [g] ad aliqua habeat [h] consimilem rationem, analogice tamen. Unde et Averroes manifeste posuit caelum non habere materiam nec habere potentiam nisi solum ad ubi; quia, si haberet materiam, vult quod haberet potentiam ad non esse et quod esset generabile [i] et corruptibile, sicut patet in commento

---

[a] Al. m. ex *votum*. [b] Al. m. mg. [c] Al. m., B^7 om. [d] Al. m. corr. [e] Sequitur ras. [f] B^7 *quod*. [g] B^7 *quam*. [h] V B^7 B^6 *habeant*. [i] Al. m. corr.

---

[1] Ad totum in quo auctor falsa veris miscet cfr. notam praecedentem, praeterea *Phys.*, VIII, 5, 256a 13sqq., 258b sq.; *Metaph.*, XII, 7, 1072a 24; XII, 8, 1073a 28sqq.: de motore immobili agit. — *De an.*, II, 5, 416b 32sqq.; III, 4, 5, 429a 10sqq.: de actibus sentiendi et intelligendi agit. — *Anal. post.*, II, 19, 99b 20sqq.: de scientia eiusque principiis agit. — *De gen. et corr.*, II, 9, 335b 30 sqq.: de passione et actione agit.

suo super primum *De caelo et mundo* et super VIII *Physicorum* (1).

Sextum autem argumentum credo quod bene concludat, quamvis aliquae evasiones sophisticae dari possent. Sed forte ex verbis Aristotelis (2) hoc non sequeretur, quia quod in praedicamentis ponit proprie proprium substantiae esse susceptibile contrariorum, non creditur a multis hoc dixisse nisi de substantia sensibili de qua solum secundum eos praedicamentum contexit; nec secundum eos numerus qui est quantitas discreta est nisi in habentibus quantitatem continuam; et hoc credunt Aristotelem sensisse. Licet autem ista falsissima sint in se, ut tamen inanis et fallax philosophia Aristotelis et sequacium eius in iis et in aliis erroneis evitetur, scienter ista apposui.

QUAESTIO XVII.

Secundo quaeritur an [a] potentia materiae addat aliquid realiter diversum ad essentiam eius.

Et quod sic videtur.

1. Impossibile enim [b] est diversas essentias esse penitus idem cum una simplici essentia; sed potentiae materiae sunt plures, sicut et actus formales; quot enim modis dicitur unum correlativorum, tot modis [c] et reliquum; essentia autem materiae est una; ergo impossibile est quod sint penitus idem cum ipsa. — Huic autem rationi videtur consentire Commentator, super XI *Metaphysicae*, super illa parte (3): « Et dubitandum est in hoc et dicendum ex quo [d] non ente fiat generatio »; ait enim sic: « Non quodlibet ens fit ex qualibet potentia, sed unumquodque entium [e] fit ex eo quod

---

[a] B[3] *Quaeritur utrum* pro *S. q. a.* [b] B[3] om. [c] B[3] om. *t. m.* [d] Al. m. mg. [e] B[3] *ens.*

---

(1) Cfr. *De caelo*, lib. I, summa 4 (vol. V, f. 4 v b sqq.); lib. I, summa 6 (f. 14 r b sqq.); *Phys.*, lib. VIII, summa 3, cap. 2, 3, 5 (f. 400 r a sqq.); lib. VIII, summa 4 (f. 423 r a sqq.). (2) *Cat.*, cap. 5, 4 a 10 sqq. (3) Averroes, *Metaph.*, lib. XII, summa 1, cap. 2 (vol. VIII, f. 297 r b).

est in [a] potentia id quod fit, id est, ex potentia propria, ita quod numerus potentiarum sit sicut [b] numerus specierum entium generabilium ». Et dixit hoc secundum Aristotelem [1], quia opinatur quod sit una secundum subiectum et multa secundum habilitates.

2. Item, quaelibet forma, maxime substantialis, attingit totam essentiam suae [c] materiae et tamen non attingit totam potentiam eius, quoniam si totam [d] potentiam attingeret [e], illa existente in ea, non esset possibilis ad aliquam aliam formam; sed si potentia esset penitus eadem cum essentia materiae: quandocunque unum totaliter attingeretur, et reliquum; ergo et cetera [f].

3. Item, nos videmus quod materia acquirit novas potentias vel impotentias, secundum quod [g] diversimode disponitur a diversis formis, ut materia [h] corporis humani per formam organizationis [i] fit capax animae; unde et ab Aristotele naturalis potentia vel impotentia ponuntur in secunda specie qualitatis [2]; sed hoc esset impossibile, si essent penitus eadem inter se; ergo et cetera.

4. Item, potentiae propinquae videntur esse diversae a potentiis remotis, unde et plures sunt illae quam istae; sed si omnino sunt idem cum essentia [k] materiae, nulla in eis poterit esse diversitas; ergo et cetera.

[Respondeo]

Dicendum [l] quod licet quidam dixerint quod potentia sit accidens materiae et ita quod addat aliquid secundum rem diversum ad ipsam, moti ex rationibus praedictis et [m] etiam quia ubique sumpserunt pro primo principio quod ubicunque est [n] diversitas rationum realium, semper est [o] ibi diversitas essentialis [p], constat autem rationem potentiae et rationem essentiae ipsius materiae esse rationes [q]

---

[a] B[3] *qualibet* pro *e. q. e. i.* [b] B[3] om. [c] B[3] om. [d] B[3] add. *eius.* [e] Al. m. corr. [f] B[3] om. *e. e. c.;* idem subinde. [g] B[3] om. [h] Ita B[7], V B[3] *materiam.* [i] B[3] *organis.* [k] B[3] *potentia.* [l] B[3] *respondeo.* [m] Add. interl. al. m. [n] B[3] *sit.* [o] Ita B[7] B[3], V om. [p] B[3] *essentiarum.* [q] B[3] om., infra om. *et.*

---

[1] *De gener. et corrupt.*, I, 7, 324b 6 sqq.; II, 4, 331a 7 sqq.; *Phys.*, I, 6, 7, 189a 11 sqq.; *Metaph.*, VII, 3, 1029a 2 sqq; VII, 7, 1032a 20 sqq.; VIII, 1, 1042a 24 sqq. [2] *Cat.*, cap. 8, 9a 14 sqq.

diversas, et ita quod quaelibet earum est in materia secundum rem et non solum secundum modum intelligendi: credo tamen cum aliis quod penitus sint eadem secundum rem.

Si enim essent diversae, tunc potentia esset recepta in essentia materiae; recepta autem esse non posset, nisi materia haberet in se [a] aliam potentiam per quam posset eam recipere, et sic iretur [b] in infinitum. Oporteret etiam quod ipsa potentia esset quaedam forma, quia omne quod inhaeret materiae et quod [c] determinat eam aliquo modo est [d] forma materiae, unde et materia ordinatur ad omne [e] quod in se recipit sicut ad suum actum, unde et [f] prius erat possibilis ad recipiendum illud; non dicitur autem possibilis nisi respectu actus, et etiam quia omne accidens ponitur in genere formarum. Nec mirum, quia cum ens sufficienter dividatur in materiam et [g] formam et aggregatum ex eis seu compositum, certum est autem quod nullum accidens est materia nec aggregatum ex materia et forma: ergo necesse est [h] quod omne accidens sit forma. Nemo autem rationabiliter dicere potest quod potentia materiae [i] sit forma, cum per eam [k] non significemus nisi solum ordinem materiae ad formam. Et praeterea constat quod non posset esse forma substantialis, quia talis dat materiae esse substantiale actu determinatum, quod nullo modo potest convenire ipsi potentiae; nec forma accidentalis esse potest nec etiam aliquo modo accidens, sicut in quaestione de materia substantiarum intellectualium [l] est ostensum ex parte rationis ipsius accidentis et rationis subiecti seu suppositi et rationis [m] ipsius potentiae et corporalis materiae et [n] potentiarum animae. — Ratio igitur receptionis et [o] inhaerentiae clamat ipsam potentiam [p] non esse aliquid diversum ab essentia [q] materiae.

Ostendit etiam hoc ipsa essentia materiae et ratio eius. Omnibus enim aliis amotis ipsa per se est sufficienter possibilis ad omnia quae in ea possunt esse; unde nullo modo potest intelligi nisi ut possibilis. Si autem potentia diceret aliquid ab ea diversum, potentiis amotis ipsa

---

[a] B³ om. *i. s.* [b] B³ *esset ire.* [c] B³ om. [d] B³ *esset.* [e] B³ *esse secundum.* [f] B³ om. [g] B³ om. [h] B³ *oportet dare* pro *n. e.* [i] B³ *materia* pro *p. m.* [k] B³ *ipsam.* [l] B³ *intelligibilium.* [m] B³ *ratione.* [n] B³ add. *ratione.* [o] B³ *ipsius materiae.* [p] B³ add. *animae.* [q] B³ add. *ipsius.*

non esset [a] possibilis ad aliquid et ita de se nullum haberet ordinem aut respectum ad suas formas possetque intelligi ut non possibilis et sic per consequens ut a nullo determinabilis; et ita sequeretur quod cum omne ens sit determinabile ab alio [b] aut terminus seu [c] determinatio eius, quod ipsa posset [d] intelligi vere ut quoddam ens de se sufficienter [e] determinatum. — Praeterea, ita se habet materia ad suam possibilitatem sicut forma ad suam actualitatem et ita immediate materia refertur ad formam sicut forma ad ipsam; sed actualitas ipsius formae non dicit aliud ab essentia eius, cum forma et actus sint idem [f]. Et etiamsi diceret aliud, tunc essentia formae nullam haberet de se actualitatem seu actum. Ipsa etiam forma per suam essentiam refertur ad materiam, unde et per [g] solam suam essentiam informat eam; ergo materia et sua possibilitas erunt omnino idem [h] et materia per solam [i] suam essentiam referetur [k] ad formam. — Praeterea, definitio materiae est ens in potentia seu ens possibile; ergo possibilitas seu potentia est pars suae definitionis et ita ad [l] minus est pars suae essentiae; sed non potest esse pars, quin sit idem penitus cum tota eius essentia, cum materia sit unum de [m] primis principiis et ita non possit [n] esse composita ex diversis [o] principiis quorum unum sit genus, alterum vero differentia eius.

Praeterea, si potentia est aliud ab essentia [p] materiae: aut est aliquid [q] ab ea resultans, sicut calor dicitur resultare a forma ignis, aut est aliquid in ea concreatum aut est aliquid per formas in ea genitum [r]. Primum esse non potest, quia materia non potest esse per se causa efficiens alicuius; omne autem quod resultat ab altero [s] efficitur ab illo. Et posito quod posset esse causa efficiens eius, ad minus secundum aliud esset eius [t] efficiens seu originans et secundum aliud esset eius subiectum recipiens; sed materia non posset secundum aliud et aliud originare suam potentiam et ei subici. — Secundum etiam esse [u] non potest [v]. Naturaliter enim primo oportet quod materia habeat esse substantiale quam

---

[a] Al. m. ex *esse*. [b] B³ *ablio* pro *a. a.* [c] B³ *autem*. [d] B³ om. [e] B³ *per se omnino* pro *d. s. s.* [f] B³ add. *secundum philosophum II de anima*. [g] B³ om. [h] B³ *per sua essentiam erit idem cum possibilitate sua* pro *et sua... idem*. [i] Ex *solvam*. [k] Ex *refertur* quod habet B³ [l] Add. interl. al. m. [m] B³ *ex*. [n] B³ *posset*. [o] B³ om. *principiis... diversis*. [p] Ita B⁷ B³, V *essentiae*. [q] B³ *aliud*. [r] Ex *genitum in ea*. [s] B³ *alio*. [t] B³ *eam*. [u] Ita B⁶, V B³ om. [v] B³ om.

accidentale, et maxime cum accidens seu esse accidentale [a] fundetur in ipso esse [b] substantiali; sed materia habet esse substantiale per solam formam substantialem; ergo [c] ordine naturali aliqua forma substantialis praecedit necessario omnia accidentalia [d] ipsius materiae; sed si potentia diceret aliquid concreatum ipsi materiae diversum ab ipsa, illud esset aut forma substantialis aut accidentalis. Nemo autem [e] unquam posuit quod esset forma substantialis; si autem est accidentalis, praecessit [f] forma substantialis [g], et ita praecessit potentia ad formam substantialem. Et hoc ipsum sequitur, posito quod illud concreatum esset forma substantialis. Ergo ad positionem dicentium eam concreatam esse materiae semper sequitur potentiam praecessisse potentiam [h] et etiam quod forma substantialis prius sit in materia quam ipsa potentia materiae, quod nullus sanae mentis dicet. — Tertium autem multo minus stare potest, tum quia materia non recipit suam potentialitatem [i] a formis, tum quia ad hoc omnia praedicta inconvenientia sequuntur [k] et etiam ampliora, sicut satis de se patet. — Praeterea, si potentia ista non dicit essentiam materiae nec essentiam formae [l]: quaero cuiusmodi essentiam dicit; et specialiter quaero quomodo dicit talem essentiam quod per eam materia sit potens recipere et sustinere [m] formas et sine ea [n] nullo modo sit potens; et credo quod non poterit dari. Unde ipsa ratio potentiae, si bene pensetur, satis hoc ipsum clamat; non enim videtur quod possit dicere per se aliquam naturam [o] aliam ab illa in qua fundatur.

Si autem aliquis dicat quod partim est eadem cum essentia materiae [p], partim diversa: contra hoc est, quia [q] aut ideo dicitur partim [r] diversa, quia aliquid addit diversum, aut quia licet [s] nihil addat diversum, non tamen dicit totam essentiam materiae, sed solum aliquam partem eius. Primum autem stare non potest, quia ad [t] additionem illius diversi sequuntur inconvenientia prius tacta et praeter hoc sequitur quod potentia [u] materiae esset composita ex essentiis diversorum generum, scilicet ex essentia materiae

---

[a] Al. m. mg. *et maxime... accidentale.* [b] Sequitur ras. [c] B³ *quo.* [d] B³ om. *naturali... accidentalia.* [e] B³ om. [f] B³ *praecedit praecedit.* [g] B⁷ add. *aut accidentalis.* [h] B³ om. [i] B⁷ *posibilitatem,* B³ *potentiam;* B³ *ex* pro *a.* [k] B³ *sequerentur.* [l] Al. m. mg. *n. e. f.* [m] B³ add. *diversas.* [n] Sequitur ras. et lac.; *et* al. m. [o] B³ *essentiam;* B⁷ om. *aliquam.* [p] B³ add. *et.* [q] B³ om. [r] Sequitur ras. et lac. [s] B³ *si.* [t] Al. m. mg. [u] B³ *essentia.*

et ex illo diverso [a] quod addit ad eam; quod quantas absurditates [b] continet satis patet. — Secundum etiam stare non potest, tum quia in essentia materiae non est dare talem compositionem, tum quia illa alia pars quae cum ipsa potentia constitueret materiam non esset potentia et ita, ut videtur, esset actus et sic materia esset composita ex potentia et actu.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum igitur in contrarium dicendum quod materia non habet plures potentias passivas essentialiter inter se differentes, sed in essentia sua includuntur rationes plurium potentiarum absque omni diversitate reali; alias sequeretur quod potentiae actu infinitae essent [c] in ea, quoniam tot essent in ea potentiae actu ad quot formas et figuras est possibilis; est autem possibilis [d] ad infinitas formas et figuras tam secundum speciem quam secundum numerum. Et posset ex hoc trahi bona ratio ad principalem responsionem. Quamvis autem tot modis dicatur unum correlativorum quot modis et reliquum, non tamen propter hoc oportet quod secundum quod diversificatur unum, diversificetur [e] reliquum. Alias, quot possunt esse mihi similia realiter in se diversa, tot habebo in me relationes similitudinum realiter diversas; et cum infinita possent mihi assimilari, tunc habebo [f] infinitas. Secundum etiam numerum filiorum eiusdem hominis plurificabuntur et patres et secundum numerum linearum eiusdem circuli plurificabuntur centra; quod est manifeste falsum et impossibile. Et tamen verum est quod secundum plurificationem linearum plurificantur rationes respectuum [g] ipsius circuli, absque omni tamen diversitate reali; alias haberet intra se infinita actu diversa. — Si autem aliud sensit [h] Averroes, non curo, quamvis verba eius satis possint ad hoc trahi. Sicut enim in Deo dicuntur esse plures rationes et tamen per hoc non intendimus significare aliquam pluralitatem essentialem, sic et in materia dicuntur esse plures potentiae propter hoc solum, quia ipsa est per suam essentiam possibilis ad plures formas absque omni diversitate reali, non intendentes per hoc si-

---

[a] Ita B^3, V *diversa.* [b] B^3 add. *implicet seu.* [c] In mg., del. *esset.* [d] Al. m. mg. *e. a. p.* [e] Al. m. corr. [f] Al. m. mg. *i. p. m. a. t. h.* [g] B^7 *respectu.* [h] B^7 *ostendit.*

gnificare nisi solam pluralitatem rationum realium. Et hoc forte voluit dicere, quando dixit quod est una secundum subiectum et plures secundum habilitates, hoc est, secundum modos se habendi quibus se habet per modum possibilis ad plures formas recipiendas. Et sic [a] etiam potest exponi quod Aristoteles videtur dicere in III *Physicorum* [1], quod scilicet alia est potentia ad sanitatem vel dealbationem, alia ad aegritudinem vel denigrationem; alias contradiceret sibi ipsi in alio loco ubi ait [2] quod una est potentia contrariorum; quamvis possit dici quod Commentator non loquitur de potentia remota, sed de potentia propinqua quae alio nomine dicitur potentia disposita; unde et praemisit quod quodlibet fit ex potentia propria; quid autem de ista sit sentiendum in tertio argumento tangetur.

Ad secundum dicendum quod licet tota essentia materiae attingatur aliquo modo a qualibet forma, non tamen attingitur secundum omnes rationes suas nec secundum omnes suos respectus attingitur; ergo tota secundum aliquam unam rationem et respectum; et tunc secundum illum modum attingitur totum illud reale quod ponunt ipsae potentiae. Simpliciter tamen non dicuntur attingi omnes potentiae eius, quia potentiae nominant rationes et respectus ipsius materiae secundum quas ipsa potest diversimode attingi et non attingi; et est simile huius, quando dicimus quod intellectus attingit totam essentiam Dei seu alicuius alterius simplicis obiecti et tamen non omnes rationes eius.

Ad tertium dicendum quod materia non acquirit novas potentias passivas simpliciter, sed ex hoc solum dicitur eas acquirere, quia potentia quam per essentiam suam habet non est ordinata ad omnes formas, nisi prius alias formas in se habeat. Sicut enim soli non acquiritur aliqua potentia activa et tamen non potest agere per suam potentiam in remotiora, nisi prius agat in propinquiora: sic [b] suo modo est de recipiendo in proposito, sicut si dicerem quod non possint recipi centum, nisi prius secundum naturam recipiantur triginta. Dicitur ergo potentia acquiri, non quia aliqua essentia potentiae passivae acquiratur, sed solum quia

---

[a] B[7] *sicut;* al. m. mg. *etiam.* [b] Ita B[3], V B[7] *sicut.*

---

[1] Cap. 1, 201a 35sq.; III, 5, 229a 11sqq. [2] Cfr. notam 1 pag. 356, praeterea *Phys.*, IV, 9, 217a 21sqq.; *De gener. et corrrupt.*, I, 7. 324b 6sqq.; *Eth.*, V, 1, 1129a 13sq.

ipsi potentiae prius in materia existenti novus ordo et nova formalis habitudo ad aliquam formam recipiendam datur; quantum autem ad hanc formalem habitudinem vel formalem ineptitudinem potest verificari illud de naturali potentia et impotentia, quod scilicet sint in praedicamento qualitatis. Hoc tamen dico, quando forma seu dispositio habilitans est accidentalis, sicut est durities vel mollities et quando est ad actum accidentalem, sicut est divisio partium cerae vel coniunctio vel sicut est infirmari vel sanari et consimilia. Quando autem forma habilitans est substantialis, sicut est organizatio, tunc talis potentia et quantum ad id quod dicit materiale et quantum ad id quod dicit formale est in genere substantiae, et maxime quando forma ad quam habilitatur est substantialis, sicut est anima ad quam materia corporalis per formam organizationis ordinatur. Sic autem sumendo potentiam, ut scilicet non solum significet ipsam essentiam potentiae passivae, sed etiam ipsum ordinem seu dispositionem formalem, verum est quod plurificantur potentiae propinquae et quod species entium generantur ex potentia propria et non ex qualibet; sic etiam aliquando potentiae contrariorum sunt contrariae; quae quidem sunt vera non ratione essentiae materialis quam potentia dicit, sed solum ratione illius formalis per quod potentia potest fieri propinqua et propria et disposita et per quam potest (a) contrariae dispositioni (b) esse contraria.

Et per hoc patet ad quartum. Si autem ultra hoc aliquis obiciat quod adveniente forma ad quam prius materia erat in potentia destruitur ipsa potentia, essentia materiae remanente, quia modo non est in potentia ad formam, sed potius habet eam actu, quod fieri non posset, si potentia esset penitus eadem cum essentia materiae: dicendum quod essentia potentiae quam ante adventum formae habebat tota remanet post adventum (c) formae, sed solum ordo et habitudo eius variatur, quia prius ordinabatur ad formam ut ad absentem, modo vero ut ad praesentem, unde et materia habet adhuc in se potentiam in qua ipsa forma est recepta et fundata. Quando vero dicimus quod materia est potentia ad talem formam, intendimus significare ordinem distantiae quo se habet ad formam ut absentem. Qui ordo si dicit tale quid quod realiter tolli possit: constat quod est aliquid formale; si vero supra ordinem quem potentia materiae habet

(a) Sequitur ras. et lac. (b) B[7] *disponi.* (c) Ex *conventum.*

ad formam iam praesentem non dicit nisi solam negationem ipsius formae et praesentiae eius: tum (a) per adventum formae huius potentiae sola negatio tollitur; et quidem praeter dispositiones contrarias quae ante adventum formae corrumpuntur reliquae dispositiones formales quae ad formae ipsius receptionem disponebant non videntur tolli per adventum formae, sed potius conservari et compleri.

QUAESTIO XVIII.

Tertio quaeritur an materia possit esse per se principium efficiens alicuius.

Quod quidem utile est indagare, quia in (b) multis praedictarum quaestionum et etiam aliarum frequenter suppo-nitur quod non possit esse.

Et hoc quidem credo esse verum.

Et primo quidem hoc patet ex indeterminatione materiae. Cum enim causa efficiens debeat magis esse determinata magisque actualis quam suus effectus immediatus, qualis est prima influentia seu impressio, qui omnis efficientis est semper primus, ita quod sine eo nihil aliud potest effici, nullus autem effectus nec aliqua impressio potest esse aut cogitari ita indeterminatus quantum ad actum essendi nec etiam quantum ad actualitatem essentiae sicut est materia secundum se et de se: patet quod impossibile est aliquam impressionem (c) fieri ab ea per se et sic per consequens nec aliquem alium (d) effectum. — Praeterea, omne agens creatum habet determinatum aspectum ad suum patiens, sicut in quaestionibus de creatione (e) habet ostendi; sed materia de se nullum habet determinatum aspectum, cum sit de se omnino indeterminata; ergo in (f) nullum patiens poterit agere. — Praeterea, posito quod haberet aliquem effectum: ille saltem esset ita indeterminatus sicut et ipsa et tunc a tot et tantis formis esset determinabilis (g) sicut ipsa; de-

---

(a) B^7 *tunc.* (b) Add. interl. al. m. (c) Ita B^7, V *interpressionem.*
(d) B^7 add. *actum vel.* (e) B^7 *qualibet determinatione* pro *q. d. c.*
(f) Add. interl. al. m. (g) B^7 *determinatus.*

terminari autem ab eis non posset, nisi ab eis informaretur; informari autem non potest, nisi quod habet in se veram rationem materiae; ergo et cetera.

Secundo patet hoc ex sua informitate. Cum enim omnis prima impressio sit similitudo suae causae, materiae autem nulla forma nec aliquid formale potest esse propria similitudo, et maxime talis qualis est similitudo influxa quae semper est forma vel aliquid formale [a]: patet quod nulla impressio seu similitudo poterit a materia gigni; nec materiam quidem posset gignere, quia hoc esset vere creare, sicut in quaestionibus de creatione [b] habet tangi. Huius autem experimentum in omnibus agentibus est evidens: videmus enim quod illuminabile nunquam potest illuminare, nisi prius in se habeat actum seu formam lucis nec calefactibile calefacere, nisi prius sit calidum et sic de omnibus aliis. Unde breviter, nullum possibile videmus posse exire in aliquam actionem, nisi prius habeat illam formam a qua nomen et speciem trahit illa actio.

Tertio patet hoc ex sua receptione seu receptibilitate. Certum est enim quod recipiens, in quantum recipiens, nunquam potest esse agens [c]; nec posse recipere, in quantum tale, est posse agere, cum pati et agere sint opposita et etiam quod ad pati seu receptionem praeexigitur in patiente quaedam informitas et indeterminatio [d] et determinabilitas. Omne enim quod patitur determinatur ab agente et informatur ab eo quod recipit; agens vero, in quantum agens, semper est actuale et alterius, scilicet patientis, determinativum [e]; et etiam quia patiens, in quantum tale, non habet aspectum ad aliquod [f] aliud patiens, sed solum ad suum agens; e contra autem agens, in quantum agens, non habet aspectum nisi ad suum patiens vel ad suum obiectum.

Ex quibus omnibus satis patet quod alia est essentia et natura potentiae passivae et ipsius possibilis, in quantum talis, et alia potentiae [g] activae et ipsius agentis, in quantum talis; et inde est quod omne illud quod potest agere et pati habet in se duas essentias et naturas per quarum unam potest agere et per aliam pati.

---

[a] B[7] *informale.* [b] B[7] *terminatione.* [c] B[7] *agere* pro *e. a.* [d] Ex *determinatio.* [e] B[7] *determinatum* [f] B[7] om. [g] Ita B[6], V B[7] *potentia.*

QUAESTIO XIX.

Quarto quaeritur an Deus possit facere esse materiam sine omni forma.

Quibusdam enim videtur quod sic, pro eo quod supponunt quod esse formale sit aliud ab essentia formae et ita quod sit quidam effectus ab ipsa manans in materiam, cum autem Deus possit facere effectus causarum secundarum sine ipsis — unde posset illuminare aerem absque luce solis vel cuiuscunque alterius luminosi —: poterit ipsum esse formale facere in materia sine ipsa forma quae post Deum erat eius causa efficiens. Volunt ergo isti quod Deus possit eam facere esse sine forma, sed non sine esse formali [a]; quia si sine esse formali eam faceret esse, tunc simul faceret eam esse et non esse.

Quibusdam autem aliis [b] videtur quod ponere materiam in esse absque forma implicet in se contradictionem, et sic quod Deus hoc non possit, quia hoc posse non esset posse. Hoc autem probant tam in materia corporali quam in materia spirituali quam in materia simpliciter et generaliter accepta.

In materia quidem [c] corporali hoc probant: quia impossibile est esse aut cogitare molem cerae [d] aut cuiuscunque corporalis materiae, nisi intelligantur aliquae partes eius sibi invicem unitae; si enim nulla est alteri unita, tunc tota moles est divisa in partes infinitas et in partes indivisibiles; quod est impossibile; sed unio [e] partium eius dicit aliquid formale et tale quod ab istis vel [f] illis partibus potest tolli; quando enim haec dividitur ab illa, tunc unio qua sibi invicem erant unitae ab eis tollitur. — Nec potest dici quod dicat solum esse formale et non aliquam essentiam formalem, quia hanc unionem concomitatur certus modus positionis et situs et certus modus continuationis et extensionis et certus modus determinatae figurae. — Quodsi aliquis diceret quod immo poterunt sibi uniri cum omnimoda

---

[a] Ex *formali esse.* [b] Al. m. *a. a.* [c] B^7 *quidam autem.* [d] Al. m. corr. [e] Ex *unito.* [f] B^7 add. *ab.*

simplicitate, ita quod non habeant extensionem vel [a] positionem aut figuram, licet forte hoc sit impossibile, quia talis modus essendi potius est spiritualis quam corporalis, unde non videtur posse [b] competere nisi solis spiritibus et rebus incorporeis: nihilominus tamen huiusmodi simplicitas magis esset formalis quam sint extensio, positio et figura.

Si etiam [c] dicatur quod haec unio non dicit [d] nisi solam relationem: contra, quia sola relatio non potest per motum generari et destrui absque alio formali in quo fundetur; sed unio illarum partium potest per motum generari et destrui; ergo praeter relationem dicit aliquam aliam formam. — Praeterea, per solas relationes non potest fieri de duobus entibus unum nec de uno duo; sed per huiusmodi unionem et per divisionem ei contrariam hoc fit; nam partes antequam essent unitae, erant plura entia, post unionem vero faciunt unum ens, quae si iterum dividantur, de uno ente fiunt plura entia. — Praeterea, positio quantitatis et augmentum et figura quae hanc [e] unionem concomitantur non dicunt solas relationes. — Praeterea, unio continuationis multo est maior quam unio contiguationis; si autem utraque dicit solam relationem, non apparet in quo possit esse maior et [f] stabilior et naturalior.

Praeterea, haec unio est aliquo modo substantialis ipsis partibus; alias per eam non fiet unum secundum substantiam; ipsa etiam unitas totius constituti ex praedictis partibus sic unitis non dicit solam relationem. Licet enim aliquis modus determinatus unionis partium aquae vel cerae et consimilium sit accidentalis — unde et possunt transmutari secundum positionem et propinquitatem absque destructione sui totius, ita quod una pars recedet a parte cui erat [g] propinquius unita et unietur alteri magis propinquae —: tamen unio huius partis absolute et simpliciter considerata respectu omnium partium et sui totius oportet quod sit aliquo modo substantialis ipsi parti et suo toti. Unde si simpliciter divideretur a suo toto et ab omnibus aliis partibus, ipsa fieret de novo ens per se nec suum totum in quo prius erat esset omnino idem quod prius. In corporibus etiam organizatis, ut est corpus hominis, non solum ipsa unio sed etiam aliquis [h] determinatus modus unionis est substantialis, utpote

---

[a] B^7 om. [b] B^7 om. [c] B^7 *enim*. [d] B^7 *dicat*. [e] Al. m. mg. [f] B^7 *aut minor aut*. [g] Ex *erat cui*. [h] Ita B^7, V *aliquid*.

quod caput sit supra collum et manus iuxta brachium et cor intra pectus [a] et sic de aliis.

Hoc ipsum etiam probant in materia spirituali. Cum enim non possit esse sine modo existendi simplici et determinato, et hoc simplici simplicitate intellectuali, quae non videtur posse intelligi sine forma vitae et intellectus aut sine forma simplicitatis intellectualis: videtur quod ponere eam in esse sine forma sit ponere eam simul esse et non esse.

Tertio probant hoc de materia in generali: quia illud esse formale et determinatum sine quo saltem esse non poterit aut dicit aliquam essentiam aut nullam. Si nullam, ergo nihil est penitus. Si aliquam — et utique non dicit aliquam essentiam materialem —: ergo dicit essentiam formalem. — Praeterea, cum omne quod inhaeret materiae et est receptum in ipsa et est ipsam perficiens, ita quod per ipsum existit et est ens actu, videatur dicere aliquam essentiam formalem, cum omnes praedictae conditiones sint conditiones formae, illud autem esse formale, omnia ista in se habebit; ergo et cetera. — Praeterea, iste actus essendi aut erit actus primus aut actus secundus. Si est actus primus: ergo erit forma, quia actus primus et forma idem sunt secundum Aristotelem [1]. Si autem est [b] actus secundus, esset operatio, quod nullus concedit; et posito quod esset, adhuc oporteret materiam habere aliud esse ab ipso. — Praeterea, posito quod esse differat ab essentia, non tamen sic videtur posse differre quod sit effectus formae et talis qui ab ipsa possit separari, quia tunc forma causaret suum esse et ita, ut videtur, causaret se ipsam; quod est haereticum. Et non solum esset causa formalis, sed etiam efficiens suae materiae et sui suppositi, quoniam vere efficeret esse suae materiae et esse sui suppositi. Quicquid autem efficit esse alicuius facit ipsum esse de non ente ens, quoniam sine illo esse erat non ens et adhuc esset. — Praeterea, secundum hoc Deus poterit facere formam absque omni esse formali, quia Deus potest omni causae efficienti tollere suum effectum ipsa causa non ablata, cum existentia causae efficientis non dependeat a suo effectu, sed potius e

---

[a] B[7] *corpus.* [b] B[7] *esset.*

---

[1] *De an.*, II, 1, 412a 27 sqq.; *Phys.*, I, 7, 191a 7 sqq.; II, 1, 193a 28 sqq.; *Metaph.*, VII, 3, 1029a 20 sqq.

contrario, et saltem non sic dependet quin possit intelligi esse sine ipso. Si igitur forma sic differt a suo esse sicut causa efficiens a suo effectu: ergo ipsa remanente Deus potest eam impedire ne producat suum esse et ita poterit eam facere esse absque omni esse.

Adducunt autem isti pro [a] se auctoritatem Augustini, II *De libero arbitrio*, aliquantulum ante finem, ubi per formas rerum mutabilium vult probare esse aliquam formam aeternam et incommutabilem, dicens [1] sic: « Si quicquid mutabile aspexeris [b] vel sensu [c] corporis vel animi consideratione capere non potes, nisi aliqua numerorum forma teneatur qua detracta [d] in nihilum recidat: noli dubitare, ut ista mutabilia non intercipiantur, sed diversis motibus et distincta varietate formarum quasi quosdam versus temporum peragant, esse aliquam formam aeternam et incommutabilem per quam cuncta ista formari valeant ». Ecce quod Augustinus hic vult quod nihil mutabile potest homo etiam mentis consideratione capere, nisi aliqua forma numerorum teneatur, et vult quod illa detracta statim in nihil recidat. Et paulo post dicit [2] quod « omnia quae sunt, forma penitus subtracta [e], nulla erunt ». Et iterum infra: « Istae igitur duae creaturae, corpus et vita, quoniam formabilia [f] sunt, sicut [g] superius dicta docuerunt, amissaque omni forma in [h] nihilum recidunt, satis ostendunt se ex illa forma subsistere quae semper eiusmodi est ». Intelligit autem nomine vitae spiritus incorporeos. Et iterum infra: « Quid enim maius in creaturis quam vita intelligens aut quid minus potest esse quam corpus? Quae quantumlibet deficiant et eo tendant ut non sint, tamen aliquid formae eis remanet, ut quoquomodo [i] sint ». Sed si per miraculum potest materia esse sine forma, poterit intellectu capi et etiam cogitari esse sine forma, pro eo quod omne illud in quo non cadit contradictio potest intellectu capi et cogitari. Non etiam erit verum simpliciter quod subtracta omni forma vertantur in nihil. Simpliciter enim videtur hoc Augustinus dixisse, quoniam ex necessitate formae seu formationis rerum mutabilium probat esse formam aeternam per quam semper

---

[a] Ita B^7, V *per;* B^7 om. *isti.* [b] Ex *aspexerits.* [c] Ita B^7, in V al. m. *sensus.* [d] B^7 om. *q. d.* [e] B^7 *abstracta.* [f] B^7 *formalia.* [g] B^7 add. *et.* [h] Add. interl. al m. [i] Ita B^7, V *quomodo.*

---

[1] Cap. 16 (PL 32, 1264 sq.). [2] Cap. 17 (PL 32, 1265).

formari possint [a] ad hoc ut habeant esse, acsi sine huiusmodi formatione non possint ab ipso [b] recipere esse. XII etiam *Confessionum* [c 1], in fine, supponit tanquam certum quod materia prima in ipsa creatione non praecessit omnes formas suas tempore, sed solum [d] origine. De hoc autem non posset multum esse certus, si aliquo modo esse potuit absque forma, quia non multum clare posset hoc ex textu sacro elici nec per rationem necessariam probari. Quamvis enim dicat Ecclesiasticus [2]: *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul*, illud potest satis exponi quod aliquo modo creata fuerunt omnia, quando creata fuit eorum materia de qua etiam seu in qua fieri possent; alias [e] enim certum est quod omnes animae hominum non fuerunt simul creatae. Potest et aliter exponi, sicut in quaestione de hoc propria habet tangi.

Quando autem ab istis quaeritur quare per miraculum potest Deus facere formam sine [f] materia, sicut facit in sacramento Eucharistiae, potius quam materiam sine forma, cum non minus videatur forma dependere a materia quantum ad subsistentiam [g] sui esse quam materia a forma: respondent quod nulla res potest aliquo modo esse sine aliquo modo essendi determinato; esse enim actuale eo ipso quo est actuale est aliquod esse speciale; unde videmus quod moles cerae non potest esse sine determinata unione partium et sine determinata figura nec quantitas potest a Deo fieri sine determinato modo extensionis seu mensurae. Materia autem est de se omnino indeterminata, forma autem est de se terminus, unde in se includit modum essendi specialem et determinatum; et ideo non est ita contra rationem ipsius esse actualis formam fieri sine materia sicut materiam sine forma. Negant etiam isti quod forma tantum dependeat a materia quoad suum esse sicut materia dependet a sua forma, addentes quod hoc dicere est in fide periculosum; quia cum philosophantes et paganizantes viderint [h] quod materia non potest aliquo modo intelligi esse sine forma, iudicabunt secundum hoc quod miraculum de sacramento Eucharistiae non sit verum, quod scilicet ibi sit aut esse possit forma sine materia.

---

[a] B[7] *possit*. [b] B[7] om. *a. i.* [e] Sequitur lac. [d] B[7] om. [e] Al. m. ex *alia*. [f] Ex *seu*. [g] B[7] *subsistere*. [h] Ex *viderunt*.

---

[1] Cap. 29 (PL 32, 843). [2] Eccli. 18, 1.

Quae igitur istarum opinionum sit verior aliorum iudicio derelinquo; mihi enim sufficit hoc tenere quod si in hoc contradictio non implicatur, Deus hoc potest, si autem implicatur, Deus hoc non potest.

QUAESTIO XX.

Quinto quaeritur an materia habeat diversas differentias materiales per quas specificetur, sicut in formis videmus.

Et quod sic videtur.

1. Secundum Aristotelem [a], pluribus locis [1], propria forma non potest esse nisi in propria materia; sed materia appropriata esse non potest, nisi habeat differentias appropriantes; ergo et cetera. — Si dicatur quod per formam vel formales dispositiones appropriatur [b]: contra, aut illae formae seu formales dispositiones sunt communes aut propriae. Si communes: non per eas appropriabitur, sed erit adhuc communis. Si propriae: ergo et ipsae praeexigunt appropriationem materiae.

2. Item, materia corporalis differt essentialiter a spirituali per simplex et compositum et per habens partes et non habens partes et per corporale et spirituale; ergo [c] ista dicunt differentias essentiales additas materiae. Non enim has conditiones habet materia a forma sed potius a se, in tantum quod forma spiritualis non potest esse nisi in spirituali materia nec corporalis nisi in corporali; ergo eodem modo erit in aliis.

3. Item, multiplicato uno correlativorum multiplicatur et reliquum; sed materia et forma sunt correlativa secundum Aristotelem, II *Physicorum* [2]; ergo et cetera.

---

[a] B[7] add. *in*. [b] Ita B[7], V *appropriaretur*. [c] B[7] add. *et*.

---

[1] *Phys.*, III, 1, 201a 35sq.; III, 5, 229a 11sq.; *De gen. et corr.*, I, 7, 324b 6sqq.; II, 4, 331a 2sqq.; *Metaph.*, VII, 7, 1032a 20sqq.; VII, 8, 1033b 2sqq.; VII, 9, 1034a 9sqq.; VIII, 4, 1044b 15sqq.

[2] Cap. 1, 194a 12sqq., 193a 28sqq.

4. Item, materiae est essentiale ordinari ad formam sicut potentia vel possibile ad actum; sed non omnis materia est ordinabilis ad omnem formam nec ut talis existens est possibilis ad eam, ut materia lapidis ad animam rationalem vel materia simplicis elementi, ut ignis, ad formam auri; ergo et cetera.

5. Item, materia, quanto est sub puriori [a] forma, tanto est purior et tanto magis dilatata, ut sub forma ignis quam sub forma terrae. Et eodem modo [b] forma purior materiam puriorem requirit; nam videmus quod agentia purificando et sublimando materiam introducunt formas nobiles et ingrossando et inferiorando introducunt ignobiles.

6. Item, forma non educitur de materia, nisi materia moveatur; sed si nullo modo in essentia sua transmutatur, non nisi per accidens quodam modo movetur nec se habet ad motum nisi quasi sicut deferens [c]; ergo oportet quod in essentia sua fiat aliqua transmutatio; sed hoc non potest fieri, nisi amittat aliquid materiale quod esset sibi essentiale et aliud acquirat oppositum; ergo et cetera.

7. Et ultimo, si materia nullam habet differentiam materialem, tunc omnis materia de se et sua essentia est aeque propinqua et aeque remota, aeque communis et aeque propria, aeque simplex, aeque composita, aeque nobilis, aeque ignobilis, aeque tendens et aeque inclinata et [d] ordinata, quantum est de se, in omnes formas. Et aeque statim poterit introduci una sicut et alia, ut statim in materia ignis introduci forma [e] auri vel forma animae et statim in semine forma corporis humani vel animae pecoralis. Et tunc ab omni forma forma poterit transmutari et immediate in aliam, ut a corporali forma in spiritualem, ab elementari in caelestem. Et ita parum erit inclinata de se et sua essentia in formam quam actu habet sicut in eam quam non habet actu et sic ita parum mutata. — Si tamen ponas quod de se plus est in istam inclinata et adhaerens: ergo cum haec unio et inclinatio sit ei substantialis, aliquid essentiale habet respectu huius et quando est sub ea et aliud respectu alterius et quando non [f] est sub ea.

Contra: 1. Materia de se cogitata sine omni forma nullam habet [g] determinationem, nullam unitatem, nullam

---

[a] Ita B^6, V B^7 *priori*. [b] B^7 *materia*. [c] Al. m. ex *differens*. [d] B^7 om. *i. e.* [e] Ita B^8, V B^7 *formam*. [f] Ita B^7, V om. [g] Al. m. mg.

multitudinem vel divisibilitatem, nullam compositionem nec simplicitatem [a] determinatam; abstrahit enim eius essentia a forma corporali et spirituali et etiam a forma generalissime accepta, utpote ab omni forma substantiali; sed si habet [b] varias differentias, opposita consequuntur; ergo et cetera.

2. Item, Aristoteles, II *Metaphysicae*, dicit [1] quod in fundamento naturae nihil est distinctum; ergo et cetera.

2. Item, VII *Metaphysicae*, dicit [2] quod solus actus dividit; ergo materia non poterit dividi a materia vel distingui nisi per formam.

3. Item, si de se habet varias differentias: ergo materiae per essentias suas erunt ad se invicem distinctae et plurificatae et sufficientes; ergo necessario habebunt diversas unitates et essentias diversas et sic diverso modo determinatas.

4. Item, tunc erit dare in materia genus et species [c] et tunc esset recte in linea praedicabili, quia genus et species sunt recte in linea praedicabili, et sic faceret per se unum praedicamentum.

5. Item, secundum Aristotelem [3], materia non praedicatur, quia omnis praedicatio fit ratione formae et semper praedicatio se habet in ratione formae [d]; sed tunc materia vere praedicaretur de hac materia et [e] de illa et differentiae de suis speciebus quas constituunt; ergo et cetera.

6. Item, si esset dare in ea genus et species et differentias: ergo et individuationem seu aliquid per quod individuaretur; non enim tunc individuaretur per suam essentiam, ex quo esset vere communis.

7. Item, universalia se habent in ratione formae ad sua inferiora et sunt formae ipsorum; ergo et materia in generali accepta esset forma suorum inferiorum.

[Respondeo]

Ad quaestionem istam dicendum quod quidam aliquando voluerunt dicere, etiam moderni,

---

[a] B[7] *simplicem.* [b] Al. m. in ras. [c] B[7] add. *et differentias ergo et individuationem.* [d] B[7] om. *et semper... formae.* [e] Add. interl. al. m.

---

[1] Verbotenus non invenitur; auctor videtur prae oculis habere *Metaph.*, II, 2, 994 a 3 b, 6 sqq., 995 a 17. [2] Cap. 13, 1039 a 7. [3] *Metaph.*, VII, 3, 1028 b 36 sqq.

quod in materia est dare differentias materiales realiter differentes a natura communi materiae cum qua componuntur et quam specificant et inter se invicem oppositas, eo modo oppositionis [a] quo saltem differentiae genus dividentes opponuntur, et quod introducuntur aliquae earum per motum et aliquae destruuntur. Moti autem fuerunt ad hoc ponendum rationibus praedictis ad hoc superius adductis.

Istud autem non credo quod stare possit. Quod patet primo ex ratione unionis qua [b] unitur differentia cum natura materiae generali; secundo, ex ratione specificationis et determinationis; tertio, ex ratione motus et transmutationis [c]; quarto, ex ratione mutuae oppositionis.

Primo quidem ex ratione unionis: quia impossibile est aliqua uniri, quin alterum sit in potentia respectu alterius et alterum eius actus vel quin ambo uniantur [d] in tertio actu, ut duae partes materiae in tertia forma vel in tertia potentia, ut duae formae vel duae partes formales in una materia; ergo differentia unietur cum natura generis sui aliquo istorum modorum. Et non est dare duo ultima, quia tunc tu poneres tertiam naturam, sive formalem sive materialem, in essentia materiae, et poneres quod ipsa sint sicut duae materiae vel ut duae formae unitae; ergo vere quod additur erit actus alterius. Et hoc manifeste patet quod sequitur, quia utique primum erat in potentia ad id quod differentia dicitur. — Praeterea, ista differentia est in eo cui additur; ergo est ibi aliquo modo essendi in. Et utique iste vel erit inhaerentia accidentalis, et [e] tunc erit forma accidentalis [f], vel substantialis, et tunc erit vere forma. — Item, ratio materiae est quod sit primum subiectum et quod non sit in alio [g]; ergo ista differentia habet oppositas rationes ad rationem substantiae materiae [h]. Nec sufficit dicere quod habet in hoc modum formae, sed non est forma; quia quicquid habet realiter modum formae essentialem [i] realiter est forma necessario et formale; impossibile enim est quod id quod [k] ex opposito dividitur contra formam et contra rationem formalem habeat essentialiter et realiter modum formalem; et tamen ex praedicto probatur quod non solum habeat modum, immo vere quod sit actus et forma.

---

[a] B^7 *scilicet oppositas.* [b] B^7 *cum.* [c] B^7 *determinationis.* [d] B^7 om. [e] Al. m. mg. [f] Al. m. mg. *et tunc... accidentalis.* [g] Ex *aliono.* [h] B^7 om. [i] B^7 *essentialiter.* [k] V om. *i. q.*, quod habet B^6.

Secundo patet hoc ex ratione specificationis: tum quia haec non poterit intelligi sine aliqua specificatione et determinatione quae materiae respectu generis sui non competit; tum quia specificatio et determinatio seu specificans et determinans sunt vere actus specificabilis et determinabilis et ita vere sunt eius forma et specificabile [a] vere erit eius materia; tum quia sicut generalis natura formae et specialis dicuntur duae formae, ita et ista [b] dicentur duae naturae materiales vel duae materiae. — Nec valet, si dicatur quod eodem modo sequetur de formis quod natura generis sit vere materia, quia differentia non poterit ei uniri nisi ut actus, et cum sit eius specificatio, ipsum erit specificabile; quia differentia non unitur ei nisi eo modo quo duo uniuntur [c] in tertio, nec specificat eius naturam, ut est partialis, sed solum prout sumitur ut totum comprehendens potentialiter naturam differentiae intra [d] se, sed potius specificat unaquaeque [e] materiam et totum suum.

Tertio patet hoc ex ratione transmutationis seu motus: omnis enim materia terminatur ad aliquid formaliter, quia terminus motus magis habet rationem actus et formae quam motus; omnis autem motus est actus mobilis; ergo istae differentiae, cum sint termini motuum per quos introducuntur [f], magis erunt formales quam ipsi motus. — Item, motus diversificantur secundum diversitatem terminorum; ergo erit alius motus genere qui terminatur ad differentias materiales ab illis qui terminantur ad formas, sive accidentales sive substantiales. Et ita non poterit fieri mutatio formarum in materia, quin ibi simul [g] sint semper duo genera motuum quorum unus erit motus materialis, alter ipsius motus formalis, quia ipsa movetur a forma ad formam, non ipsae formae [h]; et iste utique est ab altero agente, quia omne agens agit movendo ad suam speciem et per impressionem suae similitudinis. Et ideo apparebit quod ille motus materialis sit a consimili in specie differentiae materialis introducendae et quod fiat per immissionem similitudinis illius differentiae materialis agentis. Quae omnia manifeste sunt absurda. — Praeterea, eodem modo oportebit quod adhuc sit alia differentia approprians materiam ad hanc differentiam quae introducitur; sequitur enim hoc manifeste ex rationibus superius [i] factis in quibus ipsi innituntur.

---

[a] B^{7} *speciale.* [b] B^{7} *iste.* [c] Al. m. corr. [d] Ita B^{7}, V *inter.* [e] B^{7} *unamquamque.* [f] Ita B^{7}, V *inducuntur.* [g] B^{7} *quod ibi* pro *q. i. s.* [h] B^{7} om. *n. i. f.* [i] Al. m. corr.

Quarto patet hoc[a] ex ratione oppositionis: quae non potest esse nisi in essentiis determinatis, etiam ad alteram partem extremitatis, et hoc complete. Et cum istae mutuo[b] se expellant in eodem subiecto, manifeste patet quod respiciunt eam, saltem sicut suum materiale subiectum; respicere autem aliquid ut subiectum vere et realiter non est nisi formae.

Alii autem dicunt quod materia, prout cogitatur ut denudata[c] omni forma, est simpliciter una secundum essentiam et potentiam in omnibus. Et non loquor hic de unitate numerali, quia de hoc in sequenti agetur, sed prout aliquod commune dicitur unum in pluribus; unde et dicunt quod materia denudata omni forma essentialiter se habet ad omnem formam, nec est tunc intelligere differentiam inter materiam corporalem et spiritualem.

Sed hoc non videtur posse[d] stare, quia tunc in spirituali materia posset poni, quantum est ex ipsa, forma corporalis et possemus ibi dare partes, et in corporali posset forma spiritualis poni et in ea partes non esset dare ex ipsa et per se. Et ideo[e] necesse est ponere eam habere partes secundum se, in tantum quod nunquam cogitari potest materia corporalis sine partibus. Non enim potest materia[f] cogitari materia sic sine forma quod cogitetur existere sine ipsa, quia hoc est impossibile; sed ut sub ipsa existens cogitatur eius essentia, ita[g] quod videatur quid est de eius essentia; et tunc invenietur quod multitudo partium est de essentia materiae; sed unitas earum vel divisio non inest eis nisi per formam. Et quamvis non possint cogitari multae partes nisi sub unitate[h] formae vel divisione: tamen intellectus pro tanto intelligit eas multas sub unitate et divisione, quia videt quod essentia unius est alia ab essentia[i] alterius. Si enim non est alia: ergo verissime etiam[k] sub forma non sunt ibi aliae et[l] aliae partes essentiales et integrales materiae, sed esset verissime una et simplex.

Differunt igitur veraciter materia corporalis et spiritualis secundum definitiones et rationes sibi essentiales, quia haec[m] habet vere multitudinem partium, sed non talem quae possit existere nisi sub forma et per

---

([a]) B[7] om. ([b]) Ita B[7], V *m. i.* ([c]) Ex *denudaturta.* ([d]) B[7] om. ([e]) B[7] *ita.* ([f]) B[7] om. ([g]) B[7] *et.* ([h]) Ex *unite.* ([i]) Add. interl. al. m. ([k]) B[7] *est.* ([l]) B[7] add. *non.* ([m]) Ita B[7], V al. m. mg. *hoc.*

formam, quia nec essentia materiae est alterius modi. Unde quod (a) quidam dicunt quod habet multitudinem partium in potentia solum, si intelligas « in potentia » ita quod ad hoc quod habeat eas vere oportet quod multitudo earum reducatur (b) ad actum, sicut esse formarum dicitur esse in potentia, et loquor de multitudine earum secundum suas essentias, non secundum actualem unitatem et divisionem formalem: non potest stare, quia tunc ipsa cogitaretur vere simplex actu et carere partibus actu et ita habere unitatem essentiae et indivisionem actu; quod ita parum potest fieri sine forma sicut nec multitudo, et minus, pro quanto illud est esse nobilius. Tunc etiam quaero de quo extrahuntur et quomodo de illo potentiali non habenti partes fit quod habeat vere postea materiales quae vere sustinent partes varias formae: non erit dare. Hoc autem in sequenti quaestione plenius patebit. Et tamen adhuc in hoc differentes rationes haberent, quia una haberet multitudinem in potentia et non simplicitatem, alia simplicitatem (c) in potentia et non multitudinem partium.

Media igitur via videtur hic esse incedendum, ut videlicet dicamus quod materia non habet differentias formales realiter ab ea differentes et realiter cum materia compositas, sicut forma cum forma altera componitur in tertia materia; et tamen materia corporalis sic convenit cum materia spirituali in ratione materiae quod differentem definitionem habet ab ea per hoc quod isti additur altera ratio, scilicet habere partes potentiales vel in potentia, et isti non habere sed potius simplicitatem potentialem vel in potentia; quia istae rationes nihil addunt reale ad essentiam materiae uniuscuiusque istorum, sed in materia spirituali implicatur utraque ratio sine (d) reali differentia et in corporali eodem modo. — Dicendum igitur quod in materia non sunt aliquae differentiae materiales quae aliquid addant realiter ad essentiam eius, ita quod sit ibi realis unio et compositio; bene tamen est ibi dare differentes rationes quarum una (e) secundum intellectum communior est et quasi universalis respectu alterius, sicut materiae corporali et spirituali ratio materiae et possibilis est communis. Ratio autem corporeitatis et spiritualitatis indeterminatae a qua (f) magis debet dici possibilis quam actualis sunt earum rationes

---

(a) B⁷ om. (b) Ita B⁶, V B⁷ *reducantur*. (c) B⁷ *simplicem*. (d) B⁷ *sub*. (e) Ita B⁷, V *materia*. (f) B⁷ *et quae*.

speciales, non quod ratio materiae dicat in eis aliquam naturam realem eis communem cui istae rationes speciales sint unitae.

Ad evidentiam autem huiusmodi argumentorum quatuor sunt notanda. Quorum unum [a] est quod non omnis diversitas rationis [b] realis ponit semper diversitatem realem in essentia super quam [c] vel in qua fundatur. Sicut enim omnes formae conveniunt in ratione formae et habent rationes per quas differunt in ratione formae [d], videtur, si [e] ratio formae aliquid adderet aliud realiter omnibus in quibus est, tunc omnis forma, quantuncunque simplex, esset composita [f] ex ratione formae in qua convenit cum aliis formis et ex eo in quo differt ab eis. Et tamen adhuc, si ratio illa formae diceret quandam essentiam aliam ab illa ratione speciali per quam differret forma composita ab ipsa, esset necessario dare in ea rationem formae per quam conveniret cum omni forma et rationem per quam differret, et differentia addita adhuc esset forma. Hoc autem ad praesens non notificabimus, quia in quaestione de formis tangetur.

Secundum est quod materia non oportet quod semper approprietur formae per aliquid sibi essentiale quod sit materiale, sed per priores formas appropriatur subsequentibus. Et haec [g] est causa quare quaedam [h] formae sunt semper priores aliis in materia et quaedam necessario posteriores. Materia autem corporalis est propria materia corporalium et spiritualis spiritualium per essentiam suam, sed non per aliquid reale additum alicui naturae materiali quae sine differentia illa esset communis formae spirituali et corporali; quia tunc veraciter in eadem natura materiae, numero inquam eadem, posset esse successive forma spiritualis et corporalis, quantum esset ex parte materiae. Et utique ipsi [i] naturae communi per se responderet aliqua forma seu natura formalis; quod est impossibile, quia tunc illa forma esset communis spirituali et corporali et nec esset [k] simplex nec extensa nec corporalis nec spiritualis.

Tertium est quod inclinatio qua materia dicitur inclinari ad formam suam, si est inclinatio vere actualis, est per formam aliquam vel impulsum formalem; inclinatio enim

---

[a] B^7 *primum* pro *Q. u.* [b] Ita B^7, V *omnis.* [c] B^7 *qua.* [d] Ita B^6 *et habent... formae,* quod V B^7 om. [e] B^6 *si enim* pro *v. s.* [f] B^7 om. [g] Ita B^7, V *hoc.* [h] B^7 add. *causa.* [i] Ita B^7, V *ipsa.* [k] Ita B^7, V *etiam.*

actus est inclinabilis, sicut motus mobilis [a]. Unde materia de se non refertur ad formam nisi ut possibile et inclinabile ad suum actum et ad suam inclinationem, licet per intermediam aliquam formam vel aliquid formale hoc fiat. Et ideo motus quo materia dicitur substantialiter mutari est actus eius et terminus eius actus. Ipsa enim mutatio et eius variatio est actus eius ut inclinabilis et variabilis. Unde bene concedo quod variatur, sed tamen variationes sunt formales, ipsa vero subiectum et mobile.

Quartum est quod universalitas bene potest attribui principiis componentibus, licet non in illo complemento quo ipsi composito; sicut enim compositum est cogitare universaliter et particulariter, sic et principia ipsa. Unde et materiam est cogitare universaliter ad hanc materiam et ad illam, quia materia, in quantum materia, non est haec vel illa materia, sicut nec homo, in quantum homo, est hic vel ille. Quid tamen [b] individuatio addat ad rationem materiae ad hoc ut per illud possit dici haec [c] vel illa: eadem difficultas est, quid addat [d] ad rationem formae eius individuatio per quod possit dici haec forma vel illa [e]. Materia igitur, secundum quod habet rationem communis, de inferioribus suis potest praedicari, sed non de suo composito quod constituit et cuius est pars materialis. Et de hoc solo negat eam praedicari Aristoteles [1]. Quamvis autem habeat rationem communis, non [f] propter hoc erit forma sui inferioris; tum quia haec communitas vel universalitas est in intellectu [g], in quantum talis, materia vero prout est in re, semper est individua; tum quia nomen formae et materiae hic aequivocatur. Proprie enim forma dicitur quod [h] est actus alicuius possibilis informabilis; individuum autem non sic dicitur materia superioris sui, sed transsumptive. Quia enim [i] materia subiacet formae, ideo, quia istud intelligimus ut subiacens et illud ut in hoc existens, ideo attribuimus nomen formae [k] communi, ipsi [l] autem individuo nomen materiae, sicut et toti essentiae compositi nomen formae, cum tamen compositum praetendat in se essentiam materiae et

[a] Ita B^6, V B^7 *mobile*. [b] Al. m. [c] Ita B^7 B^6, V add. *forma*. [d] Ita B^7, V *addit*. [e] Al. m. mg. *eadem difficultas... vel illa*. [f] Sequitur ras. [g] Al. m. corr. [h] B^7 *quae*. [i] B^7 om. [k] Seq. lac. [l] B^7 *quando*.

[1] *Metaph.*, VII, 3, 1028 b 36 sqq.

formae nec suppositum sit materia [a] suae essentiae nisi metaphorice loquendo [b] et aequivoce.

Ex iis patet ad omnia quae ad utramque partem obiecta sunt.

QUAESTIO XXI.

Sexto quaeritur an materia per essentiam suam sit una numero in omnibus, corporalibus saltem.

Et quod sic videtur.

4. [c] Aristoteles, II [d] *Metaphysicae*, dicit [1] quod in fundamento naturae nihil est distinctum.

1. Item, VII [e] *Metaphysicae*, dicit [2] quod solus actus dividit [f].

2. Item, si de sua essentia, abstracta omni forma, non est una numero: ergo secundum suam essentiam sic in abstracto cogitata erit [g] vere plures numero, ergo de se habet plures unitates numerales et essentias; sed unitas numeralis et distinctio numeralis est perfectissima unitas et perfectissima [h] distinctio et cui non potest addi distinctio; ergo et cetera.

3. Item, divisio et distinctio sunt actus divisibilis et distinguibilis; ergo si sunt numero distinctae et in partes numerales divisae, habent de se actum divisionis et ita formam de se.

5. Item, amota forma quantitatis et corporeitatis non est cogitare partes in materia corporali; sed impossibile est cogitare totam materiam corporalem abstractam ab omni forma corporali cum [i] quantitate et corporeitate; ergo tunc cogitabitur [k] sine partibus et ita [l] sine distinctione aliqua, quia distinctio non potest cogitari [m] sine partibus.

---

[a] B^7 om. [b] B^7 *loquendo metaphorice.* [c] Quia in responsione ad obiectiones ordo earum invertitur, ad quartam autem nullum responsum datur, ideo hic hanc numerationem posui. [d] B^6 *3.* [e] B^6 *11.* [f] Ita B^7 B^6, V *addit.* [g] B^6 *est.* [h] Al. m. mg. *u. e. p.* [i] B^6 *corporali* pro *f. c. c.* [k] Al. m. mg., B^7 om., B^6 *erit.* [l] B^6 *ergo* pro *e. i.* [m] B^6 *comitari;* B^7 B^6 om. *s. p.*

---

[1] Verbotenus non invenitur, auctor videtur prae oculis habere *Metaph.*, II, 2, 994 a 3, b 6 sqq., 995 a 17. [2] Cap. 13, 1039 a 7.

6. Item, tunc ipsa haberet ad minus rationem speciei ad sua individua et sic haberet [a] vere rationem universalis et, si [b] universale, est forma inferiorum et inferiora sunt materialia respectu ipsius; ergo ipsa esset forma respectu suorum individuorum.

7. Item, tunc individuatio esset aliud ab essentia materiae, in quantum est materia, quia ratio materiae esset communis pluribus materiis individuis, et tamen individuatio unicuique esset propria; ergo non esset per se individuata et ita nec individuationis principium. Ista etiam individuatio dicet [c] aliquid aliud ab essentia materiae et tunc [d] necessario aliquid accidentale [e] ei et sic formam [f].

8. Item, secundum [g] Aristotelem [1], materia non praedicatur, quia omne praedicatum se habet in ratione formae; sed tunc materia praedicaretur formaliter [h] de hac materia et de illa; ergo et cetera [i].

[Respondeo]

Circa quaestionem istam sunt duae solemnes opiniones.

Quidam enim dicunt quod materia per essentiam suam non diversificatur numero in rebus, sed solum secundum esse formalia diversa. Et ideo, quia naturalis non considerat materiam, nisi prout habet esse naturale, nec mathematicus, nisi prout habet esse extensum et corporale seu quantitati subiectum: secundum considerationem istorum dicunt quod debet dici alia et alia materia. Quia vero metaphysicus [k] considerat principia entis et substantiae [l] communissime et secundum suas essentias: ideo loquendo secundum considerationem metaphysici dicunt quod debet dici una numero; quia secundum suam essentiam non habet unde sit alia et alia materia, quia de se non habet unde distinguatur, sed solum unde sit distinguibilis. Et ideo dicunt quod est una numero de se in omnibus, non unitate numerali quae competit composito ex materia et [m] forma, sed quae potest competere tali possibili;

---

[a] Ita B[7] B[6], V *habere.* [b] B[7] B[6] *secundum.* [c] B[6] *dicit.* [d] B[6] *omne.* [e] B[7] *essentiale.* [f] B[6] *forma.* [g] B[6] om. [h] B[6] om. [i] B[6] om. *e. c.* [k] B[7] *mathematicus.* [l] B[6] *idem.* [m] B[7] B[6] om. *m. e.*

---

[1] *Metaph.*, VII, 3, 1028 b 36 sqq.

quae est magis unitas privativa [a] diversitatis et distinctionis [b] actualis quam positiva. Dicuntque quod maioris est ambitus [c] quam genus generalissimum, quia [d] illud includit aliquid formale, hoc nihil; et ideo dicunt quod potest esse sub oppositis formis ens et non ens, creata et creabilis, multo magis quam universale, quod tamen sic est creatum vel factum in uno individuo quod [e] potest fieri in alio vel per alterius individui generationem.

Haec autem opinio multis sapientibus non placet nec video quomodo possit stare aliquo modo. Quod patet, si attendamus ad huius unitatis quae in ea ponitur quidditatem seu realitatem, ad formarum quae in materia sunt contrarietatem et diversitatem, ad entium quorum ipsa pars est numeralem et essentialem inter se distinctionem et [f] ad creationis veritatem.

Si enim aspiciamus ad huius unitatis quidditatem [g]: aut ipsi intendunt ponere hanc unitatem solum in intellectu et nullo modo in re, qualis est unitas universalis; universale enim secundum rem [h] nullo modo est unum in pluribus, quia infinita impossibilia sequerentur [i], sicut alibi habet ostendi, et [k] omnia illa inconvenientia quae ostendit [l] Aristoteles [1] sequi ad positionem Platonis [m] de ideis. Et tunc [n], si solum essentia materiae haberet unitatem secundum intellectum, haberet [o] tamen secundum rem veram diversitatem [p], sicut humanitas in me [q] et in te habet unitatem solum secundum intellectum, sed [r] et veram diversitatem in re. Tunc etiam aeque bene potest [s] dici hoc de materia secundum acceptionem naturalium et mathematicorum [t], quia unitatem materiae secundum intellectum potero accipere in omnibus habentibus materiam naturalem vel mobilem et in omnibus corporalibus seu habentibus quantitatem secundum mathematicorum viam. — Praeterea, licet humanitas possit secundum intellectum dici una [u] in me et in te, non

---

[a] B[6] *primitiva.* [b] B[6] add. *et.* [c] B[6] *minoris est quidditatis* pro *m. e. a.* [d] B[6] *et.* [e] B[6] add. *tamen.* [f] B[6] om. [g] B[6] *quidditatis unitatem* pro *u. q.* [h] B[6] add. *per se.* [i] Ita B[7] B[6], V *sequeretur.* [k] B[6] *vel.* [l] B[6] *dicit.* [m] Al. m. ex *Platoni.* [n] B[6] *ideo.* [o] B[6] *habet.* [p] B[6] add. *in re.* [q] B[6] *materia.* [r] B[6] om. [s] B[6] *posset.* [t] Ita B[3], V *mathecarum*, B[7] B[6] *mathecorum;* B[6] *et* pro *quia.* [u] B[6] add. *et.*

---

[1] *Metaph.*, I, 9, 990a 33sqq.; XIII, 4, 1078b 9sqq.

tamen haec et illa [a] humanitas, immo necessario secundum hunc modum intellectus accipiet [b] eas semper ut [c] diversas. Sic enim [d] accipiuntur secundum rationem individualem cui nullo modo competit universalitas nec unitas universalitatis. Tunc ergo quaero an materia huius rei et illius secundum suam essentiam sit absolute et universaliter materia an etiam haec materia, ita quod sicut [e] secundum suam essentiam vere est materia et essentia materiae, ita vere sit haec materia et haec essentia materiae. Si enim non sibi convenit aliquo modo [f] secundum suam essentiam quod sit haec: tunc secundum suam essentiam [g] est universalis solum et ita secundum suam essentiam nihil est reale. Tunc etiam impossibile est [h] eam intelligere secundum suam essentiam aliquo modo individuatam. Si enim dicas quod individuatur [i] per adventum formae, quaero haec individuatio quid etiam ei addat; aut aliquid accidentale ei adveniens ut subiecto [k], et tunc ipsa adhuc sine illo accidente [l] erit vere universalis [m]; aut essentiale, et tunc eius essentia esset facta vere haec, quia illud esset pars suae essentiae. Et iterum aut illa individuatio est aliquid formale et ita non spectans ad essentiam [n] materiae quantum ad rationem suae essentiae [o] in aliquo diversificandam, et ita adhuc erit [p] universalis; aut erit aliquid materiale, et tunc illud erit [q] aliquid constitutivum huius essentiae materialis [r] individuatae. — Praeterea, quis poterit negare quod essentia materiae digiti mei non est universalis, sed vere haec? et loquor de essentia illa quae ibi veraciter est aliud a forma ipsa [s] digiti mei. Tunc ergo quaero an haec eadem essentia materiae digiti mei sit illa eadem quae est alterius digiti. Quod si dicas quod sic: ergo verissime intendis dicere quod haec unitas est individualis, ut vere possit dici quod haec [t] essentia materiae et illa, in quantum haec et illa, est vere eadem; et loquor de identitate earum, in quantum haec et illa, non solum in quantum materia absolute, sicut si dicerem [u]: haec humanitas et illa sunt eadem humanitas numero, ita quod intendo dicere quod sunt haec [v] eadem humanitas.

---

[a] B[6] *una.* [b] B[6] *in illo accipit* pro *i. a.* [c] B[6] om. [d] Ita B[7] B[6], V *in.* [e] B[6] *sint.* [f] B[6] om. *secundum suam... modo.* [g] Ita B[7] B[6], V *essentia.* [h] B[6] add. *etiam.* [i] Al. m. corr. [k] B[6] *plura.* [l] Al. m. corr. [m] B[6] *esset vere essentialis* pro *e. v. u.* [n] B[6] *materiam.* [o] B[6] add. *et.* [p] B[6] *esset,* idem subinde. [q] B[6] *etiam.* [r] B[6] add. *et.* [s] Ita B[7], V *ipsius.* [t] B[7] add. *eadem.* [u] Ita B[7], V *diceret.* [v] B[7] om.

Isti igitur decepti esse videntur in hoc quod abstractionem materiae ab omni forma vel e contrario, quando volunt intelligere eius essentiam, prout est distincta ab omni forma, faciunt quasi realem. Et tunc non vident quomodo non sunt omnes materiae quasi una massa simplex. Abstractio autem haec sic debet fieri ut tamen semper intelligatur materia sub aliqua forma, sed ut per essentiam distincta [a] ab ipsa; ita quod haec abstractio solum fiat per distinctionem seu per intelligentiam distinctivam, non per separationem realem formarum seu per intelligentiam separativam. — Posito etiam quod haec abstractio fiet [b] realis: tunc non ex hoc debet intelligi quod omnes materiae sint factae una massa materiae simplex, quia hoc esset in eis ponere nobilissimum actum unitatis et simplicitatis et existentiae in se ipsa et per se ipsam et sine dependentia ad aliud. Nobiliori enim modo cogitatur esse, quando sic cogitatur, quam quando cogitatur divisa per partes sub variis formis. — Isti etiam decepti fuerunt, ut credo, quia posuerunt, ut plenius alibi patet, quod universale sit vere realiter in rebus, prout est universale, et ita quod in quantum universale sit vere realiter unum. Et ideo non sunt veriti dicere quod materia realiter esset una numero et tamen quod haberet minorem unitatem et universaliorem [c] quam genus generalissimum substantiae quod dicit compositum in universali ex materia et forma universaliter acceptis.

Secundo patet hoc attendendo ad formarum quae in ea sunt et quae in ea esse possunt contrarietatem et diversitatem. Si enim materia secundum essentiam una numero est solum differens penes esse quod recipit a formis, ut dicunt: tunc ipsum recipiens illa esse diversa et illas diversas formas est vere unum, in quantum recipiens; non enim naturam receptivam habet a formis vel ab esse quod recipit ab eis. Sicque vere erit una materia in duobus digitis sicut dicimus quod vere est una materia sub duabus formis successive in eadem parte materiae introductis. Et tunc ita verum est dicere quod omnes formae sunt in una materia sicut verum est dicere quod [d] formae successive generatae in eadem parte [e] materiae sunt in una materia, eo modo quo vere dicimus quod contraria sunt in eadem potentia materiae in potentia. Et tunc

---

[a] B^7 *distinctam.* [b] B^7 *fieret.* [c] B^7 *universalioremque unitatem* pro *u. e. u.* [d] Sequitur ras. [e] Ita B^7, V *partem.*

nescio quare negetur [a] quod formae contrariae non possunt simul esse in eadem materia vel diversae formae specificae, ut sunt forma asini et hominis. — Tunc etiam materia quae est in grano milii est susceptibilis tantarum formarum et quantitatum et simul et successive sicut tota materia universi, quoniam tota materia universi [b] est in ipsa; et erit verum dicere quod tota materia universi vere est in grano milii. — Dicunt isti quod materia est diversificata secundum esse et ideo haec non est in ea tota nec ista est susceptibilis in eo tantae quantitatis. Sed si [c] isti bene attendunt dictum suum: haec diversificatio secundum esse non est aliud dictu quam eandem materiam habere diversa esse et diversas formas, nisi forte velint quod etiam ipsa materia secundum se vere diversificetur ratione esse recepti, ita quod non solum esse sit divisum et plurificatum, sed etiam ipsa, prout est differens quid ab ipso esse per essentiam. Et tunc quidem habebimus propositum, quod scilicet ipsa, ut est sub uno esse per essentiam suam et non solum per esse, differt ab alia materia quae est sub alio esse numero.

Praeterea, si ipsa per essentiam suam est una numero, cum formae advenientes non auferant sibi essentiam suam nec aliquid quod sibi competat secundum essentiam suam: non auferent sibi hanc unitatem, et ita existens sub eis habebit eam. — Praeterea, forma non potest dare materiae partes [d] essentiales, quia non dat sibi essentiam, et ita nec partes suae essentiae nec etiam dat sibi distinctionem essentialem. Non enim pars materiae potest differre materialiter ab altera [e] ratione formae, sed solum formaliter. Unde igitur habebit partes materia? non enim a se, cum de se sit una et simplex, nec a forma, immo potius forma deberet habere occasione ipsius. Unde etiam agens, quando extendit materiam et partes eius, extrahit totam [f] quantitatem quae non est aliud quam extensio partium materiae? tunc enim partes materiae dicuntur sibi minus propinquae et quae erant quasi in simul dicuntur factae extra se ac per hoc extensionem maiorem habentes. Et non erit dare, si in eis non ponas partes per essentiam differentes tam in actu quam in potentia. Nec potest dici quod de grano milii possit tanta quantitas extrahi quantum de universo et hoc quantum [g] ex vi

---

[a] B^7 *negent.* [b] Al. m. mg. *q. t. m. u.* [c] Ita B^7, V om. *Sed.* [d] Ex *partes materiae.* [e] B^7 *alia.* [f] B^7 *tantam.* [g] B^7 B^6 add. *est.*

materiae grani. Sed impedimentum est ex parte formae suae, quia forma quam nunc habet est [a] destructibilis per agens; et si materia est de se possibilis ad tantam quantitatem, cum non sit immobiliter alligata huic formae, erit possibile quod per aliquod agens extrahatur quantitas illa quae erat ibi in potentia.

Tertio patet hoc aspiciendo [b] ad entium et suppositorum distinctionem. Sicut enim entia sunt distincta realiter, sic et principia eorum constitutiva. Essentia autem materiae concurrit ad constitutionem entium et non solum eius esse vel forma. Alias essentia materiae non esset pars entium; et cum non sit eorum accidens, non esset aliquid eorum. Si autem sic est, tunc omnia entia erunt unum numero, ex quo prior pars et essentialis eorum est una numero et quae est maxima causa unitatis numeralis et subsistentiae suppositi. — Et etiam ex hoc sequitur quod omnes formae substantiales quae sunt in una materia numero constituunt unum ens numero, licet quaelibet secundum rem ab altera diversa det et diversum esse, sicut et secundum quod sunt unum, dent unum esse. Si igitur est [c] una materia numero per essentiam, tunc omnes formae in ea receptae constituent unum ens numero, quantumcunque dent sibi diversa esse. — Erit etiam verum quod unum numero habet vere diversa esse et est vere pars diversorum entium constitutiva; quia illa essentia, prout est una numero, est pars diversorum entium et recipit diversa esse, complete diversa a diversis formis. Et tunc non erit verum quod secundum quod multiplicatur totum, multiplicantur [d] et partes, et secundum quod multiplicantur formae totales et completae seu actus, multiplicantur et materiae seu potentiae, et secundum quod unum relativorum, et reliquum.

Quarto etiam patet hoc aspiciendo ad creationis veritatem. Quando enim [e] creatur unum ens, creatur vere tunc quicquid est de essentia eius et maxime quod est eius pars constitutiva. Ergo vere tunc creatur [f] materia non solum secundum esse quod recipit a forma, sed etiam eius essentia quam habet sub forma et in qua recipitur tam forma quam illud esse. Si ergo creatio vere se extendit ad essentias et non solum ad esse: ergo essentia materiae in quoli-

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Al. m. corr. [c] Add. interl. al. m. [d] Al. m. mg. *t. m.*; B[7] *multiplicentur*. [e] Al. m. mg., del. *ibi*. [f] B[7] *causatur*.

bet creatur de novo. Ergo [a] ipsa essentia est alia et alia in quolibet creato sicut et esse et sicut forma creata.

Dicitur quod verum est, sed materia est tanti ambitus quod simul est creata et adhuc creabilis etiam in infinitis [b] et simul ens in rebus quae sunt et non ens in aliis et [c] potens esse in infinitis multo magis quam universale quodcunque. Nec tamen hoc est ratione nobilitatis vel actualitatis infinitae quam habeat, sed potius ratione possibilitatis quasi infinitae; quia nullo modo est determinata ad aliquem actum de se, ideo est possibilis determinari per omnes. — Sed si hoc est, tunc de eadem essentia reali quae vere est hic et in hoc potest significari — ut cum dico: « hic est essentia materiae vere quae est aliud per essentiam a forma et [d] ab esse quod recipit ab ipsa » — erit dicere vere contradictoria simul et quod illa essentia realis quae vere est hic potest esse in infinitis actu eadem numero per essentiam illam eandem [e] quam habet vere et realiter hic, et ultra hoc nescio maiora inconvenientia quam haec duo. Est etiam mirabile, quia isti volunt sic eam esse unam numero quod tempus ideo ponunt posse esse unum [f] numero in omnibus, quia potest esse in ea ut in subiecto. Et tunc sequitur quod ipsa ut existens in omnibus sit subiectum unius accidentis numero et ita quod in omnibus ab eodem accidente numero informetur. Quod quam magnum inconveniens sit et quanta impossibilia implicet nolo ad praesens dicere.

Dicendum igitur secundum alios quod materia est alia numero per essentiam in qualibet re ab illa quae est in alia re. Intelligendum tamen quod sicut eius essentia talis est quod non potest esse actu [g] sine forma, sic eius unitas essentialis per quam distinguitur a forma et ab alia materia talis est quod non potest actu esse sine forma; non quod istam unitatem suscipiat a forma vel eius esse, cum per hanc differat realiter ab ipsa [h] et ab ipso esse et cum haec unitas non sit aliud ab ipsa essentia sua, pro eo quod per eam essentialiter et numeraliter, ut ita dicam, differt [i], eo modo quo pars a parte dicitur differre numeraliter, quod solum proprie convenit suppositis et totis; sed ideo non potest esse sine forma, quia indeterminata est, sicut et essentia ipsa materiae. Ens autem vel unum inde-

---

([a]) Sequitur ras. et lac. ([b]) Al. m. ex *finitis;* add. interl. al. m. *et* quod B^7 om. ([c]) B^7 om. ([d]) Ita B^7, V om. ([e]) Ita B^7, V *eadem.* ([f]) Ita B^7, V om. ([g]) B^7 om. ([h]) B^7 add. *forma.* ([i]) B^7 *differunt.*

terminatum, determinabile tamen per aliud non potest esse nec poni actu nisi cum determinatione sua et sub ea. Igitur haec unitas non dicit aliam actualitatem materiae nisi solum actualitatem essentiae suae quae vere est aliquid, licet indeterminatum. Unde non dicit unitatem illam quae ponit coniunctionem actualem partium materiae nec actualem simplicitatem nec actualem partium materiae divisionem, sed solum essentiam [a] materiae ut determinabilem per ista velut sub istis existentem, non tamen quod sit idem quod illa.

[Solutio Obiectorum]

Quod ergo dicis quod solus actus dividit: verum est « complete et determinate » et divisione actuali quae dicit [b] partium actualem [c] segregationem; et etiam pro tanto est actus ut in [d] prima quaestione dictum fuit.

Quod secundo dicis quod habebit plures unitates numerales de se: verum est « indeterminatas ». Unde unitas numeralis cui inest [e] perfectissima distinctio non competit isti materiae [f] nisi pro tanto quod ita vere est aliud numero ab alia materia sicut totum ab alio toto vel ente. Non etiam hae unitates sunt in ea cogitandae per separationem a materia, sed solum per distinctionem. Cuius contrarium ratio innuebat.

Ad tertium dicendum [g] quod verum est de divisione quae dicit actum formalem [h] et quae ponit unitatem formalem et segregationem actualem et determinatam; nec hic distinguibile dicitur nisi secundum intellectum. Quando enim dicimus « forma distinguitur ab alia forma vel a [i] materia », non intendimus quod forma sit vere quiddam distinguibile in potentia quod [k] postea per actum distinctionis vel distinguentis alicuius alterius a se distinguatur; sed quia ipsa est, ut ita dicam, sua distinctio et suus actus, intelligimus in ea secundum modum nostrum intelligendi rationem distinguibilis et distincti, non quod istae rationes, prout sunt oppositae et prout dicunt potentiam et actum, sint in ea. Et sic est dicendum de materia cuius essentia est sua distinctio; non enim est aliud haec distinctio quam alietas realis.

---

[a] Ita B^7, V *essentia.* [b] B^7 *dividit.* [c] B^7 *actualium.* [d] Sequitur ras. [e] B^7 *non est.* [f] B^7 om. *n. c. i. m.* [g] V om. hic et in tribus sequentibus responsis, quod B^7 habet in tertia et quinta responsione, B^6 in tribus sequentibus responsionibus. [h] Al. m. mg. *est... formalem.* [i] Add. interl. al. m. [k] B^7 *quae.*

Ad quintum dicendum quod amota forma per distinctionem [a] seu intellectum distinguentem est cogitare in ea partes.

Ad sextum dicendum quod species nihil aliud est secundum rem ab individuis nec est forma nisi transsumptive et aequivoce, quia intelligimus eam acsi formam, quia intelligimus acsi inhaerentem et quasi actum individui.

Ad septimum dicendum quod non est aliud individuatio ab essentia materiae secundum rem, sed solum secundum rationem, realem tamen [b], quia nec hoc forte est in aliquo.

Ad octavum dicendum quod Aristoteles intendit solum de eo cuius ipsa est pars constitutiva, sed [c] quod praedicetur de hac vel de illa materia non negat. Non tamen propter hoc sequitur quod sit forma secundum rem, sed quod intelligitur ad modum formae.

QUAESTIO XXII.

Septimo [d] quaeritur an substantia suscipiat magis et minus.

Et quod non videtur.

1. Definitiones substantiarum aequaliter participantur a suis inferioribus, non enim possent inaequaliter participari, quin definitio in uno haberet plus [e] quam in alio; secundum autem Aristotelem, VIII [f] *Metaphysicae* [1], species et definitiones rerum sunt sicut numeri in quibus additio vel diminutio [g] variat speciem; si ergo inaequaliter participarentur [h], non essent eiusdem speciei, sed diversae.

2. Item, unus homo non dicitur magis homo quam alter nec magis animal [i], et sic de aliis.

---

[a] B^7 *definitionem;* V B^7 om. *forma* quod habet B^6. [b] B^7 *tantum.* [c] B^7 add. *secundum.* [d] B^6 om. [e] Al. m. mg., del. *post.* [f] Ita B^6, V *4.* [g] V pon. *tam vel diminutam* pro *a. v. d.* quae habet B^6. [h] B^6 *participarent.* [i] Ita B^6, V *animalis.*

---

[1] Cap. 3, 1043 b 32 sqq.

3. Item, sicut in accidentibus abstracta praedicantur in quid, sic [a] concreta in substantiis; sed abstracta accidentium non praedicantur secundum magis et minus, non enim haec albedo dicitur magis albedo quam illa; ergo nec in substantiis.

4. Item, si substantia reciperet magis et minus, Sortes posset esse magis [b] homo et magis substantia in uno tempore quam in alio; hoc autem videtur absurdum; ergo et cetera.

5. Item, in illis solum est dare [c] praedicationem secundum [d] magis et minus quae alicui subiecto inhaerent a quo et participantur aliquando plus aliquando minus; magis enim et minus non praedicant aliud quam minorem vel maiorem [e] participationem praedicati a subiecto, sensus enim est, « hoc est magis album », id est, « magis habet de albedine »; sed in substantiis superiora non praedicantur per modum inhaerentiae, sed potius per modum identitatis, cum dicant eorum quidditatem nec sunt in eis sicut in subiecto, non enim homo est in Sorte, sicut forma in subiecto aut sicut in materia; ergo et cetera.

6. Item, si substantia recipit magis et minus: qua ratione hoc suscipiet respectu generis vel speciei, recipiet respectu individui seu formae vel essentiae individualis, et etiam multo magis, pro quanto individuum est magis materiale et magis subiectum; sed ridiculum est dicere quod Sortes possit fieri [f] magis Sortes vel minus; ergo et cetera.

7. Item, quaecunque recipiunt [g] magis et minus possunt augeri vel minui ac per consequens generari et corrumpi, quia omnis speciei [h] cuius pars est generabilis et corruptibilis et tota species erit talis; sed illa pars secundum quam substantia augebitur seu intendetur erit [i] generabilis et tanquam de novo aggenerata [k], illa vero secundum quam minuetur seu remittetur erit corruptibilis tanquam de novo corrupta; huius autem partes sunt unigeneae prioribus, alias per earum adventum idem nomen non diceretur secundum magis et minus; ergo saltem in substantiis incorruptibilibus et ingenerabilibus [l] non erit dare magis et minus.

---

[a] B^6 *sicut.* [b] B^6 add. *Sortes et.* [c] B^6 *est dare solum* pro *s. e. d.* [d] Ita B^6, V om. [e] B^6 *maiorem vel minorem* pro *m. v. m.* [f] B^6 ponit *possit fieri* ante *ergo.* [g] B^6 add. *sit.* [h] B^6 *species.* [i] B^6 *est;* V *generalis* pro *generabilis* quod habet B^6. [k] B^6 *generata;* V *ille* pro *illa* quod habet B^6. [l] Ita B^6, V *in generalibus.*

8. Item, Aristoteles dicit in *Praedicamentis* [1] quod hoc est proprium substantiae, scilicet non recipere magis et minus.

Iuxta hoc quaeritur an inter substantias seu inter formas substantiales sit contrarietas.

[Respondeo ad priorem quaestionem]

Ad quaestionem istam dicendum, quod quidam nolunt quod substantia[a] recipiat magis et minus sequentes viam logicam. Innituntur[b] autem verbis Aristotelis in *Praedicamentis* [2] et ei quod supra allegatum est de VIII *Metaphysicae* [3] quod definitiones sunt sicut numeri. Nituntur que hoc confirmare hac ratione: oportet enim secundum eos quod illud per quod aliquid sortitur speciem sit fixum et stans et quasi indivisibile. Videmus enim quod quaecunque attingunt illud sub specie continentur, quae vero recedunt ab illo vel [c] in plus vel in minus spectant ad aliam speciem, vel [d] perfectiorem vel imperfectiorem; ut verbi gratia, quae participant rationale sunt in specie hominis [e], quibus vero additur alia differentia aut a quibus ista, scilicet rationale, subtrahitur sunt in alia. Et ideo secundum istos quaecunque formae secundum se ipsas vel secundum aliquid sui sortiuntur rationem speciei: necesse est quod secundum se consideratae habeant determinatam rationem quae neque in plus excedere neque in minus deficere possit. Et hinc est secundum eos quod etiam calor et albedo et formae consimiles secundum se et in abstracto non recipiunt magis et minus, quia non recipiunt rationem suae speciei ex ordine ad aliquid aliud quod sit extra essentiam [f] earum, sicut faciunt habitus et motus qui ex ordine ad obiectum et terminum extrinsecum recipiunt rationem suae speciei et propterea [g] etiam secundum se recipiunt magis et minus, secundum hoc scilicet quod magis accedunt ad suum obiectum

---

[a] B[6] *non.* [b] Al. m. ex *innititur.* [c] Al. m. mg. [d] B[6] om. [e] Al. m. in ras. [f] Ita B[6], V *existentiam;* al. m. *earum* ex *eorum* quod habet B[6]. [g] Ita B[6], V *propeam.*

---

[1] *Cat.*, cap. 2, 3 b 33 sqq. [2] Ibidem. [3] Cfr. pag. 388.

vel terminum. Hac igitur de causa formae substantiales [a] secundum se acceptae non recipiunt magis ac minus [b]. Et quoniam materiae seu supposita participantes eas sortiuntur speciem secundum eas: hinc est quod nec etiam respectu eorum a quibus participantur possunt recipere magis et minus. Quod non est dare in albedine et aliis formis accidentalibus, quia subiecta non recipiunt speciem [c] ab eis; et ideo licet secundum se non recipiant magis et minus, participantur tamen a suis subiectis secundum magis et minus, nisi forte sint talia accidentia in quorum [d] ratione cadat ipsa ratio indivisibilitatis, sicut in speciebus numerorum et figurarum contingit quae sumunt speciem ab ultima unitate indivisibili.

Alii autem quibus in parte ista magis assentiendum iudico dicunt quod in substantiis est dare magis et minus secundum rem, etsi non secundum viam [e] logicalem.

Duplex est enim causa [f] quare substantiae secundum modum logicum [g] non dicuntur secundum magis et minus. Quarum prima est propter modum imponendi nomina substantiarum in termino. Qui modus venit ex modo intelligendi et accipiendi rationes rebus communes [h] seu universales, in quantum sunt eis communes et prout in eis nullo modo differunt, sed solum conveniunt. Si enim acciperentur [i], prout in inferioribus diversimode existunt, iam non acciperentur ut eis communes, saltem quoad hoc. Accipere autem eas solummodo [k] in quantum communes, circumscripta omni differentia [l] diversitate participationis earum: est eas accipere sub aliquo certo et praeciso [m] termino, quo stante omnis gradus intensionis est per intellectum circumscriptus, non quoad [n] hoc quin possit esse in ipsis inferioribus et forte sit, sed quoad hoc solum quod in eis, in quantum sunt sic communes et sic intellectae et acceptae, non est dare magis et minus; ut verbi gratia, quamvis animalitas secundum rem nobilior sit in homine quam in verme, tamen prout in ea conveniunt, circumscribitur ab ea intellectus omnis melioritatis. Quia igitur logici est conside-

---

[a] Al. m. in ras. [b] B[6] *suscipiunt magis ac minus rationem suae speciei* pro *r. m. a. m.*; al. m. *ac* corr. ex *et*. [c] Al. m. mg. [d] V B[6] *quarum*. [e] B[6] *considerationem*. [f] B[6] add. *est*. [g] B[6] *viam logicalem* pro *m. l.* [h] Al. m. in ras. [i] B[6] *acciperent*. [k] B[6] *solum*. [l] Hic melius adderetur *et*. [m] Ex *preso*. [n] Al. m. ex *quo*.

rare intentiones [a] ut communes et quia sic loquimur sicut intelligimus: hinc est quod secundum modum communem [b] loquendi non dicitur in substantiis magis et minus nec etiam in accidentibus in abstracto acceptis, quia solum secundum illam viam considerantur in eis [c] genera et species et imponuntur eis nomina in termino. Alias autem quis non videat quod albedo secundum suam essentiam ita bene in subiecto intenditur et remittitur sicut et a subiecto secundum magis et minus participatur?

Secunda causa est, quia magis et minus dicuntur de subiecto vel participante per respectum ad formam participatam. Unde quamvis secundum rem idem sint intensio et remissio et magis et minus, tamen bene dicitur in abstracto haec albedo est intensior quam [d] illa; non autem est magis albedo quam illa, sed solum quod subiectum [e] eius est magis album vel minus. Quia igitur in substantiis species vel genus in praedicato [f] concretive accepta non dicuntur proprie denominative de subiecto — non enim praedico formam ut inhaerentem, sed potius per se ens [g] seu ipsum totum —: ideo improprie dicitur, « iste est magis homo quam ille ». Si tamen per hoc intenderent [h] significare maiorem veritatem et entitatem speciei humanae secundum rem haberi ab hoc quam ab illo: bene et realiter dici posset. Quia igitur secundum modum logicum non dicuntur proprie secundum magis et minus: ideo, ut dicunt, Aristoteles in logicalibus, scilicet [i] in *Praedicamentis*, dicit quod substantia non recipit magis et minus.

Quia autem [k] secundum rem aliter se habet, metaphysici autem est naturas realiter [l] considerare: ideo, VIII *Metaphysicae*, dicit quod sicut numerus non habet magis et minus, sic nec substantia quae est secundum speciem, sed si quidem, quae [m] cum materia, illa [habet]. Per substantiam enim secundum speciem videtur intelligere species substantiarum universaliter acceptas, qui modus accipiendi logicalis est potius quam realis; per substantiam vero quae est cum materia videtur accipere formam, prout est particulariter in materia signata. Forma enim quae omnino est abstracta a materia, sicut est solus Deus, non potest re-

---

[a] Al. m. mg. [b] B[6] *communem modum* pro *m. c.* [c] B[6] om. *i. e.* [d] B[6] om. [e] B[6] add. *quoddam.* [f] Ex *praededicato.* [g] B[6] *ipsum ens per se* pro *p. s. e.* [h] Ita B[6], V *intenderet.* [i] B[6] om. *i. l. s.* [k] B[6] *igitur.* [l] B[6] om. [m] B[6] om.

cipere magis et minus; unde etsi universalia [a] seu species rerum universales essent separata a materia, sicut Plato [1] voluit aut sicut iuxta modum intelligendi logicus dicit, non possent [b] recipere magis et minus.

Quod autem quidam [c] exponunt quod substantia quae est cum materia habet magis et minus, id est, quod secundum materiales [d] dispositiones et non secundum formam quae dat speciem est dare in substantia magis et minus: ridiculosus sensus videtur, quia [e] hoc non est aliud dicere quam quod substantia recipit magis et minus secundum sua accidentia materialia et non secundum se; dispositiones enim eius [f] materiales secundum quas dicitur habere magis et minus, si non sunt ei substantiales, oportet quod sint accidentales.

Innituntur autem isti multiplici rationi: sumunt enim rationem ex parte propriarum passionum quae insunt substantiis et ex parte materiae participantis et ex parte ipsius actus formalis et ex parte generationis et corruptionis [g] substantiarum et substantialium [h] et ex experimento [i] naturarum in eisdem et in diversis [k] speciebus et generibus repertarum et ex parte divinae potentiae et divinarum idearum [l] et septimo ex diversitate status nostrorum corporum et animarum quam secundum fidem catholicam [m] credere tenemur.

Ex parte quidem [n] propriarum passionum sic: constat enim quod in propriis passionibus substantiarum consequentibus [o] earum formas, sive generales sive specificas [p], est dare magis et minus; unde una substantia excedit alteram in eadem proprietate, et hoc tam in substantiis corporalibus quam in intellectualibus [q]. Sed maioritas seu excessus huiusmodi proprietatum non potest causari nisi ab eo [r] a quo causatur ipsa proprietas, cum ille

---

[a] Al. m. ex *universalis*. [b] Al. m. corr. [c] Al. m. mg. [d] Ita B[6], V *materialem*. [e] Ita B[6], V *quod*. [f] B[6] om. [g] B[6] *corporis*. [h] B[6] *formarum substantialium et substantiarum* pro *s. e. s.* [i] Al m. corr., B[6] *experimentis*. [k] Al. m. mg. *e. i. d.* [l] B[6] *potentiarum*. [m] B[6] om. [n] B[6] *igitur*. [o] Ita B[6], V *subsequentium*. [p] B[6] *sive sint generales sive specificae* pro *s. g. s. s.* [q] B[6] *spiritualibus*, om. *in*. [r] Al. m.

---

[1] *Resp.*, X, 596 A; *Phaedr.*, 247 CDE, 78 D; *Theat.*, 185 BC, 186 D; *Symp.*, 211 A; *Parm.*, 128 E, 130 B, 132 C.

excessus sit quaedam pars essentialis ipsius proprietatis. Ab eodem autem causari non potest, nisi in ipsa causa ponatur aliquis excessus; quia si causa proprietatis aequalis est in isto et in illo, tunc et proprietas ipsa erit aequalis, nec erit dare rationem quare magis in isto causet proprietatem in excessu quam in alio. Si enim dicatur quod hoc est ratione materiae melius ad recipiendum dispositae: contra hoc est, quia aut illa dispositio melior est essentialis aut accidentalis. Si essentialis, habetur propositum; si accidentalis, adhuc quaeretur causa unde venit seu unde sequitur melioritas huiusmodi dispositionis, oportet enim quod veniat ex maiori excessu suae causae. Quaeretur etiam an sit accidens proprium, et [a] eadem quaestio erit de causa excessus istius sicut et de causa excessus primi. Et nisi eatur [b] in infinitum, erit devenire ad maiorem excessum alicuius naturae substantialis ad quem consequitur [c]. Si autem sit accidens separabile, ergo semper excessus huiusmodi proprietatum essent separabiles ab iis quibus insunt, quia minorata huiusmodi dispositione minoraretur et proprietas. Praeterea, ad receptionem proprietatis formam substantialem consequentis non videtur exigi alia dispositio materiae quam illa quae [d] exigitur ad receptionem formae substantialis; alioquin quantuncumque forma substantialis esset in materia, non oporteret quod sequeretur eam propria passio, nisi primo superveniret illa dispositio ad eius receptionem necessaria; quod est [e] contra rationem propriae passionis.

Item, formae substantiales elementorum inveniuntur in mixtis minus intensae quam sint in ipsis elementis a mixto separatis. Non enim possunt esse in mixto ita perfectae salva mixtione et salva natura ipsius mixti. — Forte dicetur, sicut quidam dicunt, quod ipsa non sunt ibi secundum se seu essentialiter, sed solum per suas proprias passiones seu virtualiter. Sed contra hoc est: quia tunc erit dare proprias passiones absque sua propria causa et alibi quam in proprio subiecto. Si enim propriae passiones elementorum, scilicet calor et humiditas et cetera, sunt in mixtis absque formis substantialibus elementorum et sic per consequens absque ipsis elementis, cum ipsa elementa sint propria subiecta earum et a formis eorum causentur, constat quod erunt absque

---

[a] Ita B[6], V om. [b] Ita B[6], V *habeatur*. [c] Al. m. ex *consequetur*. [d] B[6] om. *illa quae*, pon. *alia* post *materiae*. [e] Add. interl.

suis causis et absque [a] propriis subiectis. — Praeterea, calor et ceterae qualitates quae erunt in mixto oportet [b] quod causentur et conserventur a forma substantiali ipsius mixti et quod ipsa operetur per eas sicut per proprias virtutes ab ea resultantes. Et tunc sequetur quod ita bene sint propriae passiones ipsius formae mixti et sic aeque primo sicut et formarum elementarium. Quod multa alia inconvenientia contra rationem propriarum [c] passionum implicat, sicut inducenti patet. — Praeterea, cum secundum hoc huiusmodi qualitates in [d] mixtis existentes non causentur a formis elementorum quae secundum eos non sunt ibi actu: nihil est [e] dictu quod formae elementorum sunt ibi virtualiter et non essentialiter. — Item, secundum hoc nulla alia dispositio praeexigetur in materia ad generationem formae mixti quam ad generationem simplicis elementi. Huiusmodi enim qualitates elementares, in quantum consequuntur formam mixti, non erunt praedisponentes ad eam nec illae quae consequuntur formas elementorum et quae insunt [f] elementis, quia illae non possent ibi esse [g] sine ipsis elementis; existentia autem elementorum secundum hanc viam potius impediret generationem mixti quam iuvaret, tanquam illa quae prius oporteret destrui, antequam mixtum generaretur, sicut quasdam species disparatas [h] a specie mixti. Nec huiusmodi qualitates ad disponendum aliter possent poni quam iis duobus modis, nisi forte ponerentur [i] in materia de qua debet educi forma [k] mixti, tanquam quaedam accidentia communia nullam formam substantialem consequentia nec alicuius subiecti seu suppositi existentiam [l] nisi solum materiae primae. Quod quam sit inconveniens de se patet. — Praeterea, secundum hanc viam mixta non haberent gravitatem et levitatem, etiam [m] motus gravium et levium ex praedominio alicuius elementi per praedominium in eis existentis; nec deberent dici composita potius quam ipsa elementa. Et tamen ab Aristotele, libro *De caelo et mundo* [1], vocantur corpora composita respectu ipsorum elementorum, elementa vero corpora simplicia; immo et falso vocata sunt

---

[a] B[6] add. *suis*. [b] Add. interl. [c] Ita B[6], V *propriorum*. [d] Al. m. mg. [e] Ita B[6], V *ex*. [f] Ita B[6], V *sunt*. [g] Ita B[6], V om. *i. e*. [h] Ita B[6], V *desperatas*. [i] B[6] *tenerentur*. [k] Ita B[6], V *formam*. [l] V B[6] *existentia*. [m] B[6] *et*.

---

[1] *De caelo*, I, 2, 268 b 26 sqq.

a philosophis elementa, cum hoc sit nomen partium materialium et constitutivarum alicuius compositi, sicut patet per Aristotelem, V *Metaphysicae* (1).

Credo igitur (a) quod oporteat dici, sicut magni viri dixerunt et sicut Aristoteles expresse dicere videtur (2), quod in mixto sunt formae elementares remissae et quod, ubicunque aliquid educitur de calore aut de aliis propriis passionibus elementorum, quod tantum educatur ibi de forma substantiali eorum et quod, quantum de illis remittitur, tantum et de istis, ita quod prius secundum naturam fiat intensio et remissio in ipsis formis substantialibus eorum quam in ipsis passionibus; quoniam intensio et remissio illarum est causa immediata intensionis et remissionis istarum.

Si vero contra hoc obiciatur quod in aqua ad (b) ignem bulliente est maxima caliditas, et tamen substantia aquae est ita pura (c) et perfecta in sua specie sicut cum est sensibiliter frigida vel congelata.

Item, humiditas aquae est de se fluxibilis et male terminabilis proprio termino; et tamen haec fluxibilitas non est actu in aqua congelata, quamvis substantialis forma aquae sit aequaliter in congelata et in liquefacta.

Item, in ferro ignito est forma caloris intensissima, salva tota substantiali et specifica forma ferri.

Item, in quibusdam tam mixtis animatis quam inanimatis est calor intensior et vehementior quam sit in simplici igne et in quibusdam frigiditas vehementior quam sit in simplici aqua, sicut per eorum effectus et effectivas efficacias patet; et tamen non est dicendum quod plus habeant de forma substantiali ignis vel aquae quam habeat simplex et purus ignis vel aqua.

Ad primum quidam dicunt quod huiusmodi propriae passiones elementorum sequuntur formas specificas eorum non in omnem eventum, sed quando per contraria agentia non impediuntur agere in sua materia suas proprias qualitates; et ideo in aqua per ignem fortissime calefacta non est frigiditas actu, sed solum virtualiter seu causaliter, pro quanto scilicet aqua sibi relicta habet ad propriam frigidi-

(a) B^6 *enim*. (b) Al. m. ex *et*. (c) Al. m. ex *pure*.

(1) Cap. 3, 1014a 26sqq.
(2) *De gener. et corrupt.*, I, 10, 327b 20sqq., 328a 28sqq.

tatem redire. Hocque sufficit ad verificationem rationum supra scriptarum, quia in mixtis suae propriae naturae relictis communiter reperiuntur qualitates elementorum remissae.

Alii vero dicunt quod in quibusdam elementis et etiam mixtis insunt huiusmodi qualitates sub duplici modo et vere secundum rem duplices, quia una inest eis ex propria vi formae specificae elementi cui talis qualitas proprie competit; alia vero imprimitur ei ab aliquo extrinseco agente, iuxta quod aqua ex se frigida per frigus aeris et venti amplius infrigidatur et aliquando congelatur. Haec autem secunda potest totaliter tolli et eius contraria violenter imprimi salva priori et in nullo remissa; iuxta quod videmus quod propria gravitate lapidis in nullo remissa potest sibi tolli omnis inclinatio ad infimum centrum sibi ab aliquo violento proiectore data, et maxima inclinatio ad sursum huic contraria potest sibi a proiectore extrinseco dari naturali gravitate lapidis ex hoc in nullo remissa vel laesa. Et secundum hoc dicunt quod in aqua per ignem fortissime fervefacta non est laesa eius propria et naturalis frigiditas, nisi calor igneus in tantum eius radicalia subintrasset quod inciperet eam a sua specie dissolvere et ignire vel in vaporem seu fumum aereum convertere. Et consimiliter dicunt de vino per hiemale frigus infrigidato vel per aestum adventitium ultra proprium et naturalem calorem amplius calefacto; unde quando a medicis dicitur quod vinum purum et fortissimum in hieme congelatum est actu frigidum, sed virtualiter calidum: non est intelligendum quod eius naturalis calor sit ei ablatus, immo per virtualiter calidum significatur eius calor naturalis sibi inesse. Quia tamen tunc non se offert sensibiliter sensui tactus, sicut facit violenta frigiditas ab extrinseco sibi impressa: ideo iuxta apparentiam sensus loquentes dicunt ipsum tunc esse frigidum, actu scilicet quoad sensum. Quia enim naturalis calor vel frigiditas intimius et radicalius inest suo subiecto, ideo violenta vel non sic connaturalis tanquam magis extrinseca se offert prius et sensibilius exteriori sensui tangentium; et ideo (a) quando sensibiliter est contraria connaturali, impedit sensum ab apprehensione connaturalis, propter quod tangens aquam bullientem non sentit naturalem frigiditatem ipsius aquae.

Si vero obicias quod impossibile est duas qualitates eiusdem speciei insimul inesse eidem parti sui subiecti et

(a) Al. m.

multo minus duabus contrarias summe intensas: ad hoc duplex patet responsio ex praedictis. Prima est: quia non insunt eidem parti secundum eandem rationem suae potentialis (a) capacitatis, immo una occupat unam magis intimam et alia aliam magis forinsecam seu ad magis forinseca ordinatam. Iterum non insunt eidem eodem respectu et modo, immo una tanquam ab intrinseco acta sive redundans, altera vero tanquam ab extrinseco; sicut igni aliter inest sua lux naturalis et aliter lux alterius ignis vel solis super ipsum refulgens et refulgendo immissa. Secunda est: quia licet violentus calor aquae secundum absolutam rationem suae speciei sit contrarius naturali frigiditati aquae, non tamen est sibi directe contrarius respectu potentiae receptivae; quia, sicut iam dictum est, ille est in alia et alio modo, et ideo quodam modo sic se habent sicut nigredo crinium ad candorem faciei vel unguium. — Propter haec autem dicunt quod praedicta propositio multas instantias habet, sicut in speciebus memorialibus et in habitibus voluntatis et intelligentiae patet.

Ad secundum dicendum quod fluxibile vel coagulatum non sunt sic propriae passiones aquae sicut est humiditas aquaea; nam eius fluxibilitas magis respicit extrinsecum situm et locum, sicut et eius congelatio magis respicit extrinsecum agens. Si tamen per fluxibilitatem significetur naturalis potentia humiditatis ad effluendum, quamvis actu non effluat, sicut gravitas significat naturalem inclinationem ad centrum mundi, quamvis naturaliter non tendat in illud: tunc in aqua congelata non est minor quam in non congelata.

Ad tertium est duplex responsio. Una est, quod ignitio ferri non attingat radicalem gradum materialis potentiae in qua est substantialis forma ferri, sed aliquem magis extrinsecum. Alia est, quia sicut in animali spiritus ignei differunt a carne et arteriis et nervis per quorum porositatem incedunt (b), sic in metallis et lignis et petris est aliquis vapor ignibilis et extinguibilis realiter differens a densioribus partibus metalli vel petrae, quamvis sit in eodem situ cum illis; quamvis autem huiusmodi vapor spectet ad naturam metalli, non tamen sic quod in ipso radicaliter fundetur illa substantialis et specifica forma metalli quae remanet in metallo (c) ignito. Haec autem responsio videtur pro tanto (d) probabilior

(a) Al m. *s. p.* (b) Ex *incendunt.* (c) V *metalli.* (d) Sequitur ras.

priori, quia ignitio extrinseca et [a] violenta non videtur habere rationem [b] formae substantialis materiae sic ignitae, sed solum rationem formae accidentalis ac per consequens quod non sit ibi substantialis ignitio secundum rem, sed solum secundum sensibilem apparentiam accidentalium qualitatum ignis. Si igitur concedatur ibi esse substantialis ignitio, oportet aliquam materiam vapoream esse ibi vere conversam in ignem et in exstinctione in formam vaporis primam reconverti aut fumaliter resolvi et exhalare a ferro sive metallo.

Ad quartum dicendum quod duplici ex causa potest esse in mixto calor vehementior quam in simplici igne. Prima est: quia forma ignis et caloris ipsam consequentis est rarior et minus aggregata in simplici igne quam sit in quibusdam mixtis, quia ceteris paribus quanto materia ignita est densior et adunatior, tanto forma ignis est ibi condensatior, pro eo quod formae diversarum partium materiae magis concurrunt in eundem situm cum eisdem partibus materiae sibi correspondentibus ac per consequens et magis in unum. Nec est inconveniens, si centupla forma ignis per commixtionem ceterorum trium elementorum ad sexaginta [c] vel quadraginta reducta sit adhuc maior quam sola pura et simplex forma simplicis ignis solos decem vel quinque gradus intensionis habens. Et secundum hoc non sequitur quod si forma igneitatis est purior, id est, minus commixta in simplici igne quam sit in mixto, quod propter hoc sit intensior. Secunda causa est propter sublimationes et virtuales efficacias quas forma et qualitas elementaris suscipit ab ultima et specifica forma mixti, utpote ab anima vel a specifica forma gemmae vel auri vel piperis et gimgiberi vel balsami et consimilium; et tunc, licet calor sic sublimatus habeat plerumque minus de ratione caloris ignei, habet tamen plus de ratione caloris vivifici seu caloris sublimati ad aliquas altiores efficacias quam [d] sola efficacia simplicis caloris ignei et suae ignitionis [e].

Secundo patet hoc ex parte materiae participantis. Nobiliori enim materiae et ad recipiendum melius dispositae nobilior debet dari forma, et maxime quando a fortiori [f] agente disponitur et movetur ad formae eductionem [g]

---

[a] V *ex.* [b] Al. m. mg. [c] V *LX^am.* [d] V add. *si.* [e] B[6] om. *Si vero contra hoc obiciatur* (pag. 396)... *ignitionis.* [f] B[6] *nobiliori.* [g] B[6] *inductionem.*

et susceptionem. Sed una materia potest esse magis disposita ad susceptionem formae substantialis eiusdem generis vel speciei quam sit aliqua alia materia. Et frequenter videmus quod motor seu generator istius est multo fortior quam sit motor alterius, immo rarissime invenitur quod sint in virtute motiva et generativa omnino aequales. Quis enim dicet quod semen generosi equi et virtus formativa eius non sit fortior et nobilior quam semen roncini et consimiliter granum nobilis tritici magis quam granum vilis tritici? ergo et cetera. — Item, capacitati materiae correspondet [a] actualitas formae. Sed non est minoris ambitus virtualis capacitas quae est in materia respectu formae substantialis quam illa quae est in ea respectu formarum accidentalium. Videmus autem quod ex virtuali quantitate huius capacitatis [b] potest materia recipere intensionem accidentium. Si enim non esset capax nisi minimae albedinis et primae seu minimae partis eius, non posset gradum intensionis recipere. Si etiam in ea esset capacitas, ut ita dicam, punctalis, quod scilicet non posset recipere nisi unum punctalem gradum [c] albedinis: tunc nulla posset intelligi intensio vel [d] remissio in [e] ipsis accidentibus; non enim posset recipere plus nec minus. — Oportet igitur dicere quod respectu formae [f] substantialis non sit in ea capacitas punctalis, sed potius habens latitudinem et gradus cuiusdam ambitus [g] virtualis; et sic per consequens oportet quod forma substantialis in ea recepta hoc habeat; in omni autem forma in qua est [h] dare gradum et gradum potest dari magis et [i] minus per graduum appositionem seu [k] subtractionem; ergo in omni forma substantiali erit [l] hoc dare. — Praeterea, sicut alibi est ostensum, materia per [m] priores formas substantiales disponitur ad recipiendum sequentes principalius quam per quascunque formas accidentales; unde videmus quod complexio et organizatio quae sunt de specie corporis humani disponunt [n] ad animam hominis plus quam aliquod accidens, et illa quae de specie bovina [o] ad animam bovis et sic de aliis; sed una materia per formas priores est magis disposita ad recipiendum sequentes, quam sit [p] alia habens totidem priores;

---

[a] B[6] *respondet.* [b] B[6] *virtuali capacitate huius quantitatis* pro *v. q. h. c.* [c] B[6] *gradum punctalem* pro *p. g.* [d] Ita B[6], V om. *i. v.* [e] Add. interl. al. m. [f] Ita B[6], V *formes.* [g] B[6] *habitus.* [h] Add. interl. al. m. [i] B[6] om. [k] Al. m. mg. [l] B[6] *est.* [m] Add. interl. al. m. [n] Ita B[6], V *disponuntur.* [o] Ita B[6], V *bovida.* [p] B[6] om.

ergo videtur quod hoc sit principaliter [a] propter melioritatem priorum formarum substantialium; unde corpus equi nobilius complexionatum et organizatum plenius videtur habere formam ultimam et specificam quam illud quod in istis deficit ab eo [b]; melioritas autem in prioribus formis non potest dari sine magis et minus; ergo et cetera.

Tertio patet hoc ex parte ipsius actus formalis. Omnis enim forma quae nullo modo potest recipere magis et minus nullam habet in se pluralitatem partium nec habere potest, quia ubicunque est pars et pars, per subtractionem unius partis potest dari minus et per eiusdem restitutionem potest dari magis vel maius [c]. Secundum hoc igitur sequetur quod nulla forma substantialis habeat aut [d] habere possit pluralitatem partium nisi forte secundum extensionem materiae suae; quae pluralitas per se non facit magis et minus, sed solum illa in qua partes formales sunt ita in una parte materiae sicut et [e] in pluribus. Hoc autem modo sumendo in formis omnimodam partium carentiam [f], oportet quod habeant actualitatem et essentiam punctalem seu ita modicam quod non possit [g] dari aut excogitari minor, quod est valde absurdum, et maxime in formis angelicis; aut est dare in ea quandam magnitudinem intelligibilem cum omnimoda simplicitate, ita quod in ea non differat totum et totaliter et ita quod quaelibet pars intellectualis [h] illius magnitudinis sit idem omnino et id ipsum [i] cum alia parte eius intelligibili, talis autem simplicitas et talis magnitudo solius Dei videtur esse propria. — Praeterea, qua ratione idem simplicissimum [k] potest habere tantam magnitudinem, eadem ratione poterit habere et infinitam secundum illam consequentiam quae a multis infertur: quod qua ratione aliquid potest esse in duobus locis, eadem ratione [l] et infinitis; quia non plus repugnant ei infinita loca quam duo, immo per id ipsum [m] repugnant duo et infinita, sicut suo loco est ostensum [n].

Oportet etiam quod omne tale sit absolutissimum et in se ipso manens; omnis enim magnitudo alteri impendens et in alio recepta oportet quod habeat in recipiente capacitatem ita magnam quod correspondeat magnitudini formae receptae;

---

[a] B[6] om. [b] B[6] *istis deficit* pro *i. i. d. a. e.* [c] In ras., B[6] *minus.* [d] B[6] *nec.* [e] Al. m. mg., del. *est.* [f] B[6] *carentiam partium* pro *p. c.* [g] Al. m. mg. [h] B[6] *intelligibilis.* [i] B[6] *omnino id ipsum* pro *i. o. e. i. i.* [k] Al. m. ex *simplissimum;* B[6] *poterit* pro *potest.* [l] B[6] *potest* pro *e. r.* [m] B[6] add. *quod.* [n] B[6] *alibi suo loco ostensum est* pro *s. l. e. o.*

hoc autem non potest fieri, nisi pars magnitudinis unius([a]) parti magnitudinis alterius correspondeat. Si enim([b]) totum et totaliter recipitur in qualibet parte intelligibili ipsius recipientis, tunc pluries erit in eodem recipiente totum et totaliter, scilicet([c]) in qualibet parte intelligibili suae magnitudinis. Quod quanta inconvenientia in se implicet satis patet. Idem etiam sequitur, si aliquid([d]) in huiusmodi forma recipiatur; oportebit enim quod totum et totaliter idem pluries recipiatur([e]). Omne etiam tale in pluribus locis poterit esse et sic per consequens in infinitis; cuicunque enim loco assistet([f]), erit in qualibet eius parte totum et totaliter et ita in qualibet eius parte erit tanquam in uno totali loco, sicut et([g]) Deus; hoc autem non est aliud quam esse in pluribus locis. — Praeterea, omnis virtus vel operatio manans ab huiusmodi forma est tota et totaliter a qualibet parte intelligibili magnitudinis ipsius formae, id est([h]), ipsa forma secundum se totam et secundum([i]) suam totalitatem et secundum quodlibet intelligibile suae essentiae producet totam virtutem et operationem a se fluentem et quamlibet partem earum; iste autem modus agendi est solius Dei proprius([k]), et sicut deducenti faciliter patere potest, omne tale agens potest in infinita([l]) et est agens absolutissimum et([m]) in agendo illimitatum. Credo igitur quod sanius([n]) est secundum fidem dicere quod omnis forma substantialis habeat in se pluralitatem partium secundum quam possit in ea([o]) cogitari magis et([p]) minus. — Item, aggregatio et unio plurium partium substantialium non minus facit ad confortationem earum et sui totius quam ad confortationem suorum accidentium; sed nos videmus quod aggregatio plurium partium ignis vel terrae facit maiorem gravitatem vel levitatem in ipso toto quam haberent omnes partes prius divisae; ergo multo magis constituent perfectiorem formam substantialem in toto et in([q]) partibus quam haberent ipsae partes prius divisae; sed hoc non potest esse, nisi plus habeat de essentia formali in toto et partibus quam prius haberet in omnibus partibus divisis.

Quarto patet hoc ex parte generationis et corruptionis formarum substantialium. Si enim

---

([a]) B[6] add. *correspondeat* quod infra om. ([b]) B[6] *autem*. ([c]) B[6] om. *in qualibet parte... scilicet*. ([d]) B[6] om. ([e]) Ita B[6], V *recipiat*. ([f]) Al. m. corr. ([g]) B[6] om. ([h]) B[6] *et* pro *i. e.* ([i]) B[6] om. ([k]) B[6] *propriissima*. ([l]) B[6] *in infinita potest* pro *p. i. i.* ([m]) Al. m. in ras. ([n]) B[6] *tutius*. ([o]) B[6] *illa*. ([p]) B[6] om. ([q]) Ita B[6], V om.

forma substantialis est per se terminus motus, tunc eius generatio et corruptio est successiva et sic per consequens habet partes et partes et magis et minus, sicut et formae accidentales quae sunt termini alterationis; sed formae substantiales sunt per se termini motus, ut probabo; ergo et cetera. Probatio minoris: si [a] enim ipsa non est per se terminus motus, sed post motum iam terminatum naturaliter habet tam ipsa quam eius generatio sequi, tunc arguo: omnis res, dum actu fit, actu habet agentem eam facientem; ergo forma, quando iam motu prius naturaliter terminato fit et generatur, habet actu aliquod eam generans; sed tunc non potest habere tale generans, nisi illud generans eam per simplicem influxum generet, sicut generantur primae impressiones et influentiae a suis agentibus. Si enim tunc educeret eam de materia, hoc non posset fieri [b] sine motu et transmutatione ipsius materiae, qui motus non posset [c] fieri in illo instanti; et quomodocunque fieret, sequeretur quod ipsa esset per se terminus istius motus aut esset abire [d] in infinitum; sed praedicto modo non potest forma substantialis fieri ab aliquo agente, sicut satis de se patet et sicut in quaestione an aliquod [e] agens creatum possit [f] creare plenius est ostensum. Oportet igitur dicere quod agens per motum suum sic faciat eam quod ipsa sit per se terminus illius motus. — Praeterea, constat quod quando motus agentis est terminatus, tunc simul naturaliter forma contraria est totaliter expulsa et tunc etiam materia est sufficienter disposita ad receptionem formae substantialis generandae; utrumque autem horum est impossibile esse, stante in materia forma substantiali corrumpenda, et maxime si sit omnino indiminuta; ergo simul naturaliter cum termino motus illa forma substantialis est expulsa; sed [g] non potest [h] prius naturaliter esse expulsa quam forma substantialis generanda sit introducta, quia tunc sequeretur quod prius naturaliter materia esset ab omni forma substantiali denudata et quod prius naturaliter reciperet esse et per se existentiam a dispositione per motum introducta quam a forma substantiali generanda.

Item, nulla dispositio accidentalis potest ad generationem formae substantialis nec ad corruptionem alterius for-

---

[a] Sequitur ras. [b] B[6] om. [c] B[6] *possit.* [d] B[6] *motus istius aut esset ibi ire* pro *i. m. a. e. a.* [e] B[6] om. [f] B[6] *posset.* [g] Sequitur ras. [h] Al. m. mg.

mae substantialis corrumpendae [a] materiam sufficienter disponere; et multo minus nullus motus ad formam accidentalem terminatus potest dici eductio formae substantialis de materia sua; quamdiu enim nihil de ipsa forma genitum est nec aliquid de forma substantiali disparata et incontingenti corruptum est [b] et sic per consequens nec aliquid de propriis passionibus eius [c] est corruptum nec aliquid de dispositione aut de gradu dispositionis sine quibus ipsa non potest in materia existere: tamdiu materia est ita longe a forma generanda sicut erat prius; unde non in aliquo videtur appropinquasse ad eam. — Praeterea, cum forma substantialis non uniatur materiae per intermedia accidentia, sicut alibi est ostensum, nec accidentia disparata aut communia ad eam introducendam [d] sufficienter disponant, eius autem accidentia propria non possint [e] eam praecedere, cum eam naturaliter et essentialiter sequantur [f] ac per consequens ad eius introductionem non possint materiam praedisponere: satis patet quod nullus motus ad formam accidentalem terminatus potest materiam necessitare ad formae substantialis eductionem et receptionem; et ita oportet quod forma substantialis per motum aliquem introducatur cuius ipsa sit per se terminus; et sic per consequens oportet quod recipiat magis [g] et minus.

Quinto patet hoc ex experimento [h] naturarum in eisdem [i] et diversis speciebus et generibus repertarum. Videmus enim in eadem specie unum individuum nobilius participare speciem et eius [k] proprietates quam aliud. Unde inter lapides eiusdem speciei tam pretiosos [l] quam non pretiosos magna est differentia; et idem est in auro et ceteris metallis. Idem etiam patet evidenter in animalibus: equi enim magni et generosi a roncinis in participatione suae speciei multum differre videntur [m]; et idem est in canibus. In diversis etiam [n] generibus hoc ipsum videmus: substantiae [o] enim intellectuales plus habent de veritate entis et formae earum plus de actualitate formali et supposita earum plus de per se existentia et materiae earum [p] plus de puritate es-

---

[a] Ex *corrumpendo*. [b] Ita B[6], V om. [c] B[6] *passionibus eius propriis* pro *p. p. e.* [d] B[6] *introducenda*. [e] B[6] *possent*. [f] B[6] *sequitur*. [g] Ita B[6], V al. m. mg. *maius*. [k] Al. m. corr. [i] Al. m. corr. [h] Al. m. mg. [l] Ita B[6], V *pretiosis*. [m] B[6] *videntur excedere* pro *d. v.* [n] B[5] *autem*. [o] Partim al. m. corr. [p] B[6] *arum*.

sentiali quam substantiae corporales [a]; corpora etiam caelestia in eisdem praeabundare videntur corporibus elementaribus; et [b] idem patet in multis aliis generibus rerum. Ergo oportet quod naturae generales et specificae in suis inferioribus possint recipere et etiam recipiant magis et minus.

Sexto patet hoc ex parte divinae potentiae [c] et divinarum idearum. Dicere enim quod Deus non possit augere et diminuere formam cuiuscunque entis creati [d] aut dicere quod ipse non possit [e] facere formam unius individui meliorem et actualiorem quam sit in alio eiusdem speciei non videtur multum securum; sed hoc non potest facere, nisi suscipiant et [f] suscipere possint magis et minus; non enim poterit eas augere nisi [g] aliquid formale eiusdem speciei eis addendo neque diminuere [h] nisi aliquid consimile eis subtrahendo; augere etiam [i] formas et diminuere non erit aliud [k] quam eas intendere et remittere [l]; haec autem idem sunt quod magis et minus. — Item, omnia individua eiusdem speciei participant unam ideam suae speciei; sed ideae specierum et generum videntur posse participari magis et minus; alias omnia participant eas in summo et in termino; ad hoc autem sequeretur quod ab omnibus beatis viderentur aequaliter, quia non possent participari ab eis ac per consequens nec repraesentari nisi omnino aequaliter [m] et uniformiter; hoc autem est falsum et haereticum; ergo et cetera. — Item, si idem sigillum et unius et eiusdem speciei potest a diversis materiis participari secundum magis et minus: mirabile est quod divina natura etiam secundum eandem rationem specificam [n] non possit a creaturis participari secundum magis et minus.

Septimo patet hoc ex diversitate status nostrorum corporum et animarum. Quis enim dicet quod corpus nostrum, quando est gloriosum, non habeat plus de actualitate suae speciei quam corpus mortale? Quis etiam dicet quod corpus in virili aetate non habeat plus secundum communem cursum de veritate suae speciei quam corpus [o] senile et decrepitum aut quod corpus in statu innocentiae non plus haberet quam corpora nostra corrupta, in tantum

---

[a] B[6] *corporales substantiae* pro *s. c.* [b] Add. interl. al. m. [c] Al. m. [d] B[6] *creati entis* pro *e. c.* [e] Ita B[6], V *posset.* [f] Al. m. mg. *s. e.;* B[6] om. *et suscipere possint.* [g] Sequitur ras. [h] Al. m. in ras; V om. *diminuere* quod habet B[6]. [i] B[6] *autem.* [k] Sequitur ras. [l] Al. m. mg. *e. r.* [m] B[6] *aequa sint.* [n] B[6] *specificam rationem* pro *r. s.* [o] Al. m. mg.

quod in[a] Scripturis[1] vocantur mortua respectu universalis vitae? Quis etiam dicet quod anima Christi non habeat meliorem et altiorem naturam quam aliae animae? Aut quis dicet quod animae omnium hominum creantur aequales, et maxime quod aliter a Deo creari non possent[b]?

Ratio vero praemissa[c] cui altera positio innititur modici est valoris. Prima enim propositio, quod scilicet illud per quod aliquid sortitur speciem sit necessario indivisibile, falsa est et nec unica ratione fulcita[d]. — Quod enim dicunt quasi pro ratione eius, quod quaecunque attingunt illud sub specie continentur, quae vero recedunt ab illo in plus vel in minus spectant ad aliam speciem: falsum est. Sicut enim albedo, ita et differentia specifica albedinis potest taliter attingi quod illa essentia non erit in specie albedinis simpliciter, sed solum secundum quid. Et idem potest esse in substantiis nisi forte in aliquibus: intellectus enim et voluntas non videntur[e] posse participari ab aliquo, quin in illo sint simpliciter; huiusmodi enim formae[f] tales esse videntur quod non possunt subsistere in materia, nisi sint in ea sub aliquo tali complemento quod possint sibi dare subsistentiam[g] personalem liberam et intellectualem. Debet igitur dici quod quaecunque attingunt illud simpliciter, simpliciter sunt sub[h] specie; quae vero secundum quid, secundum quid sunt in specie[i]. — Multo minus autem est verum quod ibidem sequitur, quod scilicet illa quae recedunt ab ea in plus vel in minus spectant ad aliam speciem, nisi recessum in plus vel minus vocet recessum ab eo totalem; quando enim differentia aliqua participatur plus vel minus, non debet dici quod recedatur[k] proprie ab ea, sed solum ab aliquo gradu eius praecise accepto. Debuit ergo dici quod ea quae attingunt illud plus vel minus sub specie continentur secundum plus vel minus, quae vero totaliter recedunt ab illo totaliter[l] sunt extra illam speciem. Quia ergo recessum in[m] plus vel in minus secundum veritatem

---

[a] Al. m. in ras. *q. i.* [b] B[6] *possunt.* [c] B[6] *autem praedicta* pro *v. p.* [d] B[6] *propositio est falsa, scilicet quod illud per quod aliquid sortitur nomen et speciem est indivisibile, nec est unica ratione fulcita* pro *propositio... fulcita.* [e] B[6] add. *ab aliquo* quae infra om. [f] B[6] add. *substantiales.* [g] B[6] *existentiam.* [h] B[6] *in.* [i] B[6] add. *secundum quid.* [k] B[6] *recedant.* [l] B[6] om. *a. i t.* [m] B[6] *secundum.*

---

[1] Cfr. I Cor. 15, 53; Rom. 7, 5. 24.

accipiebat pro totali recessu, secundum vero modum loquendi videbatur includere magis et minus: idcirco partim ad propositum nihil faciebat, partim sophistice decipiebat. Unde et in exemplo quod ponitur, quod scilicet illa quae participant rationale sunt in specie hominis, quibus vero alia differentia additur aut a quibus ista subtrahitur [a] sunt in alia specie, est eadem deceptio; debuit enim interponere quod quibus de eadem differentia aliquid additur aut subtrahitur sunt in eadem specie secundum plus et minus.

Corrolaria etiam illa quae ex ratione trahuntur nullius sunt momenti.

Quod enim dicit ex hoc sequi quod formae quae secundum se vel secundum aliquid sui sortiuntur rationem speciei non possunt secundum [b] se habere magis vel minus: si hoc est verum, sequitur quod nulla forma penitus possit habere magis et minus; omnis enim forma ex se ipsa aut ex aliquo essentiali sibi intrinseco sortitur rationem speciei: nullum enim extrinsecum potest esse differentia aut pars constitutiva suae speciei.

Quod etiam secundo infertur [c] quod scilicet calor et albedo et consimilia secundum se et in abstracto non recipiunt magis et minus, sicut faciunt habitus et motus secundum hoc quod magis accedunt [d] ad suum obiectum vel terminum: si hoc verum est, tunc sequitur quod nec in concreto recipiant [e] magis et minus. Non enim in subiectis [f] suis possunt recipere [g] magis et minus nisi per hoc quod ibi est plus vel minus de essentia albedinis; unde subiectum non dicitur magis album, nisi quia haec albedo quae in eo est plus habet de essentia et specie [h] albedinis; quicquid autem veraciter dicitur de hac albedine potest veraciter dici de albedine per locum ab inferiori. — Praeterea, concretio ad albedinem secundum se et in abstracto acceptam non addit nisi solum inhaerentiam actualem; eadem autem albedo numero nec [i] plus nec minus intensa non potest magis vel minus inhaerere suo subiecto, sed semper aequaliter et uniformiter. Si igitur in ea secundum suam essentiam non est dare plus vel [k] minus: ergo nec [l] secundum concretionem. Si quis etiam bene inspexerit, videbit quod motus et habitus

---

([a]) B[6] *quibus vero differentia subtrahitur vel alia additur* pro *quibus... subtrahitur.* ([b]) B[6] om. ([c]) B[7] *inferetur.* ([d]) Al. m. corr. ([e]) B[6] *suscipiant.* ([f]) Ita B[6], V *substantiis.* ([g]) B[6] *suscipere.* ([h]) B[6] *veritate.* ([i]) Ita B[6], V *non.* ([k]) B[6] *magis et* pro *p. v.* ([l]) Al. m. mg.

non recipiunt magis vel [a] minus nisi per hoc quod aliquid essentiale eis intrinsecum additur eis [b] vel subtrahitur, et ex hoc habent formaliter maiorem [c] vel minorem ordinem ad obiectum potius quam e contrario.

Quod etiam tertio infertur quod idcirco materiae participantes formas substantiales non participant eas secundum magis et minus, quia sortiuntur speciem secundum eas, participant autem accidentia secundum magis et minus, quia non recipiunt speciem ab eis: nihil est dictu. Constat enim quod materia non suscipit speciem sui materialem, ut ita dicam, ab aliqua forma, quamvis speciem illius entis completi cuius est materia seu speciem ipsius [d] formae aliqualiter per formam substantialem attingat. Qua autem [e] ratione potest magis et minus participare [f] accidentia et species eorum, eadem ratione et formas substantiales; illas enim participat plus vel minus aut propter [g] maiorem inhaerentiam aut verius loquendo propter maioritatem [h] essentiae earum; qua autem ratione istae possunt suis subiectis plus vel minus inhaerere aut plus vel minus de sua essentia in se ipsis habere, eadem ratione et formae substantiales.

Quod etiam quarto quasi exceptorie subinfertur quod in speciebus numerorum et [i] figurarum non est magis et minus, quia ratio indivisibilitatis cadit in earum definitione [k]: credo quod quoad figuras melius diceret quod hoc idcirco est, quia earum nomina a mathematicis imponuntur et accipiuntur in termino. Unde et secundum [l] vulgus non est sic; dicimus enim hoc [m] esse magis triangulare et circulare quam illud, quia vulgus rationes et nomina figurarum non accipit in termino [n]. De numeris [o] vero causa est: quia nihil potest addi ad numerum vel subtrahi nisi unitas; species autem numerorum differunt et constituuntur secundum plures et pauciores unitates. Alia autem ratio indivisibilitatis non cadit in rationibus figurarum et numerorum [p]; alias possemus dicere de omni numero et figura quod sunt indivisibiles, cum differentia praedicetur concretive de suo definito.

---

[a] B[6] *et.* [b] B[6] om. [c] Ex *maigiorem.* [d] B[6] *illius.* [e] B[6] *enim.* [f] B[6] *percipere.* [g] B[6] *per;* idem subinde. [h] Ex *maioritemritatem.* [i] Ita B[6], V repetit *et.* [k] B[6] *definitionibus.* [l] Al. m. mg. [m] B[6] *illud.* [n] Ita B[6], V *terminio.* [o] B[6] *numero.* [p] B[6] *numerorum et figurarum* pro *f. e. n.*

[Solutio obiectorum]

Ad primum igitur in contrarium dicendum quod [a] definitiones logicaliter acceptae aequaliter participantur, quia tunc non attenditur in eis intensio vel remissio earundem differentiarum, sed solum absoluta veritas earum. — Quod autem dicitur quod definitiones rerum sunt sicut numeri in quibus additio vel subtractio variat [b] speciem: sciendum quod ad definitionem potest fieri additio vel subtractio dupliciter, aut scilicet totam unam differentiam addendo vel subtrahendo aut differentiis iam in ea [c] positis aliquid quod est de natura earundem addendo vel subtrahendo. Primo modo semper fit variatio speciei, et hoc modo loquitur ibi [d] Aristoteles; alio vero modo non. Alias eadem ratione sequeretur hoc ipsum in accidentibus quae in sua essentia intenduntur et remittuntur. Et si quis multum vellet [e], posset dare aliqualiter simile [f] in numeris: additio enim unitatis [g] et subtractio [h] variat speciem numeri [i], intensio vero et remissio unitatum non. Voco autem unitatem intensiorem, quando est simplicior et indivisibilior, sicut est unitas puncti aut anguli quam unitas [k] lineae aut corporis. Loquor [l] autem hic [m] de specie numeri secundum hoc quod est aliquo modo unius et eiusdem rationis in diversis numeratis potius quam secundum veritatem suae realis essentiae, quia tunc multis videtur quod nihil addat ad ipsas res nec ad rerum reales unitates, sicut alibi recitavi.

Ad secundum dicendum quod unus homo [n] non dicatur [o] magis homo quam alter non est ex hoc quod forma hominis non possit esse intensior et perfectior [p] in uno quam in alio, sed propter modos supra in principio responsionis tactos.

Ad tertium dicendum quod hoc argumentum, si quis bene inspiciat, magis facit pro quam contra: constat enim quod haec albedo potest esse intensior et remissior, et tamen modus loquendi non patitur quod possit dici magis vel mi-

---

[a] Ita B[6], V *quia.* [b] B[6] *nominat.* [c] Ex *eo.* [d] In ras. *l. i.* [e] Ita B[6], V *valet.* [f] B[6] *exemplum aliqualiter* pro *a. s.* [g] Al. m. ex *unitas.* [h] Al. m. corr. [i] B[6] *in numeris variat speciem* pro *v. s. n.* [k] Al. m. mg. *p. a. a. q. u.;* B[6] *corporis vel lineae* pro *l. a. c.* [l] B[6], *loquitur.* [m] In ras. *a. h.;* al. m. *de.* [n] B[6] om. [o] Ita B[6], V *dicat.* [p] B[6] *remissior.*

nus albedo; ex quo patet quod hoc non est ratione uniformitatis realis suae essentiae. Et idem est in [a] substantiis concretive acceptis, sicut supra est ostensum.

Ad quartum patet per eadem.

Ad quintum dicendum quod sicut supra ostensum fuit, concedendum [b] est quod magis et minus secundum modum loquendi non debent dici nisi de accidentibus concretive acceptis; nihilominus tamen intensio et remissio quae a praedictis realiter non differunt potest dici de eis et etiam de formis substantialibus.

Ad sextum dicendum quod forma substantiae particularis potest habere magis et minus, nec enim formae generis vel speciei hoc habent nisi per ipsam et in ipsa; nec tamen propter hoc debet dici quod Sortes sit magis Sortes vel minus, sicut nec propter hoc dicitur quod sit [c] magis homo vel minus.

Ad septimum dicendum quod [d] in ingenerabilibus et incorruptibilibus potest fieri intensio et remissio per virtutem potentiae creantis dantis de essentia [e] formali modo plus modo minus; et tunc non propter hoc sequetur [f] quod huiusmodi forma sit generabilis et corruptibilis [g], sumendo generabile [h] et corruptibile proprie et [i] secundum naturam [k]. Fortassis etiam non oportet quod si pars alicuius formae est corruptibilis et generabilis, quod propter [l] hoc tota forma sit talis. Videmus enim quod elementa secundum partem sunt generabilia et corruptibilia, non tamen secundum totum. Videmus etiam [m] quod in voluntate nostra [n] sunt quaedam seminaria virtutum seu rectarum affectionum quae forte [o] non possunt totaliter corrumpi et generari, quamvis secundum partem [p] hoc possint [q]; sicut nec aliquod corpus potest totaliter dividi, quamvis secundum partem hoc possit.

Ad octavum [r] patet ex praedictis: loquitur enim Aristoteles in *Praedicamentis* via logicali; et posito quod ipse hoc sensisset, non est ipse Deus intellectus nostri cui credere tanquam regulae inerrabili teneamur, sicut [s] faciunt illi qui sunt de semine Antichristi.

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Ex *concendendum*. [c] B[6] om. *q. s.* [d] Ita B[6], V om.; B[6] om. *in;* V *in generalibus* pro *ingenerabilibus* quod habet B[6]. [e] Al. m. mg. *d. e.* [f] Ex *sequeretur*. [g] Ita B[6], V om. *e. c.* [h] Al. m. corr., B[6] *generale*. [i] B[6] om. [k] Al. m. [l] Al. m. mg., V add. *per* quod B[6] om. [m] B[6] *enim*. [n] B[6] *nostra voluntate* pro *v. n.* [o] Al. m. corr.; V om. *non* quod habet B[6]. [p] V al. m. *ipse* pro *s. p.* quae habet B[6]. [q] B[6] *possunt*. [r] Sequitur ras. [s] B[6] *ut*.

[Respondeo ad alteram quaestionem]

Ad [a] illud autem quod iuxta hoc quaerebatur de contrarietate substantiarum et formarum substantialium sciendum quod sumendo substantiam pro materia vel pro composito ab omnibus conceditur quod in substantia non est contrarietas; materia enim materiae proprie non contrariatur nec unum compositum seu suppositum alteri composito.

De formis vero substantialibus quidam volunt quod non sit in eis contrarietas, alii e contrario.

Et primi quidem moti sunt ex tribus.

Primo quidem, quia de [b] contrario ad contrarium non fit transitus nisi per medium; videmus autem [c] quod terra potest mutari in ignem absque hoc quod prius convertatur [d] in aquam vel aerem quae sunt elementa media inter ipsa. Et haec ratio est Avicennae [1].

Secundo vero, quia de contrario ad contrarium non venitur nisi per motum; per motum autem non venitur ad aliquid, quin primo habeatur aliquid de termino motus [e] quam perfectus et finalis terminus eius, et sic per consequens, quin primo habeatur secundum quid forma ad quam tendit motus quam habeatur simpliciter. Et e contrario est [f] de forma contraria a qua motus et mobile recedunt; prius enim erit corrupta secundum quid quam simpliciter. Ex [g] hoc autem sequetur quod quando una substantia vertetur in aliam, quod sit dare horam in qua non sit simpliciter in aliqua specie substantiae, utpote in medio motus [h]; quando enim aer fiet ignis, in medio motus tantum habebit de forma ignis quantum de forma aeris et e contrario; et tunc in neutra specierum erit aut erit simul in utraque aequaliter. Sequetur etiam ex hoc quod unum ens non sit totaliter suum proprium ens; erit enim aliquando [i] aliud ens secundum quid, utpote aer erit ignis secundum quid.

([a]) Hic B^6 incipit novam quaestionem. ([b]) Add. interl. al. m. ([c]) B^6 *enim.* ([d]) Ita B^6, V *vertatur.* ([e]) B^6 *de termino motus aliquid* pro *a. d. t. m.* ([f]) Sequitur ras. ([g]) Ex *et.* ([h]) B^6 *motu.* ([i]) B^6 *quandoque.*

([1]) *Sufficientia,* II, 3 (f. 25v bsq.).

Tertio autem, quia contraria videntur dici respectu subiecti in actu; contraria enim [a] apta nata sunt fieri circa idem subiectum. Materia autem, quando est sub diversis formis substantialibus [b] oppositis, potius debet dici ens diversum quam [c] idem, cum de se non sit ens actu, sed solum per suas formas [d], a diversis autem formis diversam actualitatem et existentiam [e] recipit. Unde et secundum Aristotelem, II *Physicorum* [f 1], generatio et corruptio non sunt de subiecto in subiectum, sed potius una est de non subiecto in subiectum, alia de subiecto in non subiectum [g]. Cum igitur formae substantiales disparatae non possint [h] se habere circa idem subiectum in actu nec simpliciter circa idem subiectum: non videtur quod in eis sit contrarietas proprie et simpliciter.

Quarto vero non potest fieri secundum illos qui tenent positionem de unitate formarum. Cum enim contraria sint in eodem genere et cum hoc secundum totalitatem suae essentiae [i] sibi contrarientur, si in rebus non est nisi [k] una forma substantialis, ita quod non sunt in ea plures naturae formales, tunc posito quod huiusmodi formae substantiales sibi contrariarentur [l], in nullo uno genere convenirent, quia secundum se totas [m] et secundum omne quod [n] in eis est sibi contrariarentur.

Secundi autem qui volunt quod in eis sit contrarietas, — quamvis de omnibus hoc non dicant, non enim volunt hoc de formis intellectualibus nec de anima sensitiva nec de quibusdam aliis [o], volunt enim hoc praecipue de formis elementaribus — moti [p] sunt ex contrarietate suarum propriarum passionum; nam naturales per se effectus contrarii videntur habere causas immediate [q] contrarias; ergo calor et frigus, humidum et siccum, leve et grave hoc habebunt.

---

[a] B[6] *autem*, om. *apta*. [b] B[6] om. [c] Sequitur ras. [d] B[6] *formas suas* pro *s. f.* [e] B[6] *essentiam*. [f] B[6] *quinto Physicorum secundum Aristotelem* pro *s. A. II. Ph.* [g] B[6] *generatio et corruptio sunt de non subiecto in subiectum una altera de subiecto in non subiectum et non de subiecto in subiectum* pro *generatio... subiectum*. [h] B[6] *ponunt*. [i] B[6] *totam suam actualitatem essentiae* pro *t. s. e.* [k] Al. m. in ras. [l] B[6] *contrarientur*. [m] Corr. interl. [n] Ex *quem*. [o] B[6] *aliquis*. [p] B[6] add. *enim*. [q] Ita B[6], V *immediatas*.

---

[1] Cfr. Lib. V, 1, 225a 3sqq.; auctor falso citat, expresse enim Aristoteles enumerat inter tres mutationes τὴν ἐξ ὑποκειμένου εἰς ὑποκείμενον (225a 8); II libro nihil de hoc habetur.

Moti etiam sunt ex [a] eo quod [b] cum differentiae [c] elementorum specificae condividant idem genus proximum, mutuo ab eadem materia se expellunt, et hoc non per accidens et indirecte, sed per se et directe, per proprias scilicet et specificas impressiones et [d] operationes in materiam quam movent ad sui assimilationem [e]; nec partialiter se expellunt, sicut formae mixti partialiter et non totaliter eas expellunt; unde una earum non potest esse perfecta, quamdiu aliquid de altera est in eadem materia; in huiusmodi autem videtur consistere plena ratio contrarietatis [f]; ergo huiusmodi formae sunt sibi contrariae.

Tertio moti sunt ex contrarietate motuum per quos [g] generantur; motus enim contrarii contrarios habent terminos; ergo motus calefactionis et infrigidationis et rarefactionis et condensationis hoc habebunt. — Si dicatur quod isti motus non terminantur immediate ad formas substantiales eorum, sed solum ad quasdam dispositiones accidentales ad quas necessario et [h] immediate [i] sequuntur formae substantiales eorum: contra hoc sunt rationes factae in quarta parte responsionis quaestionis praecedentis. Et [k] praeterea, dispositio ultima [l] naturaliter praecedens formam ignis non videtur posse esse alia quam quod materia sit prius naturaliter summe calida et summe rara et quod frigidum et ceterae proprietates praedictis contrariae sint ab ea totaliter expulsae et ita, quod [m] quando de [n] aqua fiet ignis, prius natura expellantur totaliter [o] proprietates aquae quam forma aquae et prius natura educantur proprietates ignis totaliter et in summo quam aliquid quod sit de essentia formae ignis. Quae valde videntur absurda [p]. — Item, cum corruptio generationi contrarietur: ergo et termini finales earum, forma scilicet [q] corrupta et forma generata, sibi contrariabuntur.

Quarto moti sunt ex privatione essentialiter annexa huiusmodi formis; contrarietas enim non videtur esse aliud quam formas essentialiter in se [r] habere privationes sui mutuas; hoc autem ita convenit in formis substantiarum corruptibilibus sicut et in accidentibus.

---

[a] Al. m. mg. [b] B[6] *quia*. [c] Ita B[6], V *differre;* al. m. *elementorum* pro quo B[6] habet *eorum*. [d] B[6] add. *per*. [e] B[6] *assimilationes*. [f] Ex *contrarietas*. [g] Ita B[6], V *quas*. [h] Add. interl. al. m. [i] B[6] *immediate et necessario* pro *n. e. i*. [k] Add. interl. al. m., B[6] om. [l] Ita B[6], V corr. interl. *ultimata*. [m] B[6] om. [n] B[6] om. [o] B[6] repetit *totaliter*; *expellantur totaliter* ex *t. e*. [p] Al. m. mg. [q] B[6] *scilicet forma* pro *f. s*. [r] B[6] *in se essentialiter* pro *e. i. s*.

Quidam vero mediam viam tenentes dicunt quod in formis substantialibus non est contrarietas simpliciter; quia cum contraria sint apta nata esse circa idem, illa solum sunt simpliciter contraria quae sunt apta nata esse [a] circa idem simpliciter, formae vero substantiales oppositae nunquam possunt esse circa idem simpliciter. Pro quanto tamen possunt esse vicissim circa eandem [b] materiam, potest in eis poni contrarietas [c]. — Hoc autem potest esse tripliciter: aut lateraliter sese respiciendo quasi duo termini laterales unius distantiae, sicut se habent termini oppositorum locorum [d]. Et sic forte [e] potest poni contrarietas in formis elementorum specificis; quae videntur dicere differentias coaequales sub eodem genere et videntur esse termini quasi laterales potentialitatis eiusdem materiae et cuiusdam distantiae seu ambitus virtualis illius [f] potentiae secundum quam est successive mobilis ad terminos formales oppositos, acsi per intermedias distantias successive et gradatim ad illos terminos perveniret [g]. — Secundo vero modo potest hoc esse propter solam incontingentiam duarum formarum in eadem materia, provenientem ex nimia disparitate earum; quando enim una formarum [h] est valde nobilis, praeexigens in materia sua formas et dispositiones nobiles et sibi proportionatas, non compatitur se in eadem materia [i] cum formis vilibus et sibi non proportionatis. Et hoc modo anima sensitiva et vegetativa videntur opponi multis formis corporalibus cum quibus se non compatiuntur. Et hic modus est multo minor quam praecedens. — Tertius modus est per incontingentiam provenientem ex sufficientia actualitatis sufficienter et specifice informante materiam. Et hoc modo duae animae sensitivae possunt dici sibi opponi; una enim materia non potest simul ab [k] ambabus informari, pro eo quod unaquaeque sufficienter informat eam, unde materia, prout est sub una, non est simul ordinabilis ad aliam. Et haec oppositio est proprie oppositio disparationis, unde et minimum participat de ratione contrarietatis. Et hic modus forte [l] est inter multas formas mineralium et mixtorum.

---

[a] Ita B^6, V om. [b] Ita B^6, V *eadem.* [c] B^6 *contrarietas poni* pro *p. c.* [d] B^6 *diversorum locorum termini* pro *t. o. l.* [e] Al. m. corr. [f] B^6 *ambitus sive distantiae virtualis ipsius* pro *d. s. a. v. i.* [g] V B^6 *proveniret.* [h] B^6 *formaliter.* [i] B^6 *in materia eadem* pro *i. e. m.* [k] B^6 om. [l] Corr.

[Solutio obiectorum]

Isti igitur respondent ad rationes utriusque partis.

Ad primum enim primae partis dicunt quod duplex est medium, unum per solam aequedistantiam ab extremis et per quandam participationem confusam et instabilem extremorum. Et tale medium est proprie medium [a] motus inter formas contrarias. Aliud medium est per quandam convenientiam cum extremis, radicatam in una forma specifica et [b] stabili, sicut [c] species colorum alias ab albo et nigro medios colores vocamus. Et hoc modo aer et aqua videntur esse media inter elementa. Et per tale medium non est necesse transire motum, quando a contrario tendit in aliud extremum; alias [d] nunquam de nigro fieret album, quin semper fierent omnes colores medii, nec de dulci amarum, quin prius fierent omnes medii sapores. — Praeterea, si Avicenna bene advertisset [e], haec ratio non minus est contra ipsum quam contra propositum. Nam ipse vult quod dispositio ultima ad quam necessario sequitur productio formae substantialis possit habere contrarium; unde ultima dispositio ad ignem contrariatur dispositioni ultimae [f] ad formam terrae. Et tunc ex sua ratione sequitur quod non possit de una ad alteram esse transitus, nisi prius educantur dispositiones ultimae mediorum elementorum, et sic per consequens, quin prius educantur formae ipsorum mediorum elementorum, quia in eodem instanti secundum eum [g] necessario consequuntur suas dispositiones ultimas [h].

Ad secundum dicunt quod nihil inconveniens, si in aliqua hora motus materia sit mediocriter sub forma [i] aeris et sub forma ignis, ita quod tunc non sit simpliciter aer nec simpliciter ignis. Et si dicatur quod [k] omne quod est actu est sub aliqua una specie: respondetur quod hoc verum est de ente in actu stabili et perfecto; tale autem non est ens [l] quod subiacet [m] actu motui generationis et [n] corruptionis. Unde nec embrio ante sui formationem et ante animae infu-

---

[a] B[6] om. *p. m.* [b] Add. interl. al. m.; *stabili* ex *instabili.* [c] B[6] add. *alias.* [d] Al. m. corr. [e] Ita B[6], V *avertisset.* [f] B[6] *ultimae dispositioni* pro *d. u.* [g] Ita B[6], V *eos.* [h] Ita B[6], V *ultimatas.* [i] Al. m. [k] B[6] om. [l] B[6] *ens non est* pro *n. e. e.* [m] In ras. [n] B[6] om.

sionem [a] est plene in aliqua specie entis naturalis [b] et perfecti. — Quod autem ibidem adiungitur, quod scilicet tunc sequetur [c] quod unum ens non sit totaliter idem [d] quod ipsum, sed partim sit suum ens, partim sit [e] aliud ens: dicunt quod nunquam debet dici quod aer sit ignis, nec [f] e contrario; sed quando forma aeris [g] praedominatur, tunc illud ens debet dici simpliciter aer, materia vero quae est sub illo ente debet dici partim esse sub forma ignis; quando vero aequaliter in eadem materia existunt, tunc non est ibi aliquod unum simpliciter nec sunt duo entia simpliciter [h], quia non sunt ibi duae materiae nec sunt ibi [i] duae formae simpliciter actu [k]; unde possunt dici unum ens secundum quid, ratione scilicet unitatis materiae, et duo entia secundum quid, ratione duarum formarum secundum quid ibi existentium.

Ad tertium dicunt quod quamvis non sint circa idem ens perfectum, sunt tamen circa eandem materiam. Et hoc sufficit ad contrarietatem, quia etiam in accidentibus non multum facit ad eorum [l] contrarietatem forma substantialis sui subiecti, sed potius potentia materiae quae talis est quod non potest simul subesse eis nec secundum eundem respectum.

Ad quartum dicunt quod quando natura generis realiter differt a differentiis sibi contrariis, non habet locum hoc argumentum. Et etiam posito quod realiter non differat, adhuc non valet, quia sic in accidentibus nulla esset contrarietas. Nec enim natura coloris [m] realiter differt a differentia specifica albi et nigri, ita quod sint duae formae sibi suppositae et coniunctae ad unum tertium accidens constituendum; color enim amotis differentiis omnium specierum suarum non potest aliquid esse in rerum natura, nec videtur quod Deus posset eum [n] facere absque omni differentia specierum coloris [o]. Et idem est de sapore et differentiis specierum suarum et sic de aliis generibus accidentium sensibilium. Et idem est de habitu et differentiis habituum. Dicunt igitur quod contrariae formae secundum totam suam [p] essentiam possunt sibi contrariari, sed non secundum omnem rationem suae essentiae; alias contrariarentur sibi secundum

---

[a] B^6 add. *non.* [b] Al. m. ex *naturales.* [c] B^6 *sequeretur.* [d] B^6 *idem totaliter* pro *t. i.* [e] Al m. mg. *s. s. e. p. s.* [f] Ita B^6, V *et.* [g] B^6 *aeris forma* pro *f. a.* [h] V B^6 add. *tum.* [i] Ita B^6, V om. [k] Ex *actuales* quod habet B^6. [l] B^6 om. [m] Ita B^6, V *caloris.* [n] B^6 om. [o] Ita B^6, V *caloris.* [p] B^6 om.

hoc quod sunt formae et secundum omnes rationes generales entis quae sunt in omni essentia. Unde essentiae albi et nigri non sibi contrariantur secundum rationem coloris, sed secundum rationes suas differentiales [a] et specificas.

Ad primum autem secundae partis dicunt quod proprietates elementorum nunquam possunt esse circa idem subiectum, sed solum circa eandem materiam, sicut nec formae substantiales quas sequuntur; et si aliquando videantur inesse, hoc non est nisi per hoc quod ibidem sunt formae substantiales quas sequuntur; et ideo quantum ad hoc ita deficiunt a plena contrarietate sicut et formae elementorum. Fateor [b] tamen quod hoc argumentum est valde forte, quia saltem tantum videntur habere de contrarietate formae elementorum quantum propriae passiones eorum.

Ad secundum dicunt quod illae conditiones non sufficiunt ad perfectam contrarietatem, nisi apponatur [c] quod sint circa simpliciter [d] idem.

Ad tertium dicunt quod motus qui terminantur ad diversas formas substantiales non plus habent inter se de contrarietate quam ipsae formae; unde si [e] formae sunt simpliciter contrariae, et ipsi, si vero secundum quid, et ipsi, et si solum opponuntur per viam disparationis, consimiliter et ipsi. Si quis autem dicat, sicut et quidam dicunt, quod omnis [f] motus est necessario inter contraria, si quis hoc dicat [g], contrariis simpliciter sumptis, falsum est; nec credo quod ab aliquo posset hoc probari. Quando enim per motum de albo fit albius aut de calido calidius aut de humili humillimus [h]: non credo quod semper oporteat quod ibi sit aliquid de nigro aut frigido aut de superbia [i], ut ab eis incipiat motus huiusmodi [k] augmenti seu intensionis. Si autem sumantur contraria secundum modos praedictos: sic est verum; et sic vult Aristoteles, I *Physicorum* [1], quod omne quod fit fit ex incontingenti. — Ad illud autem [l] quod ibi adiungitur de contrarietate generationis et corruptionis: dicendum quod corruptio proprie opponitur generationi, sicut

---

[a] B[6] *differentiales suas* pro *s. d.* [b] Al. m. [c] B[6] *apponantur.* [d] B[6] *simpliciter circa* pro *c. s.* [e] B[6] *sicut.* [f] Al. m. corr. [g] Al. m. mg. [h] B[6] om. *a. d. h. h.* [i] B[6] add. *si de humili fit humilius.* [k] Al. m. in ras. [l] Al. m. mg.

---

[1] Cap. 5, 188b 21 sqq., a 19 sqq.

privatio habitui, et hoc, quando sunt circa idem, sicut est corruptio et generatio eiusdem formae; corruptio enim formae oppositae non opponitur generationi [a] formae contrariae, immo sunt idem secundum rem, differentia solum secundum rationem.

Ad quartum dicunt quod si privatio sumatur pro negatione formae in hac vel in illa materia, sic omnis forma disparata includit in se privationem alterius disparatae, sive sint disparatae disparatione generali vel specifica, sicut sunt formae diversorum generum et specierum, sive sint [b] disparatae disparatione individuali, sicut sunt diversae formae particulares eiusdem speciei. Si vero sumatur privatio pro negatione formae cum ordine potentiae ad ipsam, ita quod forma in qua implicatur huiusmodi negatio sit semper terminus ex [c] quo potentia illa potest [d] moveri et proficisci ad formam negatam: sic privatio est radix contrarietatis. Nihilominus tamen secundum modos supra positos [e] potest esse ratio contrarietatis simpliciter vel [f] secundum quid [g]. Non est igitur verum quod privatio quomodocunque accepta sit idem quod contrarietas [h]; oportet enim certas circumstantias adici [i]. Unde quidam [k] non credunt esse verum illud quod sequaces Aristotelem dicunt quod scilicet alterum contrariorum semper se habet quodam modo ad alterum sicut habitus ad privationem; pro eo quod ut dicunt, alterum semper est nobilius, alterum vero ignobile, ut patet in albo et nigro, dulci et amaro, calido et frigido. Dicunt enim quod hoc non est verum nisi in illis contrariis quae comparantur ad se invicem ut sursum et deorsum seu secundum [l] sub et supra, qualis semper est inter habitus virtutum et habitus vitiorum eis oppositos; quando vero respiciunt se quasi extrema lateralia et coaequalia respectu cuiusdam intelligibilis latitudinis seu distantiae, sicut contingit in aliquibus aut contingere potest, non oportet quod unum sit ignobilius altero.

Sic igitur potest ad quaestionem istam dici.

Quoniam autem quidam [m] negant motum posse terminari immediate ad formam substan-

---

[a] Ita B[6], V *opponit generationem* pro o. g. [b] Ita B[6], V *sunt.* [c] Add. interl. al. m. [d] B[6] add. *semper.* [e] Ex *possitos;* B[6] *propositos* pro *s. p.* [f] B[6] add. *ratio contrarietatis.* [g] Al. m. mg. *v. s. q.* [h] V om. *Non est... contrarietas* quae habet B[6]; al. m. mg. *oportet enim;* B[6] add. *sed.* [i] Ex *addici.* [k] B[6] *quidem.* [l] *seu secundum* ex *secundum seu.* [m] B[6] *quidem.*

tialem innitentes tribus rationibus Aristotelis quas V *Physicorum* facit[1], in utraque autem praedictarum quaestionum contrarium sit suppositum et probatum: ideo ostendendum est quomodo rationes illae ad propositum non valent.

Est enim prima ratio, quod [a] inter contradictoria non est medium, generatio vero [b] formarum substantialium est inter terminos contradictorios, quia generatio earum est de non subiecto in subiectum, corruptio vero de subiecto in non subiectum, fit enim tunc de non ente simpliciter ens [c] simpliciter; ergo generatio non potest dicere motum medium inter suos terminos et sic per consequens dicet mutationem simplicem et instantaneam.

Secunda est, quia quod non est actu non potest esse subiectum motus, cum motus sit accidens, et ita oportet quod recipiat esse seu existere a suo subiecto et non e contrario; sed in generatione substantiarum non potest subici nisi sola materia, non enim forma [d] contraria quae est terminus a quo potest ei [e] subici nec ipsa substantia destruenda; sed materia sola non potest subici generationi nisi in hora [f] qua est totaliter denudata a forma contraria et in qua prior substantia est corrupta; hoc autem non potest esse nisi in illo instanti in quo forma sequens perfecte introducitur; ergo generatio non dicit nisi instantaneam introductionem formae.

Tertia quae est quasi appenditia huius est [g], quia cum omne quod movetur sit in loco, materia autem ut est denudata omni forma seu ut est ens in potentia non sit in loco, ipsa autem in quantum talis subiciatur generationi: ergo [h] generatio non dicit motum, sed solum [i] mutationem.

Ad primam [k] igitur dicendum quod generatio substantiarum est uno modo de non subiecto in subiectum [l], alio modo de subiecto in subiectum. In quantum enim in hora generationis perficiendae oportet prius ens esse destructum — non enim potest sequens simpliciter et perfecte esse genitum, quin necesse sit praecedens esse destructum —: pro tanto generatio est de non ente in ens; et pro tanto potest dici instantanea, quia hoc non fit nisi in termino

---

[a] B[6] *quoniam.* [b] B[6] om. [c] Ita B[6], V *eis.* [d] Al. m. mg. [e] B[6] om. [f] B[6] add. *in.* [g] B[6] add. *haec.* [h] Al. m. in ras. [i] B[6] *solam.* [k] B[6] *primum.* [l] B[6] *substantiam.*

---

[1] Cap. I, 225a 25 sqq.

certi gradus ipsius formae generandae (a). In quantum vero, priori ente adhuc stante, materia paulative recedit a forma eius, accedendo paulative ad formam contrariam: pro tanto potest dici de subiecto in subiectum. Istud tamen non expressit Aristoteles, quia tunc prius ens, prout est ens actu, per suam formam non subicitur proprie illi motui, cum sit sui destructivus, sed materia eius, non prout est sub forma eius, sed potius prout recedit ab ipsa. In generatione vero accidentium subiectum idem, prout est ens (b), per eandem formam substantialem et materia eius, prout est sub eadem forma, subicitur motui alterationis. Pro quanto tamen aliquando dicimus quod de non albo fit album, aliquando vero quod de nigro fit album: pro tanto similis distinctio potest dari in accidentibus; unde et Aristoteles dicit, VIII *Physicorum* (1), quod de non albo fit album, in termino scilicet (c) dealbationis perfectae. Praeterea, quando dicitur quod inter contradictoria non est medium et post hoc subiungitur quod generatio est inter contradictoria: haec est falsa, non solum secundum quod est de subiecto in subiectum, sed etiam secundum quod est de non subiecto in subiectum, sumendo contradictoria simpliciter, sicut in prima sumebatur, quia inter ista est medium subiectum secundum quid seu ens in potentia, scilicet materia.

Ad secundam (d) dicendum quod licet materia non subsit motui generationis per hoc quod est sub forma contraria, non tamen posset ei subesse, nisi esset sub ea; oportet enim quod habeat aliquam formam substantialem per quam actu existat, alias enim (e) non posset subesse motui. — Quod autem dicitur quod motus est accidens: secundum aliquos non est verum de motu qui ad substantiam terminatur; de hoc tamen in sequenti quaestione agetur. Quamdiu igitur forma sequens non est in materia simpliciter et per praedominantiam, tamdiu debet dici materia existere per formam expellendam, postea vero e contrario.

Ad tertiam (f) patet per iam dicta. Quamvis enim materia non subiciatur motui illi per formam contrariam, non tamen subiceretur (g) eidem, si non (h) esset sub illa; per illam

---

(a) Ex *generando*. (b) B[6] om. (c) B[6] om. (d) B[6] *secundum*. (e) B[6] *autem*. (f) Al. m. mg.; B[6] *tertium* pro *Ad tertiam*. (g) Ex *subiuceretur*. (h) B[6] *nisi* pro *s. n.*

---

(1) Cap. 8, 263b 15sqq.

autem et sub illa est in loco. Cum etiam quantum habeat de motu generationis, tantum habeat de forma generanda et quantum habeat de ista, tantum habeat de locabilitate: patet quod frivola est ratio illa; et maxime quia non est multum probatum aut per se notum quod omnis motus exigat mobile actu existens in loco; nec videtur habere necessitatem nisi de motu corporali, non ratione ipsorum motuum, praeterquam de motu locali et forte de motu augmenti et detrimenti (a), sed potius ratione ipsorum corporum, pro quanto scilicet corpora communiter non possunt esse sine loco aut sine actuali locabilitate.

(a) Al. m. corr., B^6 *diminutionis*.

Deinde de generalibus proprietatibus agentium seu actionum et motuum quaeruntur novem [a].

QUAESTIO XXIII.

Primo quaeritur an omne agens sit semper praesens [b] suo patienti seu suo effectui primo.

Et quod sic videtur.

1. Ita enim videtur velle Aristoteles: I [c] *De generatione* et II *De anima* [1] probat aliquod [d] esse medium inter visibile et visum, quia alias actio rei visibilis non posset devenire ad visum, nisi per continuationem medii continuaretur praesentia agentium et patientium.

2. Praeterea [e], per hoc inter alia probamus Deum esse in omnibus rebus praesentialiter, quia omnia sunt ab eo; sed haec ratio non videretur [f] valere, si non [g] necessario omnis effectus praesens esset [h] suae causae, saltem proximae [i] et immediatae.

3. Item [k], si effectus non est praesens suae causae proximae, ergo est [l] dare medium inter effectum et causam, cui medio causa non [m] erit praesens et in quo nihil aget, quoniam si [n] aliquid ageret, tunc praedictus effectus non fuisset [o] proximus et immediatus; sed si in medium sibi propinquius nihil agit, ergo multo minus nec in longinquius.

4. Item, virtus agentis oportet quod [p] semper attingat ad suum patiens et ad suum effectum; sed impossibile est virtutem alicubi esse ubi non est [q] sua essentia et suum [r]

---

[a] B[6] om. *Deinde... novem.* [b] Ex *praesens semper.* [c] Ita B[3], V *libro.* [d] B[6] *enim aliquid.* [e] B[6] *Item.* [f] B[6] B[3] *videtur.* [g] B[3] *nisi* pro *s. n.* [h] B[6] *esset praesens* pro *p. e.* [i] B[6] *primae.* [k] B[3] *Praeterea.* [l] B[6] *erit.* [m] B[3] om. [n] B[6] *si enim* pro *q. s.* [o] Corr. interl. [p] B[6] *oportet quod virtus agentis* pro *v. a. o. q.* [q] B[6] *nisi ubi est* pro *u. n. e.* [r] B[6] om.

---

[1] *De gener. et corrupt.*, I, 9, 327a 1sqq.; I, 6, 322b 21sqq.; *De an.*, II, 7, 419a 12sqq.; *Phys.*, VII, 1, 242 b24sqq.; *De gener. an.*, II, 1, 734a 3sq.

suppositum; ergo essentia [a] virtutis et suppositum eius erunt praesentia [b] suo patienti et [c] effectui.

Contra: Adamas trahit ferrum longinquum ad [d] se et non aerem intermedium; ergo agit immediate in ferrum et non in aerem intermedium, et ita [e] primus effectus virtutis adamantis seu primum patiens non est [f] sibi praesens. — Et idem potest argui de centro trahente ad se molem terrae quae est in aere et non aerem intermedium.

[Respondeo]

Ad quaestionem istam dicendum quod omnes in hoc conveniunt [g] quod agens sit praesens suo proximo patienti et primo effectui [h]. Sed an virtus agentis sit praesens alicui [i] effectui suo, ita quod non substantia agentis vel substantia ipsius virtutis, hoc est, an aliquis effectus qui non est praesens substantiae virtutis agentis possit immediate effici ab ipsa virtute: de hoc est non modica dubietas apud profundantes se in materia ista.

Quibusdam enim visum est quod agens per se agit in superficiem corporis quod immediate est post eum, in reliqua vero quae post illam superficiem consequuntur non agit [k] nisi per intermedias impressiones; utpote lux solaris per se gignit lucem in superficie corporis sibi immediati et per illam gignit aliam in partem sequentem et per illam aliam gignit tertiam [l] et sic usque ad finem [m].

Et isti moventur ratione immediationis quae debeat esse inter per se et primo [n] agens et inter [o] primum patiens; quae alias non videtur posse salvari. — Moventur etiam secundo [p] ratione naturalis ordinis qui est inter partes impressionum, ut [q] inter partes luminis seu radii geniti a sole. Videmus enim quod pars lucis quae est longinquior [r]

---

[a] B³ *esse.* [b] Ita B³, V *praesentes.* [c] B⁶ add. *suo.* [d] Ita B³, V B⁶ *a.* [e] B³ *medium et ita est* pro *i. e. i.* [f] B⁶ *primum patiens seu primus effectus virtutis adamantis est non* pro *primus... est.* [g] Al. m. corr. [h] B⁶ *suo effectui primo* pro *p. e.* [i] B⁶ om. [k] B⁶ om. [l] B⁶ *illam gignit* pro *i. a. g. t.* [m] B⁶ *in infinitum* pro *a. f.* [n] B⁶ *primum*, om. *p. s. e.* [o] B⁶ om. [p] V B³ *et* pro *m. e. s.* quod habet B⁶. [q] B⁶ *vel.* [r] B⁶ *lucis longior* pro *l. q. e. l.*; al. m. mg. *est.*

a sole naturaliter dependet a priori et naturaliter eam sequitur, in tantum quod impossibile esset eam fieri a sole, nisi prius praecedens fieret. Quod non videtur esse necessarium, si non aliquo modo causaretur posterior (a) a priori; si enim quaelibet aeque primo et aeque per se causaretur (b) a luce solari (c), tunc non plus dependeret sequens a priori quam e contrario nec ad suum esse praeexigeret esse prioris; cuius contrarium manifeste deprehendimus (d) per hoc quod priori destructa posterior necessario destruitur et ea genita necessario gignitur, nisi interveniat aliquod obstaculum seu impedimentum. — Moventur etiam tertio ratione multiplicis variationis factae in incessu istarum impressionum seu in modo agendi; nam aliquando generat (e) in rectum, aliquando per incessum fractum, aliquando vero (f) per incessum reflexum. Et tamen haec varietas non potest contingere ratione lucis vel virtutis solaris corpus solis informantis, sed per hoc solum (g) videtur fieri, quia lux genita, quando invenit obstaculum (h), non potest generare in profundum seu in rectum et ideo (i) generat in reflexum seu post se; et eodem modo, quando invenit medium densius vel subtilius (k) quam sit illud perspicuum (l) in quo ipsa est, non potest generare in rectum et (m) ideo generat per incessum obliquum seu fractum.

Quibusdam vero (n) aliis visum est (o) quod tota impressio quae per profundum seu per continuum sequitur ab aliquo agente, sicut totus radius a luce solari, est per se et primo (p) ab ipso agente. Unde voluerunt (q) quod totus radius esset (r) primo et per se a luce solari, et non quod pars radii posterior esset (s) a parte priori. Dixerunt enim quod virtus solis et cuiuslibet agentis in longinquum agit per virtualem aspectum seu per virtualem conversionem et directionem in longinquum, et ideo quantum ad efficaciam virtualis aspectus et directionis praesens est toti medio in longinquum protracto usque ad terminum ultra quem non potest agere.

(a) B³ om. *a priori et... posterior.* (b) Al. m. mg. *posterior... causaretur.* (c) B⁶ *primo aeque et aeque causaretur per se ab ipsa luce solis* pro *aeque primo... solari.* (d) B⁶ *apprehendimus.* (e) B⁶ *generabitur.* (f) B³ om. (g) B⁶ *solummodo.* (h) B⁶ add. *et.* (i) Ita B³, V B⁶ om. *e. i;* B⁶ *flexum* pro *reflexum;* B³ om. *seu post se.* (k) B³ om. *v. s.* (l) Corr. ex *semper spicuum.* (m) B³ om. (n) B³ *autem.* (o) Corr. interl. (p) B⁶ *primo et per se* pro *p. s. e. p.* (q) B³ *volunt.* (r) B³ *sit.* (s) B⁶ *ideo quod pars radii posterior non esset* pro *non... esset.*

Sicut enim [a] proiectis, quando proiciuntur, datur quidam impulsus per quem habent inclinationem [b] usque ad terminum ad quem per impulsum illum tendunt [c]; et sicut a generante datur elementis levitas vel gravitas quasi quidam impulsus [d] et inclinatio quodam modo [e] virtualiter attingens suum locum [f]; sicut etiam [g] visus aliquando dirigitur per aspectum [h] in rem propinquam, aliquando vero ultra in longinquum et iterum aliquando ulterius, sicut in nobis sensibiliter experimur: sic isti dixerunt quod omnis virtus naturaliter agens, saltem corporalis, habet aspectum virtualem non solum ad superficiem corporis sibi immediate praesentis, sed ad totum medium usque ad terminum ultra quem ab [i] eo nulla potest sequi impressio [k]. Quia autem aspectus cuiuscunque virtutis non potest aspiciendo attingere seu aspicere id [l] quod est a se remotius, nisi prius naturali ordine, non tempore, aspiciat id quod est [m] propinquius: ideo dicunt isti [n] quod licet a virtute agentis [o] sit tota impressio, pars tamen posterior praesupponit priorem; non quia [p] ab ea sit, sed quia [q] virtus agentis prius efficit partem priorem quam partem posteriorem, prius, inquam, natura non tempore, sicut prius aspicit partem patientis priorem quam posteriorem.

Isti autem moti sunt ex parte impressionis genitae et ex parte virtutis activae seu ipsius agentis et ex parte potentiae [r] passivae seu subiecti [s] patientis.

Ex parte quidem impressionis genitae. Dicunt enim quod ex positione priori [t] sequitur in partibus impressionis [u] esse actualem partium infinitatem et ex partibus indivisibilibus in eis fieri [v] continuitatem, immo nullam in partibus esse continuitatem nec speciei seu [x] generis identitatem et [y] adhuc ex ea [z] sequi contrariae positionis veritatem [a]. Certum est enim quod omne genitum ab aliquo sicut a causa vere [b] et proprie efficiente est simpliciter [c] distinctum ab eo [d] in essentia et in esse; impossibile est

---

[a] B[6] *in.* [b] B[3] *inclinantur* pro *h. i.* [c] B[6] *procedunt.* [d] B[3] *quaedam impulsio* pro *q. i.* [e] B[3] om. *q. m.* [f] B[6] *contingens locum suum* pro *a. s. l.* [g] B[3] add. *sensitivus.* [h] Al. m. corr. [i] Add. interl. al. m. [k] Al. m. mg. *nulla... impressio;* B[3] *quare* pro *Quia.* [l] B[6] B[3] *illud;* idem subinde. [m] Ita B[3], V om. [n] B[6] *ipsi.* [o] B[6] *agente.* [p] B[6] B[3] *quod.* [q] B[6] om. [r] B[3] *activae et potentiae* pro *a. s. i. a. e. e. p. p.* [s] Ita B[6], V *substantia,* B[3] om. [t] B[3] om. *genitae... priori.* [u] B[3] om. *i. p. i.* [v] B[3] om. *i. e. f.* [x] B[3] *nec.* [y] B[6] *sed.* [z] B[6] *ipsa.* [a] B[3] *sequitur contrariae positionis veritas* pro *s. c. p. v.* [b] B[3] om. [c] B[3] *similiter.* [d] B[6] add. *et.*

enim quod efficiens cum suo effectu constituant unum ens. — Item omne generans est vere actu existens prius naturaliter quam suum genitum; si igitur pars lucis prior gignit sequentem [a]: ergo omnis pars posterior est actu distincta ab omni priori se [b] et omnis prior ab omni posteriori se; omnes igitur [c] quas per divisionem continui est possibile [d] ibi dare in infinitum, omnes sunt ibi actu distinctae et ita actu infinitae et distinctae, actu signantes [e] partes subiecti seu medii infinitas.

Praeterea, omne generans habet aliquod unum primum et immediate [f] genitum, et eodem modo omne genitum aliquod unum per se generans primum et immediatum [g]; ergo pars impressionis genita [h] in superficie immediate [i] coniuncta [k] superficiei ipsius agentis habet aliquam [l] partem post se totaliter et immediate ab ea genitam. Aut igitur illa est simplex aut habet intra se partem priorem et partem [m] posteriorem. Simplex quidem esse non potest, nisi post superficiem possit sequi [n] alia superficies immediate in qua existat [o] haec pars immediate genita ab illa [p] quae primo [q] erat genita [r] ab ipso principali agente; et si simplex esset, tunc sequitur [s] actualis partium infinitas et ex indivisibilibus continuitas aut potius nulla continuitas. Si autem pars immediate genita est composita ex priori et posteriori, tunc sequitur contrariae positionis veritas; quia tunc posterior huius partis immediate genitae non erit [t] genita a sua parte priori, sed potius utraque ab una et eadem primo et [u] immediate. Et hoc quidem simpliciter, ut dicunt, oportet concedi quod post quamcunque partem simplicem seu superficialem sit aliqua [v] ab ea immediate genita quae habeat [w] partem priorem et posteriorem per modum continuitatis, divisibiles [x] in infinitum in priores et posteriores [y]; pro eo quod post superficiem non sequitur [z] nisi profundum nec

---

[a] B³ *sequentes.* [b] B³ om. bis *se.* [c] B⁶ add. *partes;* B³ *ergo.* [d] Ita B⁶, V *posse,* B³ om. [e] B³ *significantes.* [f] Ita B⁶, V *immediatum* al. m. ex *mediatum.* [g] B⁶ *omne genitum per se habet aliquod unum immediatum et generans primum* pro *omne genitum... immediatum.* [h] B³ *genitae.* [i] B³ om. [k] Ita B⁶ B³, V add. mg. al. m. *in.* [l] B³ *aliam.* [m] B⁶ *partem intra se priorem et posteriorem* pro *intra... partem.* [n] B⁶ add. *aliqua.* [o] B⁶ *existeret.* [p] B³ *ipsa.* [q] B⁶ *prior.* [r] B³ om. [s] B⁶ *sequeretur.* [t] B⁶ *est.* [u] Add. interl. al. m., B³ *sed.* [v] B³ *alia.* [w] B⁶ *superficiem simplicem, si aliqua est ab ea genita immediate, oportet quod habeat* pro *superficialem... habeat.* [x] B⁶ *et divisibilitatis.* [y] B³ om. *e. p.* [z] B³ *est.*

post indivisibile [a] nisi divisibile immo non erit in toto profundo dare aliquam immediate genitam nisi [b] compositam ex priori et posteriori, cum in toto continuo non sit dare aliquod indivisibile actu nisi forte [c] in extremitatibus suis. Oportebit igitur [d] quod multae generantes immediatae et primae habeant partes priores et posteriores quae omnes [e] immediate attingent ad eam quae generabitur, et eodem modo quod multae sint primo immediate genitae quae habeant partes priores et posteriores [f] immediate genitas [g] ab una generante. Et oportebit cum hoc quod quot erunt ibi priora et posteriora [h], tot sint actu generantia et genita [i]. Ex quo enim prior semper gignit posteriorem, generare autem actu non possit quod non est actu: oportebit omnes [k] prius ibi esse in actu [l] et non solum in potentia ipsasque generationes omnium priorum et posteriorum ibi esse in actu quarum una non erit alia.

Impossibile etiam erit quod generatio possit transire vel pervenire ab uno termino subiecti seu medii in alium terminum seu punctum, quantumcunque modicum distans, nisi essent sibi omnino immediata. Ex quo enim pars prior semper generat posteriorem, non devenietur ad generationem quae erit in puncto seu in termino ad quem, nisi prius sint completae infinitae generationes per ordinem se habentes. — Non etiam erunt, ut dicunt, partes impressionis eiusdem generis speciei, sicut nec lux solaris est eiusdem generis vel speciei cum suo radio, cum non sint univoca, sed potius analoga. Nullum enim generans alterum secundum essentiam et esse videtur posse [m] esse univocum cum eo [n], quoniam essentia talis geniti dependet totaliter ab essentia talis generantis. Si autem [o] partes impressionis aequaliter participarent rationem seu speciem [p] suae essentiae et naturae respectu utriusque, utrumque [q] esset aequaliter independens, ita quod sicut essentia generantis non dependet [r] a genita, ita [s] nec essentia geniti, postquam esset in actu.

Amplius, nulla virtus ad unum determinatissima habet diversos per se effectus in specie vel genere; sed impressio

---

[a] Al. m. mg. [b] B[3] *non.* [c] Corr. interl. [d] Ita B[6] B[3], V add. *et.* [e] B[3] om. *immediatae... omnes;* B[6] *primo* pro *primae.* [f] B[3] om. *e. p.* [g] B[3] *genitae.* [h] Al. m. mg. *e. p.* [i] B[3] *generata.* [k] Ita B[6], V *omne;* infra B[6] om. *ibi* et idem subinde. [l] Al. m. mg. *oportebit... actu.* [m] B[6] *potest* pro *v. p.* [n] B[6] add. *a quo dependet.* [o] B[6] *enim.* [p] B[6] *speciem seu rationem* pro *r. s. s.* [q] Ita B[6], V om. [r] B[6] *pendet.* [s] B[6] *sic.*

agentis est determinatissima, quoniam est applicatissima [a] ad agendum, immo quasi ipsa applicatio; si ergo eius est partem sibi similem generare: ergo eius per se non erit patiens in quo recipitur ad aliam formam movere, et ita impulsus datus lapidi a proiciente non faciet motum [b], sed potius alium impulsum similem sibi [c] nec similitudo genita a calore generabit calorem realem, sed solum [d] speciem caloris similem sibi; nunc autem [e] videmus quod virtutes agentium per impressiones suas movent patientia sua ad formas seu per eas formas de potentia materiae educunt, quod idem est. — Praeterea [f], secundum hoc, quando [g] lapis impellitur, proiciens non impellet nisi superficiem sibi propinquam, et illa impellet partem lapidis sequentem et sic per consequens usque ad finem [h]; quod istis [i] valde videtur absurdum. — Amplius [k], si pars impressionis agit alteram [l] partem, cum modus agendi per incessum rectum sit ei datus [m] a virtute agentis nec sibi conveniat iste modus per aliud quam per essentiam suam, quando inveniet obstaculum vel medium alterius densitatis seu raritatis, quaeritur unde accipit virtutem generandi per incessum non [n] rectum; non enim ratione obstaculi vel alterius medii occurrentis species in aliquo [o] immutatur, cum sit forma simplex quae non potest esse subiectum per se variationis; oportebit igitur, ut isti dicunt, huius aliam causam dare.

Ex parte vero virtutis activae seu ipsius agentis sic arguunt. Omnes enim partes virtutis agentis non solum quae in superficie sunt [p] sed etiam quae in profundo concurrunt et cooperantur ad efficaciam actionis seu impressionis; non enim ignis calefacit tantum [q] per calorem qui est in superficie, quia tunc semper [r] modicissime calefaceret, sed ad hoc concurrit totus calor qui in eius profundo est; et idem est de gravitate et levitate et consimilibus; sed hoc esse non potest, nisi per virtualem aspectum attingant efficaciter ubi substantialiter non sunt. — Praeterea [s], posito quod pars prior [t] impressionis producat posteriorem: hoc facere adhuc non potest nisi in virtute principalis agentis; ergo oportet quod virtus principalis agentis [u] attingat virtualiter ad omnia ad

---

[a] B[6] *applicata.* [b] B[6] add. *realem lapidis motum vel iactum.* [c] Al. m. mg. *s. s.* [d] B[6] om. [e] B[6] *enim.* [f] B[6] *Item.* [g] B[6] *cum.* [h] B[6] *sic usque in infinitum* pro *sic... finem.* [i] Ita B[6], V *isti.* [k] B[6] *item.* [l] B[6] *aliam.* [m] B[6] *ordinatus* pro *e. d.* [n] B[6] *nec.* [o] B[6] *enim in nullo* pro *i. a.* [p] Ita B[6], V om. [q] Ita B[6], V *causatum.* [r] Add. interl. al. m. [s] B[6] *Item.* [t] B[6] *prima.* [u] Al. m. mg. *ergo... agentis.*

quae attingunt instrumentalia agentia. — Amplius [a], maioris efficaciae est in agendo virtus [b] agentis quam impressio ab ea immediate [c] genita quae est in superficie agenti immediate coniuncta; sed ista [d] oportet quod attingat usque ad aliquem certum terminum profunditatis quae post superficiem illam sequitur; non enim est dare aliquid indivisibile quod immediate sequatur [e] illam superficiem; nulli autem parti illius profundi, quantumcunque modicae, potest ipsa esse praesens per suam essentiam; ergo cum ibi agat, oportet quod sit praesens virtualiter et non substantialiter; ergo multo magis virtus agentis hoc poterit; et tunc quanto maior et intensior, tanto in [f] longinquius attingere poterit, et ita si est ineffabiliter maior, sicut [g] est virtus solis respectu globi ignei, ineffabiliter [h] remotiora virtualiter iuxta modum praedictum attingere poterit. — Praeterea [i], diversorum agentium secundum speciem et genus diversi debent esse effectus primi et immediati; unde principali agenti alia actio genere competit et alia agenti instrumentali, et idem effectus in specie habent eandem [k] causam in specie; ergo actio quae procedet immediate ab impressione [l] agentis alia erit [m] genere ab illa quae procedet [n] immediate a virtute [o] agentis, quoniam impressio et virtus a qua exit non sunt univoca, sed analoga; omne igitur quod erit [p] univocum cum quacunque parte impressionis erit immediate [q] a virtute agentis.

Ex parte vero potentiae passivae seu subiecti patientis propositum suum sic astruunt [r]. Potentia enim passiva ipsius patientis non est superficies nec dicit aliquid quod sit superficiale seu [s] habens simplicitatem superficialem [t], in quantum tale; cum ergo oporteat virtutem agentis praesentem esse potentiae passivae ipsius patientis potius quam superficiei patientis [u] et cum oporteat virtutem praedictam sibi esse praesentem potius virtualiter quam superficialiter seu quam secundum superficiem agentis — tactus enim mathematicus seu superficialis non est causa actionis et passionis, alias caelum pateretur ab igne, sed tactus naturalis

---

[a] B[6] *Item.* [b] B[6] add. *principalis.* [c] B[6] add. *agenti.* [d] B[6] *quae* pro *s. i.* [e] Al. m. mg.; B[6] add. *ad.* [f] B[6] om. [g] B[6] *ut.* [h] B[6] add. *in.* [i] B[6] *Item.* [k] B[6] *habent eandem habent,* V *habet eandem.* [l] B[6] *virtute.* [m] B[6] *est.* [n] B[6] *procedit.* [o] B[6] *impressione.* [p] B[6] *est.* [q] B[6] ponit *immediate* post *agentis.* [r] B[6] *probant sic propositum* pro *p. s. s. a.* [s] B[6] *vel.* [t] B[6] *in superficie vel superficiale.* [u] Al. m. mg. *p. q. s. p.*

seu virtualis —: videtur igitur [a] istis necessario ponendum quod virtus agentis attingat virtualiter in profundum patientis, quamvis ibi [b] non sit substantialiter seu [c] secundum suam substantiam, hoc est, quod sit praesens in ratione agentis seu agere et movere potentis et non in [d] ratione coexistentis; quod non est aliud secundum istos nisi quod virtus est ita efficaciter inclinata in partem longinquam patientis quod immediate potest ab ea impressio sequi, ita quod immediatio excludat [e] causam aliam intermediam, sed tamen non effectum [f] intermedium; sicut enim motor caeli non potest movere stellam ab oriente in occidens, nisi prius [g] moveat ad situm intermedium, et tamen uterque motus seu impulsus ab eo immediate causatur: ita suo modo et hic ponunt, hoc excepto quod pars posterior motus praeexigit aliam priorem [h] tempore et nondum est vel fit, hic vero e [i] contrario.

Causam vero praedictae [k] difficultatis, quare scilicet modus agendi per incessum non rectum varietur ratione obstaculi intervenientis vel medii alterius densitatis vel raritatis [l], conantur isti reddere per hunc modum [m]. Volunt enim quod variatio [n] aspectus virtutis quae est in agente est causa variationis quae fit et apparet in ipsa impressione, virtutis autem aspectum dicunt posse variari interventu obstaculi vel medii, quamvis virtus ipsa per essentiam suam non sit praesens medio vel obstaculo, quia hanc variationem effective dicunt fieri a natura ipsius virtutis, occasionaliter vero [o] per modum obiecti vel termini ab obstaculo vel a [p] medio. Sicut enim gravitas, cum est praesens subiectum suum centro, figitur in eo, cum vero est longe, habet se per modum tendentis ad ipsum et tunc aspicit distantiam intermediam ut medium ab ea pertransibile, centrum vero ut terminum aptum suam inclinationem figere et quietare, et tamen centrum secundum veritatem non facit fixionem in ipsa nisi solum in quantum terminus, quoniam gravitas ipsa est quae tam se quam subiectum suum figit, nec centrum est aliqua [q] talis natura quae possit hanc fixio-

---

[a] Ita B[6], V om. [b] B[6] om. [c] B[6] *praesens* pro *s. s.* [d] B[6] om. [e] B[6] *excludit.* [f] B[6] *sed non effectum alium* pro *s. t. n. e.* [g] B[6] *primum.* [h] Ita B[6], V *alterum* pro *a. p.* [i] B[6] om. [k] Al. m. ex *praedictam.* [l] Al. m. ex *caritatis.* [m] B[6] *sic* pro *p. h. m.* [n] B[6] add. *et.* [o] B[6] *autem.* [p] B[6] om. [q] B[6] *om.*

nem effective causare, non dicam solum in forma gravitatis sed nec in subiecto eius [a]: sic aspectus virtutis corporalium agentium aliqua aspicit ut pertransibilia seu ut a se penetrabilia quae dicuntur respectu eius media, aliqua vero ut impertransibilia. Quando igitur aspectui [b] obicitur aliquid quod penetrare seu pertransire non potest, et hoc, antequam sit terminata [c] tota inclinatio sua seu efficacia virtualis qua potest virtualiter et per modum agentis attingere in longinquum usque ad certum terminum distantiae sibi [d] a natura praefixum [e] secundum mensuram suae quantitatis virtualis: impetus inclinationis seu [f] aspectus sui naturaliter dirigitur ubi potest, non quod haec variatio fiat in ipso aspectu localiter, acsi localiter usque ad obstaculum veniret et localiter ab eo in aliam [g] partem reflecteretur; sed sicut virtus naturae per modum agentis aspicit suum patiens in longinquum et aliquid aspicit ut medium, aliquid ut fixivum [h] terminum: sic per eandem naturam obstaculo posito vel medio variato mutat modum aspiciendi, sicut in aspectu visus nostri sensibiliter experimur [i]. Haec autem mutatio non fit in aspectu ipsius virtutis nisi secundum illam virtualem sui [k] protensionem qua ultra obstaculum aptum natum erat in directum protendi, et eodem [l] modo fit acsi localiter veniens ad obstaculum realiter ab obstaculo reperciuteretur; sicut in reverberatione proiectorum videmus quod [m] aspectus virtutis ita virtualiter resilit ab obstaculo per naturam propriae inclinationis acsi ab eo moveretur; et sic secundum istos, quando intrat medium densius, fiunt quaedam aspectus resilitiones [n] ratione aliquantulae impenetrabilitatis suae, sed non omnino sic in oppositum quin facta resilitione tendat in profundum; sicut ambulantes offendendo in lapidem aliquando violenter retrocedunt, aliquando autem [o] ultra procedunt, non tamen recte sed a latere. Quanto [p] autem medium est subtilius, tanto a virtute est [q] penetrabilius, et ideo simpliciori modo et magis unito per illud aspicit; quanto autem densius, tanto minus penetrabile, et ideo aspectus per illud disgregatur. Et haec est causa secundum istos quare mutat incessum rectum, quando

---

[a] B[6] *ipsius.* [b] B[6] *cum igitur aspectui isti* pro *q. i. a.* [c] B[6] *determinata.* [d] B[6] *ei.* [e] Sequitur ras. [f] Corr. interl. [g] Al. m. corr. [h] B[6] *fixum.* [i] Sequitur ras. [k] B[6] om. *v. s.* [l] B[6] *eo.* [m] Ita B[6], V *quia.* [n] B[6] *quidam aspectus resilitionis* pro *q. a. r.* [o] Ita B[6], V *vero et si.* [p] B[6] *sed quasi a latere Quantum* pro *s. a. l. Q.* [q] Add. interl. al. m.

a subtiliore medio venit ad densius vel e contrario: quia enim in simpliciori medio habet aspectum magis unitum, ideo quando ab illo [a] venit ad densius, disgregatur et accipit latiorem incessum, et ideo tunc dicitur frangi incessus a perpendiculari, scilicet [b] elongando se a perpendiculari vel potius ab axe quae est linea media ipsius aspectus et [c] omnium rectissima seu eius axis, eo modo quo est ibi intelligere lineam sive axem; quando vero a densiori venit in [d] subtilius, incipit acui [e] eius aspectus seu congregari, et [f] ideo tunc dicitur frangi versus perpendicularem seu potius versus axem activi aspectus [g], quoniam quanto magis aspectus coadunatur versus illam, tanto magis unitur. Nisi autem aspectus agentis intelligatur variari, ut aliquod patiens aspiciat nunc quod prius non aspiciebat, non potest secundum istos reddi ratio quare species nunc generatur longinquius a perpendiculari nunc propinquius; posito enim quod una pars speciei generet alteram: prius naturaliter oportet intelligi quod aspiciat suum immediatum [h] patiens quam quod [i] agat in illud; igitur si occurrat ei nunc densius medium nunc subtilius, habebit aspectum nunc strictiorem nunc latiorem, alias non diffundet nec aget [k] speciem suam nunc in partes remotiores a perpendiculari nunc in propinquiores.

Quae autem istarum opinionum sit verior non est meum definire, und hoc sapientiorum iudicio derelinquo praeter hoc quod prima communior est, prout credo.

[Solutio obiectorum]

Ad argumenta tamen [l] superius facta facile est respondere.

Ad illud enim quod contra primam opinionem obicitur [m] dicendum quod adamas influxum per quem trahit ferrum causat per intermedium influxum factum in aere intermedio [n], influxus tamen qui in aere recipitur non trahit aerem [o], quia aer non est aptus moveri motu [p] tractus per

---

[a] B[6] *isto.* [b] Ita B[6], V *seu.* [c] B[6] *perpendiculari quae est linea media ipsius aspectus scilicet elongando se a perpendiculari quae est* pro *perpendiculari... et.* [d] Al. m. mg.; B[6] *ad;* al. m. corr. *subtilius.* [e] Ex *actui.* [f] B[6] om. [g] B[6] om. *seu... aspectus;* B[6] *quia* pro *quoniam.* [h] B[6] add. *numeratam.* [i] Ita B[6], V om. [k] B[6] *ageret nec ageret* pro *d. n. g.* [l] B[6] *autem.* [m] B[6] *arguebatur.* [n] B[6] *medio.* [o] Al. m. mg. *n. t. a.* [p] Sequitur ras.

talem influxum, sicut est ferrum; sicut lux solis vere influit lucem in corpora caelestia nec tamen transmutat [a] ea, educendo in eis de potentia formas varias, sicut facit elementaria, quia illa non sunt apta per illum influxum sic [b] moveri sicut ista. — Et ad illud [c] de centro posset eodem modo responderi, quamvis verius sit quod centrum non trahit molem terrae, sed potius moles terrae per virtutem suae gravitatis tendit ad centrum. Utrumque autem, et quod adamas trahat [d] ferrum et quod locus non trahat [e] locatum, alibi et non hic habet ostendi, quamquam ab Aristotele [1] pro tanto locata a locis suis dicantur [f] trahi, quia sic ad illa tendunt acsi ab eis [g] traherentur.

Ad primum [h] vero alterius partis et ad [i] secundum et tertium dicendum quod non plus cogunt, nisi quod oportet quod virtus non possit habere aspectum virtualiter protensum ad longinqua, nisi per naturalem ordinem sit praesens propinquioribus; quamvis non sit simile de divina virtute in qua non est dare [k] protensionem, sed summam absolutionem, et ideo quicquid attingit virtualiter [l] attingit vere essentia et suppositum suae virtutis.

Ad quartum dicendum quod etsi [m] virtus non potest alicubi esse ubi non est sua essentia, potest tamen per modum potestativi [n] agentis alicubi [o] attingere ubi ipsa non existet secundum opinionem secundam.

---

[a] B[6] *immutat.* [b] B[6] om. [c] B[6] *Ad aliud* pro *E. a. i.* [d] B[6] *trahit.* [e] Ita B[6], V *non locus* pro *l. n. t.* [f] Ita B[6], V *dicatur.* [g] B[6] *illis.* [h] Ita B[6], V *primae.* [i] B[6] om. [k] B[6] add. *aliquam.* [l] B[6] om. [m] B[6] *si.* [n] B[6] *protensionis.* [o] Sequitur ras.

---

[1] *De caelo,* IV, 3, 310a 16sqq.; IV, 4, 311a 15sqq.

QUAESTIO XXIV.

Secundo [a] quaeritur an species seu similitudo agentis quae ipsius impressio dicitur educatur de potentia materiae seu patientis vel fiat [b] solum per simplicem influxum agentis [c].

Quod autem educatur de potentia materiae videtur.

Aut enim educitur de potentia patientis aut de substantia agentis aut de nihilo; de nihilo est impossibile, quia tunc virtutes creatae crearent vere suas species; de substantia etiam [d] agentis est impossibile, quia tunc forma mutaret suum subiectum et agens agendo perderet aliquid quod prius erat in ipso; ergo oportet quod fiat de potentia patientis.

Contra: Omne quod educitur de potentia materiae educitur pro motum; sed motus non educitur per motum, quoniam motus non est motus; ergo nullus motus educitur de potentia materiae; sed impressiones agentium aut sunt motus aut praecedunt eos [e]; ergo et cetera.

[Respondeo]

Ad quaestionem istam quidam dicere voluerunt quod omnis impressio [f] agentium et universaliter omne quod fit per agens creatum [g] educitur de potentia materiae innitentes praemissae [h] rationi. In tantumque [i] positionem suam praetenderunt [k] quod dixerunt species colorum [l] et luminum vere in medio misceri mixtione naturali, quemadmodum in mixto miscentur primae qualitates, et quod omnes formae substantiales corporum caelestium, mineralium et corporum anima-

---

[a] B[6] om. [b] B[6] *educatur.* [c] B[6] *ipsius.* [d] B[6] *autem.* [e] B[6] *ipsos motus.* [f] B[6] *dicunt quod similitudines* pro *dicere... impressio.* [g] Ita B[6], V *causatum;* praecedit ras. [h] B[6] *praedictae.* [i] B[6] *et in tantum* pro *i. t.* [k] B[6] *praetendunt.* [l] Ita B[6], V *caelorum.*

torum educunt de potentia medii sibi similes, ita quod in aere est dare aliquid de veritate omnium formarum quae speciem suam in eo imprimere possunt, non tamen complete, et hoc non est nisi propter [a] defectum patientis.

Via autem ista aliis sapientioribus non placet communiter.

Primo quidem: quia patiens ab agente non movetur ad formam educendam nisi [b] per inclinationem seu impulsum per quam patiens inclinatur et impellitur ad terminnm seu formam per motum [c] introducendam, sicut videmus in proiectis et in motu elementorum in quibus sequuntur motus quasi per naturalem resultantiam [d] ad inclinationes naturales seu impulsus eis datos [e] a generante, quae sunt gravitas et levitas; et ita motus proiectorum sequuntur necessario ad impulsus seu inclinationes violentas [f] datas a proiciente. Inclinationes igitur illae impossibile est quod sint eductae de potentia materiae quae praecedunt omnem motum; quas oportet esse plures [g], alias omnem motum [h] praecederet alius motus, et sic in infinitum. Si enim est dare motum quem in eodem mobili non praecedit [i] alius motus tanquam eius [k] causa: multo magis oportet dare inclinationem causantem motum, non [l] causatam per motum sui mobilis. Illud autem solum de potentia materiae educitur quod fit per motum; non enim fiunt istae eductiones nisi movendo materiam de una forma ad aliam. Cum igitur impressiones agentium sint illud quod primo fit ab agente in patiens et per quod movetur ad formam: necesse est quod non sint eductae de potentia materiae.

Secundo patet hoc idem: quia [m] omne quod fit per motum habet aliquo modo oppositum; terminus enim a quo incipit motus semper [n] est aliquo modo contrarius termino ad quem; si enim [o] mobile a pura privatione seu negatione ducatur ad formam, hoc non poterit fieri nisi in instanti, quoniam [p] inter formam et puram privationem seu negationem non est dare medium. Omnis autem motus dicit medium inter terminum a quo et terminum ad quem. Nihil autem quod educitur de potentia materiae per agens creatum potest fieri [q]

---

[a] Ita B[6], V *nisi propter defectum agentium sed* pro *est nisi.* [b] Ita B[6], V om. [c] Al. m. mg. *p. m.* [d] B[6] *resultationem.* [e] Ita B[6], V *datas.* [f] B[6] *violenter.* [g] B[6] om. *q. o. e. p.* [h] Al. m. mg. *quas... motum.* [i] B[6] *praecedat.* [k] B[6] *sua.* [l] B[6] *et non.* [m] Ita B[6], V *quod.* [n] B[6] om. [o] B[6] *autem.* [p] B[6] *quia.* [q] B[6] add. *vel induci.*

in instanti, quoniam in instantaneis [a] fieri non praecedit [b] esse nec est aliud ab eo. In omnibus autem quae de potentia materiae [c] fiunt fieri est causa esse et habet se ad ipsum sicut ad [d] suum terminum et est aliud ab eo; fieri enim talium non est, nisi quamdiu agens agit; esse vero [e] talium manet, postquam agens cessat agere; ergo actio quam tunc faciebat [f] agens erat aliud quam esse ipsius formae eductae. Cum etiam esse ipsius formae non fluat ab agente: oportet quod per aliquid aliud quam per fluxum causetur ab agente; et quicquid illud sit, non erit esse ipsius formae nec aliquid eductum de potentia materiae. Cum etiam materiam tendere ad esse formae sit aliud quam ipsum esse et tale quod, quamdiu est, nondum est actu [g] ipsum esse: oportet quod ipsum tendere praecedat ipsum esse non solum natura sed etiam [h] tempore. Omnia igitur quae contrarium non habent in materia in qua fiunt fiunt aliter quam per eductionem de potentia materiae; et omnia quae ab agente [fiunt] fiunt in primo instanti suae actionis, quae plura sunt, sicut in alia quaestione ostendetur.

Tertio patet hoc: quia ea quae educuntur de potentia materiae non dependent ab agentibus quantum ad permanentiam sui esse nisi propter contrarium, quando scilicet [i] est continua necessitas impedire actionem contrariam; sed impressiones primae agentium non manent nec manere possunt, nisi quamdiu agens agit [k]; non enim sunt aliud quam prima actio eorum, sicut infra ostendetur; ergo et cetera.

Quarto patet hoc: quia [l] nullum eorum quae educuntur de potentia materiae [m] potest destrui nisi per generationem alicuius alterius; alias eius corruptio esset pura ipsius annihilatio, nisi haberet aliquo modo aliquod ens pro termino; non ens enim non potest esse terminus motus vel mutationis nisi per accidens, cum terminus motus semper [n] sit aliquid intrinsecum ipsius motus et [o] plus habens de entitate quam ipse motus; contrarius autem motus vel mutatio non potest esse per se nisi a contrario agente. Igitur si lux et ceterae primae impressiones agentium fierent de potentia materiae, non possent destrui nisi per contrariam genera-

---

[a] Al. m. *i. i.* ex *in instantes;* B[6] *quod fit in instanti eius* pro *q. i. i.* [b] Ita B[6], V *praecedet.* [c] Ita B[6], V *materia* pro *p. m.* [d] Al. m. mg. *s. a.* [e] B[6] *autem.* [f] B[6] *facit.* [g] B[6] om. [h] Ita B[6], V *et.* [i] Ita B[6], V om. [k] B[6] *sunt* pro *a. a.* [l] Al. m. [m] Ita B[6], V *materia* pro *p. m.* [n] Al. m., B[6] om. [o] B[6] om.

tionem et contrarii nec nisi per contrarium agens; quorum contrarium communiter experimur.

Illud autem quod de mixtionibus dicunt non videtur, etiam aliis, aliquo modo verum et multo minus illud quod dicunt quod in aere sit aliquid de veritate omnium formarum corporalium eductum de potentia eius. Quod [a] quia non est omnino directe de materia praesentis quaestionis, ad praesens pertranseo.

Dicunt igitur isti quod omnes primae impressiones [b] agentium sic sunt ab agentibus quod non educuntur de potentia subiectorum recipientium nec de substantia agentium materialiter vel substantialiter seu [c] per aliquem defluxum seu transmigrationem alicuius quod prius per essentiam in agente exstiterit. Quod qualiter esse possit sine hoc [d] quod earum productio non sit creatio [e] in responsione argumenti facti ad oppositum [f] iam tangetur [g].

[Solutio Obiectorum]

Dicendum enim ad ipsum [h] quod creatio non dicit factionem alicuius de non ente seu de nihilo secundum omnem modum, sed secundum certas circumstantias; negat enim non solum aliquid materiale seu quasi materiale de quo id [i] quod producitur fiat, sed etiam necessitatem subiecti recipientis actionem, eo modo quo agentia creata [k] non possunt agere, nisi virtutes eorum activae sint conversae et inclinatae ad [l] subiecta recipientia. Unde creatio est opus virtutis absolutissimae, non exigentis necessario nec materiam de qua nec materiam in qua. Impressiones igitur agentium creatorum non fiunt per creationem; quoniam etsi [m] actio eorum [n] non exigat materiam de qua, exigit tamen materiam in qua. Alias, si omne quod sic producitur quod eius essentia et quidditas secundum se nullo modo prius erat [o] nec in se nec in altero dicitur creari — quia pro tanto fit de nihilo quod ipsum secundum se nullo modo prius erat —: hoc non esset aliud dicere quam quod omnis actio esset creatio et sic quod nul-

---

[a] B[6] *sed.* [b] Al. m. in ras. *o. p. i.* [c] B[6] om. [d] B[6] *ita* pro *s. h.;* V B[6] *eorum.* [e] B[6] add. *patet.* [f] Ita B[6], V *propositum.* [g] B[6] om. *i. t.* [h] B[6] *Ad argumentum igitur dicendum* pro *D. e. a. i.* [i] B[6] *illud.* [k] B[6] om. [l] Add. interl. al. m.; sequitur ras. [m] B[6] *si.* [n] Ita B[6], V *earum;* B[6] *exigit* pro *exigat.* [o] B[6] *erant.*

lum creatum aliquid agere posset; quia terminus [a] omnis actionis nullo modo secundum se prius erat, in quantum terminus nec secundum id [b] quod per se est terminus, alias terminus factionis, in quantum talis, prius esset ens, quod est manifeste [c] contra rationem factionis. Unde etiam illi qui ponunt quod essentiae [d] formarum quae per motum educuntur erant prius in materia omnino negant, sicut et negare coguntur, quod ipsae essentiae quae prius erant in materia non sint per se terminus eductionis formarum [e], sed solum esse ipsarum seu formae quantum ad esse solum; quod esse omnino negant [f] fuisse prius in materia secundum se, nisi pro tanto solum dicatur ibi fuisse, quia poterat inde educi. Quodsi omnino aliquis quaerat de quo fit vel [g] est talis impressio vel talis forma, in quaerendo ridiculosus est, cum de nullo esse ponatur, nisi solum [h] pro tanto quod [i] est effective ab agente creato et ad eius productionem et esse concurrit subiectum [k] recipiens; unde talis quaerit meram falsitatem quaerendo [l] illud quod omnino inveniri non potest; sic enim et [m] posset quaerere: de quo est substantia rerum creatarum.

Quidam tamen nisi sunt aliquando evadere [n] ad praedictum argumentum, ad illud [o] dicendo quod erat ab agente originaliter; et videbantur velle dicere quod esse ab aliquo originaliter aliquid amplius dicat quam esse ab aliquo effective. In hoc tamen statim ridiculosa apparebat eorum assertio, quia non poterant respondere quid addebat aut in quo differebat.

---

[a] B^6 *finis.* [b] B^6 *illud.* [c] B^6 *maxime.* [d] Ita B^6, V *essentia.* [e] B^6 om. [f] Ita B^6, V add. *non.* [g] B^6 om. *f. v.* [h] B^6 om. [i] Ita B^6, V *quia.* [k] B^6 *obiectum.* [l] Ita B^6, V *et ideo.* [m] B^6 om. [n] B^6 *evadere aliquo modo* pro *a. e.* [o] V *et ad hoc* pro *a. i.* quod habet B^6.

QUAESTIO XXV.

Tertio [a] quaeritur an ipsa species seu [b] similitudo agentis sit idem quod eius actio.

Et quod non videtur.

1. Omne enim realiter aliquid denominans [c] videtur aliquid realiter ponere in ipso; sed actio realiter denominat agentem; ergo aliquid reale ponit in ipso; sed species non est in agente, sed solum in patiente; ergo et cetera.

2. Item, obiectum et actus semper differunt realiter; sed omnis ratio videtur habere pro obiecto id [d] quod fit, agit [e] enim id quod fit omne agens; sed species est vere id quod fit ab agente; ergo et cetera.

3. Item, causa et effectus semper realiter differunt; sed actio est causa speciei et eius quod fit ab agente, alias falso diceretur quod agens agit quicquid agit [f] per actionem suam.

4. Item, actio non videtur dicere aliquam essentiam absolutam et maxime talem quae possit [g] dici similitudo agentis [h]; non enim videtur dicere nisi rem verbalem quae non dicit aliud quam facere vel fieri, non autem rem nominalem quae dicit id [i] quod dicit per modum quietis [k] et formae quiescentis.

5. Item, impossibile [l] videtur quod idem secundum idem [m] sit in quatuor praedicamentis; sed si actio et species [n] sunt idem, tunc ipsa erit in praedicamento qualitatis, cum sit quaedam qualitas, et in praedicamento relationis, cum sit similitudo agentis, et in praedicamento passionis, cum sit recepta in patiente, et in praedicamento actionis; qua ratione enim, in quantum est ab agente, erit idem quod actio: eadem ratione, in quantum recipitur in patiente, erit idem quod passio [o].

---

[a] B[6] om. [b] B[6] om. *s. s.* [c] B[6] *quod realiter denominat aliquid* pro *r. a. d.* [d] B[6] *illud;* idem subinde. [e] Ita B[6], V add. in mg. *enim id quod fit agit.* [f] B[6] om. *q. a.* [g] B[6] *posset.* [h] B[6] om. [i] B[6] om. [k] B[6] *actus.* [l] Al. m. in ras. [m] Al. m. mg. *s. i.* [n] B[6] add. *vel similitudo.* [o] B[6] *in quantum recipitur in patiente erit idem quod passio, eadem ratione, in quantum est ab agente, erit idem quod actio* pro *in quantum recipitur... passio.*

6. Item, impossibile est quod realiter opposita sint realiter idem; sed actio et passio sunt realiter opposita, in quantum talia [a]; ergo impossibile est quod sint realiter idem; sed si actio et passio sunt idem quod ipsa species, tunc sunt idem inter se realiter; ergo et cetera.

7. Item, idem de se potest semper verissime praedicari; sed actio non [b] potest praedicari de specie nec de passione; non enim videtur proprie aut vere dici quod illuminari sit ipsum illuminare aut quod lumen sit idem quod [c] ipsum illuminare seu idem quod ipsum lumen producere; ergo et cetera.

Contra: 1. Omne [d] quod prius non erat et modo est est de novo factum; sed actio non erat, antequam esset passio seu ipsa species aut antequam esset id [e] quod fit ab agente, cum in quantum talia sint correlativa et correlativa sint simul natura, et etiam quia nunquam vere [f] dicimus quod agens agat, nisi aliquid in patiente [g] agatur et fiat; ergo actio vere dicet aliquid de novo factum; sed omne factum habuit causam suae factionis, et omne immediate factum ab agente creato fuit factum in aliquo recipiente super quo virtus erat prius naturaliter conversa et inclinata; ergo actio erit vere effectus alicuius causae agentis et vere informans aliquod subiectum tanquam in ipso recepta [h]; ergo ipsa erit vere obiectum agentis seu id quod fit ab agente et erit vere qualitas, quia et [i] vere recepta in subiecto et vere ipsum informans et vere similitudo agentis, quia omnis effectus immediatus est similitudo suae causae.

2. Item, impossibile est quod unus [k] effectus sit a duabus causis secundum eundem modum; omne autem quod fit ab agente habet virtutem agentis pro causa efficiente; ergo non habebit actionem pro causa efficiente secundum eundem modum, nisi quis ipsam virtutem agentem vocet actionem; ergo oportebit, si utrumque se habet in ratione causae efficientis [l], quod unum se habeat in ratione causae efficientis principalis et [m] reliquum in ratione instrumentalis; virtus autem [n] non potest poni agens instrumentale [o] respectu suae actionis nec actio respectu virtutis, nisi [p] sit effectus ipsius virtutis et nisi dicat aliquid qualitativum seu virtuale et po-

---

(a) B[6] om. *i. q. t.* (b) In mg. (c) B[6] om. *i. q.* (d) B[6] om. (e) B[6] om. (f) B[6] om. (g) B[6] add. *et.* (h) B[6] *receptum.* (i) B[6] om. (k) Ita B[6], V om. (l) Ex *efficacitatis;* idem subinde. (m) B[6] om. (n) B[6] *enim.* (o) B[6] om. (p) B[6] bis *nisi.*

tens aliquid agere et aliquid sibi simile producere, cum omne instrumentale agens agat in virtute principalis agentis; quod facere non potest, nisi vel quia est ab eo vel quia ab eo movetur; actio autem non dicit aliquid mobile quod possit a virtute moveri, et si diceret, tunc motio eius esset aliud quam ipsa; sed si actio differt a specie, necessario oportet ponere quod sit causa efficiens [a] eius; ergo et cetera.

3. Item, omnis effectus per se est similitudo suae causae proximae et immediatae non minus quam causae remotae; sed si species est a virtute mediante actione, actio erit eius causa proximior et immediatior et causa generans et influens eam, non de potentia materiae educens; ergo species erit vere similitudo actionis et repraesentativa [b] eius; quod est impossibile, nisi actio dicat aliquam virtutem vel qualitatem cui species possit [c] analogice assimilari.

4. Item, actio si dicit aliud [d] a specie seu ab eo quod fit, oportet quod [e] dicat aliquid vere manens in agente et vere ipsum informans; et illud non poterit esse solum relatio, tum quia relatio, in quantum relatio, non potest aliquid agere, tum quia [f] nec potest fieri nisi per alterius productionem in quo fundatur; per actionem autem [g] aliquid agitur et agens potest [h] agere absque hoc quod aliquid absolutum in agente oriatur, dicit etiam actio naturam sui praedicamenti praeter rationem relationis; huiusmodi autem poni non possunt, nisi diceret [i] aliquam qualitatem, et tunc videretur [k] esse omnino idem quod virtus agentis; ergo et cetera.

5. Item, actio et agere idem sunt, ad minus sicut albedo et album esse seu sicut concretum et abstractum, agere autem dicit id quod dicit in fieri seu per modum fieri, non enim est actio, nisi dum fit et in fieri; si ergo ponit aliquid in agente, ponet ibi quoddam [l] fieri; sed hoc est impossibile, si in eo nihil de novo fit; ergo oportet quod id quod dicit, in quantum est idem quod ipsum agere, sit in patiente; sed in patiente nihil est quod sit ab agente immediate et maxime tale quod possit dici eius actio seu eius agere, nisi sit ab eo influxum et in patiente vere receptum; omne autem tale oportet quod dicat aliquid aptum natum recipi et sic

---

(a) Ita B[6], V *effiens*. (b) Ita B[6], V *essentia*. (c) B[6] *possint*. (d) B[6] *si actio differret* pro *a. s. d. a.* (e) In mg. (f) Ita B[6], V om. *tum quia*. (g) B[6] *enim*. (h) B[6] add. *dici*. (i) B[6] *dicant*. (k) B[6] *videtur*. (l) B[6] om.

aptum natum vere [a] informare et quod sit agentis similitudo, cum sit eius effectus, et quod sit influentia vera; ergo et cetera.

6. Item, si agere quo agens agit est aliud necessario a virtute agente [b] et ab eo quod fit in patiente: ergo agere per quod actio agentis facit aliquid in patiente erit aliud ab actione agentis, et sic in infinitum; aut oportebit dicere quod quando dicimus quod agens agit [c] aliquid per actionem, quod le « agere » vel le [d] « agit » non dicat aliquid aliud ab ipsa actione per quam agere dicitur nec le « per » dicat habitudinem causae efficientis respectu eius quod significatur per le « agit »; et nihilominus oportebit quod [e] quando dicimus, « agens agit per [f] actionem », quod idem significetur per le « agere » et per « actionem », alias alia erit actio significata per le « agere » et alia [g] per « actionem », et tunc iterum procederetur in infinitum; ex quibus sequitur quod agere vel actio sint omnino idem quod primus effectus agentis; sed primus eius effectus est species; ergo et cetera.

7. Item, omnis virtus perfecta ad agendum actualissima est per se sufficiens ad suam similitudinem producendam in patiente absque aliquo alio coefficiente [h], ut lux ad influendum lumen; ergo virtus perfecta non indigebit actione aliqua intermedia ad suam similitudinem producendam.

[Respondeo]

Hanc quaestionem videtur Aristoteles determinare, III *Physicorum*, ubi dicit [1] quod movere et moveri, agere et pati sunt idem secundum rem, differentia solum secundum rationem, et ubi dicit quod idem motus est actus [i] mobilis et motoris, sed non secundum eandem rationem, quia unius est ut efficientis, alterius ut subiecti, impossibile est enim quod idem motus sit in utroque ut in subiecto.

Et secundum hoc essent concedendae rationes factae superius pro hac parte, quae non [k] modicam efficaciam aliquibus habere videntur.

---

[a] B^6 om. [b] B^6 *agentis*. [c] Sequitur ras. [d] Al. m. mg. [e] Corr. interl. [f] Ita B^6, V om. [g] B^6 om. [h] B^6 *coexistente*. [i] B^6 om. [k] B^6 om.

---

[1] Cap. 3, 202b 2sqq.

[Solutio Obiectorum]

Et isti ad rationes factas [a] in oppositum sic respondent.

Ad primum enim dicunt quod prima propositio non est vera universaliter; denominantur enim causae frequenter a suis effectibus, sicut movens denominatur a motu, qui quidem [b] est in mobili et non in motore. Et sic est in proposito; denominatur enim agens ab actione quae est ab eo, quamvis non sit in ipso. Pro tanto tamen potest universaliter concedi, quia [c] omne quod realiter denominat ponit in eo quod denominat aut rem per suum nomen significatam aut saltem aliquid consequens vel antecedens ad ipsam; alias quando dicetur, « actio agit vel agens agit actionem », res significata per le « agere » dicet aliquam actionem aliam in ipsa actione et in agente. Praedicto autem modo dicunt magistri quod verificatur propositio qua secundum fidem nostram dicitur quod Pater et Filius diligunt se et nos Spiritu Sancto; tenetur enim ablativus in habitudine effectus aut quasi effectus.

Ad secundum vero dicunt quod id quod immediate est ab agente non est obiectum actionis, sed ipsum patiens; in iis enim quae agunt extra se idem est patiens et obiectum. Si autem aliquis [d] vult hoc quod fit vocare obiectum: adhuc non erit obiectum actionis, sed virtutis agentis, quoniam illius solius [e] est effectus.

Ad tertium dicunt quod actio non est causa speciei, cum sint [f] idem. — Quod autem dicitur quod agens agit quicquid agit [g] per actionem suam: si proprie accipiatur praedicta propositio, distributio [h] illa est accommoda et non simpliciter [i] universalis, unde intelligetur de aliis ab actione; sin autem, le « per » dicet [k] potius habitudinem formae seu [l] causae formalis quam causae efficientis, ut ita dicatur agens actione vel per [m] actionem agens [n] sicut albus dicitur albedine vel per albedinem albus [o].

Ad quartum dicunt quod quamvis actio secundum rationem suam dicat rationem [p] exitus ab agente et rationem fieri, tamen id quod est actio dicit id ipsum quod exit et

---

(a) B[6] *rationibus factis* pro *a. r. f.* (b) Ita B[6], V om. (c) B[6] *quod.* (d) Ita B[6], V *aliquid.* (e) Al. m. mg. (f) B[6] *sit.* (g) B[6] om. *q. a.* (h) Ita B[6], V *destributio.* (i) B[6] *similiter.* (k) B[6] *diceret.* (l) B[6] om. *f. s.* (m) Al. m. mg. (n) B[6] add. *agit.* (o) B[6] om. (p) B[6] add. *esse.*

esse quod vere accipit, et non solum [a] suum exitum nec solum acceptionem sui esse [b]. Isti enim volunt quod pluralitas rationum generalium quarum nulla de se dicit quid sufficienter specificatum [c] ad hoc ut per se possit esse in actu [d] nec in se nec in alio potest comprehendi in una simplici essentia per omnimodam indifferentiam; et tales dicunt esse rationes [e] actionis, passionis, speciei et qualitatis talis quae dicitur influentia seu impressio. Horum autem rationes quas ad hoc astruendum adducunt ad praesens omitto, quia alibi recitavi.

Ad quintum dicunt quod praedicamentorum numerus et differentia quantum ad omnia non sumitur propter differentiam realem, sed aliquando propter differentiam solam rationis realis; et ideo dicunt quod idem secundum differentes rationes potest esse simul in talibus praedicamentis. Talia autem dicunt esse actionem, passionem et relationem; unde haec tria secundum eos possunt concomitare [f] per realem indifferentiam aliud quartum, ut qualitatem. Quorum opinionem cum eorum rationibus et defensionibus [g] alibi recitavi; quamvis non facile sit intelligere quomodo actio et passio dicant differentes rationes a ratione relationum suarum; id enim quod est actio et passio [h] nominat qualitatem et super hoc non videtur [i] addere nisi quosdam respectus ad agens et ad patiens. Unde non immerito dubitat Avicenna in *Physicis* suis [1] super differentia et numero praedicamentorum ab Aristotele et forte [k] ab aliis philosophis [l] assignata.

Ad sextum dicunt quod actio et passio non sunt proprie [m] realiter opposita, cum compatiantur se in eodem et sint idem secundum rem, sed agens et patiens; eo modo tamen opponuntur [n] quo actus et potentia opponuntur. Ratio tamen actionis dicitur opposita rationi passionis, quia eosdem terminos includunt in sua ratione modo opposito. Impressio enim agentis, prout est ab agente in patiens, dicitur actio, sed prout patiens eam recipit ab agente, dicitur passio. Et ita actio agens respicit tanquam primum extremum,

---

[a] B[6] *solam.* [b] B[6] om. [c] B[6] *specificum.* [d] B[6] om. *i. a.* [e] Ita B[6], V *dicuntur esse rationem* pro *d. e. r.* [f] B[6] *comitare.* [g] B[6] om. *e. d.* [h] Ita B[6], V *spassio.* [i] Ita B[6], V *videntur.* [k] Al. m. corr. [l] B[6] om. [m] B[6] om. [n] Ita B[6], V om.

---

[1] Cfr. *Sufficientia,* II 2 (f. 25v a).

patiens vero sicut ultimum; passio vero e contrario, patiens scilicet ut primum extremum, agens vero [a] ut ultimum. Id ipsum enim est quod vere est ab agente et quod [b] vere recipitur in patiens, et ideo id ipsum vere habet has [c] duas rationes, sicut eadem est via a Thebis ad Athenas [d] et ab Athenis usque ad Thebas, habens [e] tamen oppositas rationes simul [f] compatientes se in eodem; non est enim aliud quam idem habens diversas relationes respectu diversorum.

Ad septimum dicunt quod differentes rationes, quando per indifferentiam in eodem comprehenduntur, uno modo possunt veraciter praedicari de se invicem [g], alio modo non. Habendo enim respectum ad essentiam in qua comprehenduntur et secundum quam sunt idem possunt de se invicem praedicari; eo enim modo quo vere dicitur quod movere et moveri sunt idem potest dici quod movere est idem [h] quod moveri et sic [i] quod movere est moveri. Habendo autem respectum [k] ad ipsas rationes quae proprie per nomina significantur sic non vere praedicantur de se invicem; et tunc ex hoc non sequitur quod differant secundum rem, sed quod diversas rationes important. Sic autem respondent magistri, quando quaeritur an intelligere divinum sit suum amare seu an Deum scire res sit idem quod velle.

Quidam vero [l] alii dicunt quod actio non est omnino idem quod species nec idem quod passio. Volunt enim quod exitus quem [m] proprie importat actio et recipi seu receptio quam proprie dicit [n] passio differunt realiter a se invicem [o] et a specie quae exit ab agente et quae recipitur in patiente; aliud est enim secundum eos ipsum exiens a suo exitu et ipsum receptum a sua receptione, sicut et eorum rationes aliae esse videntur.

Et isti faciliter possunt evadere argumenta in oppositum [p], quamvis eorum responsiones expresse non legerim, quia prae-

---

[a] Al. m. mg. *e contrario... vero.* [b] B[6] om. [c] B[6] om. [d] Al. m. corr. [e] B[6] *Athenis Thebas habent* pro *A. u. a. T. h.* [f] B[6] om. [g] B[6] *vere de se praedicari ad invicem* pro *v. p. d. s. i.* [h] Ita B[6], V *id;* al. mg. *id quod.* [i] B[6] om. [k] Al. m. in ras. [l] B[6] om. *Q. v.* [m] B[6] *quam.* [n] B[6] *importat.* [o] B[6] *ipsis.* [p] B[6] *respondere ad argumenta in contrarium* pro *evadere... oppositum.*

dicta argumenta ut [a] plurimum arguunt diversitatem in eis non esse, ita [b] quod actio dicat aliquid diversum manens in agente — quod isti non ponunt, immo negant — aut ex hoc arguunt quod supponunt quod si dicant [c] quid diversum, quod [d] nullo modo sint idem. Isti autem volunt quod licet actio dicat exitum ab agente, comprehendit tamen ipsum quod exit; unde volunt quod ipse exitus sit mere ipsa actio seu ipsum exiens, in quantum est exiens. Et secundum hoc argumenta illa [e] eos fortasse non tangunt.

QUAESTIO XXVI.

Quarto [f] quaeritur an primae impressiones omnium agentium fiant ab eis in instanti.

Et quod non videtur.

1. Illa quorum fieri durat per tempus et mensuratur tempore non fiunt in instanti, sed in tempore; sed fieri harum impressionum est [g] huiusmodi, non enim sunt, nisi quando et [h] quamdiu fiunt; ipsae autem [i] durant per aliquod tempus, alias nunquam essent nobis sensibiles; et ita eodem modo eorum fieri. Prima autem [k] sic probatur: illud enim [l] quod est et fuit non fit, cum fieri naturaliter praecedat esse aut saltem impossibile sit quod esse eius quod fit praecedat suum fieri; sed si ea quorum fieri [m] durat per tempus fierent in primo nunc totaliter, ita quod secundum se tota essent in primo nunc: tunc in sequenti nunc et in toto sequenti tempore fieret esse [n] quod praecessit et quod prius factum est, quia quamdiu durat fieri alicuius rei, tamdiu ipsa fit; ergo et cetera.

2. Item, impossibile est instans immediate sequi [o] post instans [p]; sed hoc sequitur, si impressio fiat [q] in instanti, quia cum impressio seu actio agentis non duret, nisi quamdiu fit, aut semper fiet eadem tota aut semper alia et alia;

---

[a] Ita B[6], V *sicut.* [b] Ita B[6], V om. [c] B[6] *dicat,* om. *quid.* [d] B[6] om. [e] B[6] om. [f] B[6] om. [g] In ras. [h] B[6] om. *q. e;* add. interl. al. m. *et.* [i] B[6] add. *fiunt et.* [k] B[6] om. [l] B[6] om. [m] B[6] *esse.* [n] Sequitur ras. [o] B[6] *quod sequitur.* [p] Al. m. mg. *i. s. p. i.* [q] B[6] *fit.*

si semper fit eadem tota, semper eius fieri mensurabitur solo [a] instanti, et similiter, si semper alia et alia, nisi sint partes unius impressionis continuitatem partium habentis quarum [b] una successive fiat post aliam.

3. Item, omne agens virtuosius, pro quanto virtuosius [c], pro tanto in minore duratione aget actionem aequalem ceteris paribus; sed si omne agens agit actionem suam primam in instanti, praedicta regula erit falsa, cum non possit esse minor duratio quam sit instans; ergo et cetera.

4. Item, actionis non est actio, non enim potest actio terminari immediate et per se ad aliam actionem; sed omnis motus est quaedam actio, est enim actio motoris; ergo impossibile est quod aliqua actio terminetur per se et immediate ad aliquem motum; sed ad primas impressiones agentium per se et immediate sequuntur motus, nisi ipsae sint motus ipsi quo [d] ab agentibus moventur eorum [e] patientia; si autem sunt motus, fiunt in tempore et non in instanti; ergo et cetera.

5. Item, patientia non semper sunt sufficienter aut aequaliter disposita ad suscipiendum impressionem agentis, ut nubes ad receptionem [f] luminis non sicut aer.

Contra: 1. Inter virtutem agentem et speciem genitam non est dare motum intermedium, cum ipsa sit primus eius effectus nec educatur per motum nec de potentia materiae; sed si agens non ageret eam in instanti, tunc motus praecederet eam tanquam eius causa aut ipsa non esset aliud quam quidam motus; quod esse non potest, cum esse mobile prius ab agente inclinetur ad terminum motus quam moveatur; sed inclinari non potest nisi per aliquam impressionem in ipso factam; ergo et cetera.

2. Item, Augustinus dicit [1] quod « si ignis esset [g] aeternus, splendor eius esset [h] sibi coaeternus », vult enim quod sint coaeva; sed impossibile est quod sint coaeva [i], nisi fieret et esset in primo instanti quo ignis habet esse; ergo et cetera.

---

[a] Ita B[6], V add. *in*. [b] Ita B[6], V *qua*. [c] Al. m. mg. *p. q. v.* [d] Rectius, ut videtur, *quibus*. [e] Al. m. in ras. *m. e.* [f] B[6] *susceptionem*. [g] Al. m. in ras. [h] Al. m. mg. [i] B[6] *quod non esset* pro *sed... coaeva*.

---

[1] *De Trin.*, VI, 1 (PL 42, 923).

[Respondeo]

Circa quaestionem istam est quorundam perspectivorum opinio, ut auctoris[a] *Perspectivae*[1], quod agentia corporalia agunt impressiones suas in tempore, licet nobis imperceptibili. Sed an velint hoc dicere pro tanto quod scilicet in toto medio seu in omnibus partibus patientis non fiant[b] simul, sed species quae est in priori parte successive generet sibi similem in altera, ita tamen quod in eo quod est sibi [c] immediatum generet immediate seu in instanti, aut [d] pro tanto hoc velint quod [e] in quocunque generatur successive generetur, ita quod usque ad certum terminum illius temporis non possit dici facta, sed solum in [f] fieri, sicut est [g] in illis quae de potentia materiae educuntur, aut velint hoc propter utrumque: ex dictis eorum non est multum clarum, licet quorundam dicta satis innuant quod pro utroque hoc intendunt.

Haec autem via aliis non videtur posse stare; de quorum numero[h] videtur Aristoteles esse[i], sicut patet in II *De anima* [h 2].

Quod enim secundum[l] stare non possit rationem sumunt[m] ex parte agentis et patientis et ex parte ipsius speciei seu impressionis.

Ex parte quidem agentis: quia praesente agente et [n] patiente et virtute agentis [o] existente in ultima actualitate sua vel [p] ad agendum sufficienti [q] statim sequitur aliquid ab agente in patiens; qua enim [r] ratione non statim, eadem ratione nec postea unquam; quod autem primo sequitur ab agente in patiens est eius effectus et similitudo. — Praeterea, impossibile est quod patiens incipiat pati, nisi agens incipiat agere; sed omne patiens incipit [s] pati in

---

[a] Ita B[6], V *actoris*. [b] Ita B[6], V *fiat*. [c] B[6] *ibi*. [d] B[6] *an;* idem subinde. [e] B[6] *quia*. [f] B[6] om. [g] B[6] *et*. [h] B[6] add. *etiam*. [i] B[6] om. [k] B[6] add. *et de sensu et sensato*. [l] B[6] *hoc*. [m] B[6] *ostendunt* pro *r. s.* [n] Ita B[6], V om. *a. e.* [o] Al. m. in ras. [p] B[6] om. [q] B[6] om. [r] Ita B[6], V om. [s] Al. m. mg. *pati... incipit*.

---

[1] Cfr. *Alhazen, Opticae thesaurus* (ed. Fr. Risner, Basileae 1572), lib. II, n. 19-21, pp. 36-38.

[2] Cap. 7, 418b 20sqq.; cfr. p. 451 nota 2.

instanti; non autem incipit pati, nisi quando incipit in eo esse aliquid ab agente; ergo in primo instanti in quo incipit pati est in eo aliquid ab agente. — Praeterea, incipere agere oportet quod aliquid ponat quod non erat prius quam inciperet [a] agere, alias aut semper posset dici omne agens incipere agere aut nihil reale de eo affirmaremus, quando dicimus [b] quod incipit agere; sed novum non potest ponere, quin illud sit de novo factum; ergo necessario ipsum incipere agere dicit quendam novum effectum; sed primus effectus agentis est eius actio seu eius [c] similitudo; ergo in initio [d] actionis erit vere [e] actio et similitudo; initium autem non solum actionis sed etiam omnis successivi est in instanti; ergo ipsa vere fit et erit in primo suo instanti seu in [f] initio suae factionis.

Ex parte vero patientis: quia patiens aptum natum est illa suscipere in instanti ad quae suscipienda non indiget praevia dispositione vel motu; sed respectu primarum impressionum non indiget praevia dispositione, quoniam praedisponi [g] non posset nisi per aliquam aliam impressionem; et tunc erit prima impressio ante primam, erit etiam abire in infinitum [h], nisi sit dare aliquam impressionem quae non exigat suum patiens praedisponi de novo. — Praeterea, dispositione illa iam facta: tunc saltem in instanti fiet impressio illa quae praeexigebat talem dispositionem, utpote si lux praeexigit [i] aerem de novo disponi, ad minus post dispositionem illam fiet [k] ipsa a suo agente in instanti; non enim [l] erit dare causam ex parte patientis, cum sit sufficienter dispositum, nec ex parte agentis, cum sit sufficiens ad agendum et simul habeat totam virtutem suam activam.

Ex parte vero speciei [m] seu impressionis sic arguunt: primo quidem, quia id cuius fieri praecedit tempore suum esse non est prima impressio patientis, sed potius eius fieri, et ipsum est terminus sui fieri et [n] alterius speciei, eo modo quo nunc differt a tempore et mutatio a motu; si enim essent eiusdem speciei, tunc idem esset fieri eius et suum esse, cuius contrarium modus ille ponit. Amplius, omne quod mediante aliquo fieri [o] et per ipsum et post ipsum exit in esse per motum exit in esse; sed primae im-

---

[a] Al. m. ex *incipere*. [b] B[6] *affirmatur, quando dicitur* pro *a. q. d.* [c] B[6] om. [d] B[6] add. *eius*. [e] B[6] *eius*. [f] Add. interl. al. m. [g] B[6] *disponi*. [h] Ita B[6], V *infinitam*. [i] B[6] *praeexigeret*. [k] B[6] *fieret*. [l] Corr. interl. [m] Ita B[6], V *virtutis*. [n] B[6] *est*. [o] B[6] *fit*.

pressiones non exeunt in esse per motum, quia tunc non essent primae nec causae motuum et educerentur de potentia materiae. Rursus, in primis impressionibus idem est fieri et factum esse, propter quod impossibile est quod earum fieri tempore praecedat earum esse.

Quod etiam primum stare non possit, hoc scilicet quod in diversis partibus successive generetur, ita videlicet quod [a] in prima parte temporis generetur in prima parte patientis, in secunda vero parte [b] temporis generetur [c] in secunda parte patientis et sic deinceps, sicut de motu locali videmus, probant ex parte agentis et patientis et ex parte ipsius speciei et ex parte nostrae apprehensionis seu experimenti.

Ex parte quidem agentis: sive enim [d] tota species fiat immediate a virtute agentis [e], sive una pars speciei fiat per alteram, necessario sequitur quod fiat in instanti. Si enim tota est a virtute agentis tanquam unius effectus, tota erit ab eo simul et ita cito ultima pars sicut et prior, quoniam in ratione agentis ita est ultimae parti praesens ipsa virtus agentis sicut et primae. Nec est contra hoc quod quando obstaculum amovetur, videmus in partibus patientis sequentibus de novo [f] speciem generari, ipsa [g] longe ante genita in partibus obstaculum praecedentibus; quia [h] propter obstaculum virtus in ratione agentis non erat praesens partibus sequentibus, antequam esset amotum, et ideo quod [i] poterat alias generare in rectum generabat per incessum [k] non rectum. Si vero una pars speciei est ab alia, cum unaquaeque, statim cum est, habeat totam virtutem suam quae sibi secundum gradum suae essentiae [l] competit, statim cum est, poterit agere eadem ratione qua et post; primum autem quod aget erit [m] pars speciei eam [n] sequens, quia semper primum quod agitur est similitudo agentis; sed si prima, statim cum est, agit sequentem et sic deinceps: totum agitur simul et in instanti; ergo quocunque horum dato semper fiet [o] simul et in [p] instanti.

Ex parte autem patientis: quia omni agenti est dare primum et immediatum patiens; et hoc velle videtur

---

[a] B[6] *ut* pro *i. v. q.* [b] B[6] om. [c] Al. m. mg. [d] B[6] *quia sive* pro *s. e.* [e] B[6] *agente.* [f] B[6] add. *novam.* [g] B[6] add. *autem.* [h] Ita B[6], V *quod.* [i] Add. interl. al. m. [k] Ita B[6], V *incensum.* [l] B[6] *naturae.* [m] B[6] *est.* [n] B[6] om. [o] B[6] *fit.* [p] Add. interl. al. m.

Aristoteles, libro *De generatione* (1). Si enim non esset dare primum patiens, tunc nec primum effectum et sic nec primum agens. Sed primum patiens necessario est quantum et divisibile; et hoc ipsum ibidem velle videtur Aristoteles: non enim est dare aliquam partem patientis nisi (a) divisibilem. Ergo ad minus in illo primo (b) patienti fiet primus effectus in instanti et in sequenti primo fiet etiam in instanti. Si igitur non fiunt in eodem instanti, sed in alio et (c) alio: ergo pars prior speciei quae fuit primus effectus stetit per tempus aliquod, antequam ageret secundam partem speciei in aliquo sequenti instanti; non enim potuit eam agere in aliquo instanti immediate sequente; et idem sequitur de aliis sequentibus partibus. Sed qua ratione stetit per tempus aliquod, eadem ratione et per totum sequens tempus. Et nihilominus posito quod sic in diversis instantibus partes speciei producantur: non proprie poterit dici quod ipsa tota producitur in tempore nisi valde per accidens, et adhuc semper esset verum quod omne agens agit in instanti impressionem suam primam (d).

Ex parte vero speciei sic: redibit enim infinitas actualis partium speciei, quia quaelibet generans erit actu distincta a sua genita, et infinitas partium subiecti, quia quaelibet pars speciei distinctae (e) significabit aliquam partem in patiente, et infinitas partium temporis, quia quaelibet distincta pars et quaelibet generatio habebit partem temporis certam et distinctam seu potius suum instans, redibit etiam impossibilitas terminationis (f) ipsius fluxus seu generationis totius speciei, cum impossibile sit infinita in actu pertransire.

Ex parte vero apprehensionis nostrae seu nostri (g) experimenti sic: in tanta (h) distantia patientis in quanta fit ad minus generatio lucis solaris sensibile esset tempus generationis. Et haec est ratio Aristotelis (2). Item (i), secundum eum, X *Ethicorum* (3), visio fit in instanti; sed secundum eum fit per speciem genitam a re (4); si ergo haec (k)

(a) Al. m. mg.; B6 *indivisibilem* pro *n. d.* (b) B6 om. (c) Al. m. mg. (d) B6 om. (e) B6 *distincta.* (f) B6 *factionis.* (g) B6 om. (h) B6 add. *enim.* (i) B6 *Praeterea.* (k) B6 om.; V om. *fit* quod habet B6.

---

(1) *De gener. et corrupt.*, I, 6, 322 b 20 sqq. (2) Cfr. *De an.*, II, 7, 418 b 20 sqq. (3) Cap. 3, 1174 b 7 sqq. (4) Cfr. *De an.*, II, 12, 424 a 17 sqq.

fit in tempore, et visio fit in tempore, et erit etiam visio vere motus alterationis; quod est contra eum, II *De anima* [1]. Quod autem visio sit in instanti praeter auctoritatem Aristotelis et praeter rationes multas [a] quae habent in sua materia locum suum per hoc patere potest: quia [b] si prius unam partem visibilis et postea aliam apprehenderemus et hoc sive secundum extensionem sive secundum intensionem sive secundum utrumque, de nullo visibili aut sensibili haberemus certitudinem; quia in nullo uno nunc aliquid apprehenderetur de [c] eo nec unquam [d] aliquid simul et ita nihil determinate. Augustinus etiam, IV *Supra Genesim* [2], vult quod radii oculorum quos ipse ponit tendere usque ad visibilia quantuncumque remota non prius tempore perveniunt ad loca propinquiora [e] quam ad remotiora [f], sed solum prius natura. Et si radium vocaret [g] virtualem protensionem aspectus et non localem, non esset hoc inconveniens secundum opinionem superius dictam in prima quaestione; et saltem magis hoc velle potuit Augustinus de radio lucis solaris qui secundum idem non ponitur simul esse in diversis partibus medii, sed solum secundum diversas eius partes. Experimur etiam [h] in aliis quod statim cum [i] movetur aliqua pars continui solidi, simul moventur omnes partes aliae et omnes [k] simul incipiunt moveri. Statim etiam sicut sentimus in pede aut in quacunque corporis parte, sentimus per sensum communem nos ibi sentire; et hoc nullo modo [l] possemus, nisi in eodem instanti sit facta in utroque propria species et proprius actus.

Isti igitur [m] dicunt quod omnis prima [n] impressio fit ab agente in [o] initio suae actionis seu in instanti. — Sed in modo ponendi diversificantur. Quidam enim [p] volunt quod illa et [q] eadem species quae fit in primo instanti fiat continue, quamdiu durat actio illius agentis; quidam autem quod [r] semper fiat alia et alia; alii vero quod quamdiu patiens se habet ad

---

[a] B[6] om. [b] B[6] *quod.* [c] Ita B[6], V *in.* [d] B[6] *et nunquam* pro *n. u.* [e] B[6] *propinqua.* [f] B[6] *remota.* [g] B[6] *vocarem.* [h] B[6] *enim.* [i] B[6] *quod.* [k] Ita B[6], V *et omnes et* pro *o. p. a. e. o.* [l] B[6] *aliquo modo non* pro *n. m.* [m] B[6] *ergo.* [n] B[6] *propria.* [o] Add. interl. al. m. [p] B[6] *autem.* [q] B[6] om. [r] B[6] *volunt.*

---

[1] L. c. [2] *De gen. ad lit.,* IV, 34 (PL 34, 312 sq.).

agens sub eodem aspectu et modo, quod tamdiu fiat eadem, quamdiu vero diversificatur sive per mutationem patientis sive per translationem agentis, fiat semper alia et alia.

Primi autem assumunt pro ratione: quià, ut dicunt, si semper fieret alia et alia, sequeretur inflammatio aeris seu totius medii, quia prior aliquam calefactionem faceret et sequens aliam et sic continue calefactio augeretur. Dicunt etiam quod continue succederet nox diei et tenebra luci et e contrario; quia destructio prioris diei [a] tenebram et noctem induceret, quam prius oporteret [b] destrui quam sequentem generari. Potest etiam pro hoc fieri ratio talis: quia prima fieret in instanti secundum praedicta et sequens eodem modo in instanti; et sic sequeretur instans post instans [c] immediate.

Secundi vero moventur ex hoc: quia [d] si agens semper generat eandem, ergo mutato agente vel patiente species mutabit subiectum; in quo multa inconvenientia implicari videntur; hanc autem rationem concedunt tertii. Si autem [e] priori subiecto amoto in sequenti generatur alia: ergo agens habebat virtutem ad aliam, quia species suam essentiam et suae essentiae distinctionem accipit principaliter ab agente per virtutem suam activam; cum autem in virtute activa nulla sit facta variatio ratione motus localis ipsius agentis aut subiecti patientis: ergo ipsa virtus habet ex [f] se potestatem sufficientem ad generandum continue aliam et aliam. Si autem subiecto eodem uniformiter manente semper fit eadem: tunc ipso mutato tota ratio quare fit alia [g] erit ex parte ipsius subiecti [h] et non ex [i] parte agentis; quod isti pro impossibili habent, cum patiens non cooperetur ad ipsam [k] productionem nisi recipiendo.

Tertiis autem media via magis placet, quia minus videtur eis pati difficultatis.

Quicquid [l] de hoc sit, prima tamen via non multum rationalis videtur [m], nec rationes eius multum cogere videntur. Non enim sequitur [n] inflammatio ex secunda via plus [o] quam ex prima, quia etiam posito quod semper fiet eadem, nihilominus [p] semper aliam et aliam [q]

---

[a] Ita B[6], V om. [b] B[6] *oportet*. [c] Al. m. mg. *p. i.* [d] B[6] *quod*. [e] B[6] *enim*. [f] B[6] *in*. [g] In ras. [h] Ita B[6], V om.; B[6] om. *et*. [i] Ita B[6], V *a*. [k] Ita B[6], V *speciem*. [l] B[6] add. *tamen*. [m] B[6] *est*. [n] B[6] add. *magis*. [o] B[6] om. [p] B[6] add. *tamen*. [q] Al. m. in ras.

calefactionem causaret; et pro tanto magis, quanto [a] virtus unita [b] maior est divisa ceteris paribus; unde si sol staret semper in eodem aspectu, tunc fortassis omnia inferiora incenderet, sicut videmus quod in aestate, quando est in signis stationalibus, fortius inferiora incendit. Quamquam igitur causetur calefactio alia et alia, non sequitur ex hoc incensio nisi priori manente et in eodem subiecto in quo sequens generatur. Non etiam propter hoc succedet [c] tenebra luci aut nox diei, quia destructio prioris in eodem instanti erit [d] cum generatione alterius; sicut et [e] in omnibus quae per motum educuntur videmus quod corruptio prioris [f] est generatio alterius et e contrario, idem est enim ibi desinere [g] et destructum esse. Non etiam sequetur quod instans sit immediate post instans; sed quia hoc in argumento quod contra hoc fuit factum tactum est, et in responsione id ipsum tangetur [h].

---

[a] Ita B^6, V *in quantum*. [b] Ita B^6, V *una*. [c] B^6 *succederet*. [d] B^6 *esset*. [e] B^6 om. [f] B^6 *unius*. [g] B^6 *deficere*. [h] V *argumendo tactum est in respondendo ad ipsam tangetur* pro *argumento... tangetur* quae habet B^6. — B^6 add.: Quod etiam primae impressiones sint in instanti sic apparet: quia quando sol movetur, certum est quod in qualibet parte caeli est motus, aliter quiesceret, scilicet esset ibi per aliquod tempus, ut in libro *Physicorum* [1] dicitur et etiam patens est; certum etiam est iterum quod radius quem generat sol in prima parte existens non est ille quem generat in sequenti, quia tunc mutasset subiectum; si ergo in illo instanti quo sol fuit in secunda parte caeli non generaret totum radium in medio usque ad nos, cum in illa parte primus radius nullo modo esset: ergo semper inter duo puncta quibus sol erat in duabus partibus erit nox vel tenebra in aliquo instanti; quod est absurdum, quia tunc nullus dies esset continuus. — Item, ponamus aliquem radium usque ad aliquam partem emissum a sole qui non potest mutare subiectum: item iste radius non habet esse, nisi quamdiu est praesens agenti. — Item, sol in qualibet parte caeli est in instanti, sicut dictum est; per primam suppositionem radius non potest mutare subiectum; per secundam habeo quod non potest permanere, nisi quamdiu est praesens soli; per tertiam habeo quod non est praesens soli nisi in instanti, quia sol in quolibet instanti mutatur; ergo radius emissus non habet esse nisi in instanti; si ergo in illo instanti non illuminavit totum medium usque ad nos, nunquam postea generabitur; hoc est falsum; ergo et cetera. — Praeterea, aequale est tempus generationis et corruptionis, ut dicit Aristoteles in II *De generatione* [2]; sed lumen corrumpitur in instanti; ergo et generatur in instanti. Probatio minoris; quia sol est oppositus centro terrae in instanti diametraliter, quia in solo uno puncto est sibi oppositus, eoque linea recta non potest habere nisi duo puncta, et in puncto non est nisi in-

---

[1] Aristoteles, *Phys.*, IV, 4, 234 a 34 sqq. [2] Cap. 10, 336 b 18 sqq.

[Solutio obiectorum]

Ad primum ergo ([a]) quod est in contrarium dicendum quod licet fieri istarum impressionum duret per tempus, nihilominus ([b]) est in instanti, sicut et ([c]) esse rerum permanentium sic durat per totam successionem quod tamen ([d]) fuit in primo instanti suo. — Quod autem arguitur quod illud quod est et fuit non potest fieri, nisi in verbo fiendi aequivocatio ([e]) cadat, falsa est. Augustinus enim vult, libro *Supra genesim* ([f 1]), quod eadem gratia semper est in fieri et Avicenna, VI *Metaphysicae* suae ([2]), quod creatura semper suscipiat ([g]) esse a Deo; quod fieri non potest, nisi idem in quolibet instanti et qualibet parte sui temporis et suae durationis totum fiat; fieri enim in iis quae simul fiunt et facta sunt potest idem significare quod accipere esse seu idem quod ab alio ([h]) esse; nihil autem inconveniens quod aliquid, quamdiu

---

stans; et luna eodem modo ex alia parte est opposita centro terrae in instanti. Ponamus ergo quod in eodem instanti sol sit centro oppositus et luna ex alia parte: certum est quod in illo instanti quo sol est lunae oppositus diametraliter eclipsatur totaliter et non ante; ergo radius solis totaliter corrumpitur a terra usque ad lunam in illo instanti, aliter remaneret post absentiam solis; quod est impossibile, quia pars posterior non potuit corrumpi, nisi prior corrumpitur; ergo et cetera. — Item, ponamus quod aliquod corpus longum intret per aliquod foramen, visu meo stante immobili sub eodem aspectu directo; si igitur hoc corpus intret continue, certum est quod ego illud continue videbo, aliter non apprehenderem illud continuum; sed partes illius corporis intrant continue una post aliam; si ergo quaelibet pars non multiplicat speciem suam ad visum meum in instanti: ergo impossibile in eadem diametrali oppositione, immo necessario intercidit ibi quies media et consequens discontinuatio. — Item, si quaelibet pars intrans non multiplicat speciem in instanti quo est in opposita diametraliter, quia movetur continue: nunquam apprehenderem eum diametraliter et eadem ratione per partem sequentem; sed impossibile est quod aliquid apprehendatur certitudinaliter, nisi eius similitudo diametraliter veniat ad oculum vel nisi axis oculi quae est linea diametralis cadat super illud, ut experimento scimus et ipsi perspectivi concedunt; ergo nihil apprehenderetur certitudinaliter; quod est absurdum; ergo et cetera. — ([a]) B[6] *igitur*. ([b]) B[6] *pro tempore nihilominus tamen* pro *p. t. n.* ([c]) B[6] om. ([d]) B[6] om. ([e]) Ex *aequivocadat*. ([f]) B[6] add. *ad literam*. ([g]) B[6] *creaturae semper suscipiant* pro *c. s. s.*; B[6] om. *suae*. ([h]) Al. m. in ras.

([1]) *De gen. ad lit.*, VIII, 12 (PL 34, 382 sq.).
([2]) Tract. VI, cap. 1 (f. 91 v a).

durat eius esse, semper accipiat illud a sua causa a qua semper est et a qua secundum essentiam et esse semper dependet aequaliter. Si autem fieri dicamus [a] solum accipere esse post non esse seu nunc primo ab alio [b] esse: sic non potest alicui convenire nisi pro [c] primo instanti sui esse; et sic poterit dici quod fieri primae impressionis non durat in tempore, quamvis secundum viam secundam superius tactam prima pars impressionis non sit nisi in primo instanti et ita secundum hanc viam nullo modo durat [d] per tempus.

Ad secundum dicendum quod si semper fit eadem, tunc tota erit in primo instanti et tota in sequenti tempore, sicut de aeviternis dicitur ab iis qui ponunt aevum successivum et sicut de primo mobili ponunt omnes. Unde non propter hoc sequetur quod eius fieri mensuretur solo [e] instanti, quia in ipso fieri erit dare [f] veram continuationem, sicut et in esse ipsius speciei; initium autem continuationis solum erit in instanti vel instans, tota vero continuatio in tempore vel tempus; quod quomodo possit fieri in quaestionibus de tempore et aevo habet tangi. Si autem [g] fit semper alia et alia, tunc sola prima impressio fiet in instanti actuali, reliqua vero in tempore aut in instantibus potentialibus. — Ad quod sciendum est quod in istis speciebus erit tunc dare triplicem modum extensionis seu continuitatis. Quorum unus est secundum eiusdem subiecti extensionem, alius est secundum agentis et subiecti successivam mutationem seu [h] localem variationem, tertius est seu esse poterit secundum unius et eiusdem speciei temporalem permanentiam et durationem. — Secundum autem modum secundum continuatio sic est accipienda: sol enim, cum fertur super diversas partes hemisphaerii, nisi eadem illuminatio continue mutet subiectum, continue fiet alia et alia, sicut continue solis latio est alia et alia [i] et sicut continue partes hemisphaerii succedunt aliae et aliae; semper enim sol influet [k] in partem sibi praesentem; cui [l] igitur est praesens in instanti, influet in instanti [m], quibus vero [n] non est praesens nisi in transitu et in tempore, sicut est omnibus partibus post initium motus, non influet nisi in transitu et in tempore. Et tamen [o] sicut in motu locali est dare tran-

[a] B[6] *dicimus.* [b] Al. m. in ras. [c] B[6] *in.* [d] B[6] *non durat aliquo modo* pro *n. m. d.* [e] B[6] om. [f] B[6] add. *ubique.* [g] B[6] add. *semper.* [h] B[6] *vel;* idem subinde. [i] B[6] om. *e. a.* [k] B[6] *influit.* [l] B[6] *cum.* [m] Al. m. mg. *i. i. i.* [n] B[6] *enim.* [o] B[6] *nisi in transitu post initium motus non influet nisi in transitu et in tempore et ideo* pro *nisi... tamen.*

situm et nihilominus existentiam super quamlibet partem parti adaequatam quae ab Aristotele [1] vocatur mutatio vel mutatum [a], quae quidem in toto transitu non sunt nisi in potentia praeterquam in principio et in fine — sicut nec ipsae partes a se invicem distinctae sunt nisi in potentia: — sic et in generatione speciei, ut lucis, super partes sibi invicem continue succedentes erit [b] intelligere, ita quod transitui simile erit partes successive illuminare seu lucem in eis successive generare, simile vero existentiae erit partem sub certis punctis et terminis acceptam illuminare. Tale [c] autem in toto intermedio non erit dare nisi in potentia. Et sic nulla illuminatio in instanti generata immediate sequetur [d] aliam in instanti generatam, sed erit semper intermedia illuminatio cuius partes sic se habent sicut partes [e] sui subiecti et motus localis quo mediante successive est facta. — Secundum autem tertium modum erit sic accipere: supposito enim secundum viam secundam superius positam quod sole immoto et patiente non variato fiat [f] semper alia et alia lux, sicut in eadem parte patientis in eductionibus formarum, quamdiu durat motus, fit semper alia et alia pars formae aut sicut in eadem parte patientis fit semper alia et [g] alia pars motus, ut alterationis, ab agente seu [h] alterante: sic erit dare tunc et [i] in proposito. Et tunc prima et ultima impressio seu illuminatio habebunt se ad intermedias sicut initium motus ad motum et sicut instans ad tempus et sicut lux quae in superficie est ad eam quae in profundo differetque [k] ab ea sicut indivisibile a divisibili [l]. Nec tamen [m] propter hoc erit specie diversa, sicut superficies a profundo; quia lux non dicit de sua specie rationem huius vel illius dimensionis, sicut superficies et profundum. Dimensiones igitur [n] illarum illuminationum erunt diversae specie et non ipsae illuminationes; nec ista differentia erit plus realis quam illa qua instans differt a tempore et punctus [o] a linea, quae non sic differunt quasi instans et punctus dicant aliquid extra seu ultra partes temporis et lineae, sicut habet alibi ostendi. Sic igitur semper fiet alia et alia quod

---

[a] B[6] *seu mutatum esse* pro *v. m.* [b] B[6] *est.* [c] B[6] *Et tale.* [d] B[6] *sequitur.* [e] Al. m. ex *partis.* [f] B[6] *fiet.* [g] Add. interl. al. m. [h] B[6] *a generante seu ab* pro *a. a. s.* [i] B[6] om. [k] B[6] *differet tamen.* [l] Ita B[6], V *indivisibili.* [m] B[6] om. [n] B[6] *ergo;* V *ipsarum* pro *illarum* quod habet B[6]. [o] Ita B[6] *puctus.*

---

[1] *Phys.,* VI, 4, 234 b, 10 sqq.

erunt partes unius speciei continuitatem habentis. — Et secundum hoc patet [a] ad illud quod superius in responsione tangebatur: licet enim prima impressio fiat in instanti, sequens tamen immediate non fiet in instanti, sed solum illa quae fiet in quocunque instanti mediante tempore sequenti post primum.

Ad tertium dicendum quod respectu eorum quae in instanti fiunt unum agens non dicitur virtuosius altero, quia in minori duratione agat [b], sed solum ratione maioris effectus; qui [c] quidem a maiori virtute erit maior [d], nisi sit defectus ex [e] parte patientis aut nisi sit agens voluntarium. Alias, si supremi angeli intelligunt in instanti, sequetur quod inferiores non possint [f] intelligere nec velle aliquid [g] in instanti. Sequetur etiam quod a nullo agente respectu cuius est dare superius agens possit aliquis [h] formalis terminus motus introduci in instanti. Maioritas autem [i] quae in agentibus consideratur ex minoritate durationis reducitur ad primam; quod enim motus maior fiat in minori tempore est [k] propter maiorem inclinationem datam mobili, quae maior inclinatio fuit primus effectus motoris. Et secundum maioritatem istarum inclinationum debet considerari proprie et per se maioritas virtutis moventium et non secundum maiorem velocitatem motuum; quia aliquando hoc fallit et [l] quia non est effectus primus et immediatus.

Ad quartum dicendum quod actio non habet motum pro termino, sed pro effectu. Et sic ponitur quod prima actio agentis causet motum in patiente, et hic [m] motus non sequitur eam tanquam eius terminus, sed tanquam eius effectus; quamquam secundum illos qui volunt quod motus sit quaedam actio, actio [n] bene poterit terminari ad actionem, ut motus ad mutationem, sed non motus ad motum. Actio igitur instantanea bene poterit esse terminus alicuius actionis non instantaneae [o], sed actio non instantanea nullius.

Ad quintum dicendum quod non propter hoc volumus quod species agentis generetur in quolibet, nisi sit ad suscipiendum sufficienter dispositum aut quin in eodem possit successive intensior generari secundum eius dispositionem maiorem vel minorem [p] successive introductam. Sed hoc volumus quod ad minus illud quod primo agetur in quocunque [q],

---

[a] B[6] *et hoc secundum quod patet* pro *E. s. h. p.* [b] Ex *agit.* [c] Ita B[6], V *quod.* [d] Ita B[6], V *maius.* [e] Ita B[6], V *a.* [f] B[6] *possunt.* [g] B[6] om. [h] Ita B[6], V *aliquid.* [i] B[6] *enim.* [k] B[6] add. *semper.* [l] B[6] om. [m] B[6] *huiusmodi.* [n] B[6] om. [o] B[6] *instaneae* pro *n. i.* [p] B[6] om. *v. m.* [q] B[6] *ageretur in subiectio* pro *a. i. q.*

sive bene sive imperfecte disposito, fiet in instanti seu in initio ipsius actionis; quamvis per illud quod in primo instanti fiet [a] possit patiens disponi ad suscipiendum in sequenti speciem magis intensam [b].

Sed adhuc videtur posse argui quod nullum agens finitum agat in instanti per illam regulam Aristotelis, VI *Physicorum* [1]: si tanta virtus movet tantum super tantum spatium in tanto tempore, tunc dupla virtus movet aequale super aequale spatium in dimidio tempore et quadrupla in tempore quadruplo minori et sic in infinitum; ergo illa quae erit infinita movebit aequale super aequali spatio in duratione in infinitum minori, et e contrario illa quae movebit illud in duratione in infinitum minori erit in infinitum maior; sed nulla duratio [c] est in infinitum minor prima nisi sola indivisibilis et instantanea; ergo virtus infinita movebit [d] illud in instanti, et e contrario quaecunque illud faciet in instanti erit infinita; ex quo videtur quod agere in instanti sit infinitae virtutis, quia quantum distat instans a tempore finito, tantum excedet virtus agens in [e] instanti virtutem agentem aequivalens in tempore finito. Et hoc modo probat Aristoteles alibi [2] quod in nullo corpore finito potest esse virtus infinita, pro eo quod illum motum corporis finiti quem facit virtus finita in tempore finito faceret in instanti illa virtus infinita.

Item, ad hoc ipsum potest adduci ratio quam facit, IV *Physicorum* [3], ad probandum quod si aliquid moveretur in spatio vacuo, moveretur in instanti; quia quantum distat plenum resistens motui a vacuo non resistenti, tantum ceteris paribus distabit duratio motus facta in spatio pleno a duratione [f] motus facta in vacuo; sed plenum a non pleno distat in infinitum iuxta scilicet infinitam indivisibilitatem ipsius pleni; ergo duratio motus facti in vacuo distat in infinitum a duratione motus facti in pleno; sed non distat in infinitum, nisi sit instantanea; ergo necessario esset instantanea. —

---

[a] B^{b} add. *in instanti seu in initio ipsius actionis.* [b] Hic B^{s} desinit. [c] Al. m. ex *diratio.* [d] Ex *mobit.* [e] Al. m. mg. [f] Ex *duiratione.*

---

[1] Lib. VII, 5, 249 b 27 sqq.

[2] Aristoteles verbotenus hoc dicere non videtur, sequitur tamen ex iis quae ipse evolvit *Phys.*, VI, 2, 232 a 23 sqq.

[3] Cap. 8, 215 a 25 sqq.

Consimili etiam modo potest argui quod quantum actio successiva excedit non successivam in divisibilitate partium aut in recessu a simplicitate, tantum virtus agens actionem instantaneam est simplicior virtute agente actionem successivam; ex quo sequitur quod sit in infinitum simplicior ac per consequens in infinitum nobilior et sic per consequens quod sit infinita.

Ad primi solutionem oportet primo advertere quomodo illa regula et consimiles verificantur, non enim sufficit ibi sumere aequalitatem vel maioritatem mobilis et [a] spatii et motivae virtutis secundum suas essentias absolutas, sed semper in relatione ad efficientiam motus, utpote quod illud mobile sit aequale, quod habet aequalem mobilitatem respectu [b] talis motivae virtutis, et illud duplum quod est duplo difficilius respectu talis virtutis, et illud sic dimidium quod non habet nisi medietatem difficultatis seu difficilis mobilitatis. Alias enim multiplex instantia et falsificatio est in regula illa; nam pomum [c] quod est a manu mea facillime mobile et portabile et ab oculo meo optime visibile, si dimidiando dividatur in minimas atomos, non invenietur, quanto illa atomus est minor pomo, tanto sit a me visibilior et captibilior [d], immo potius oppositum.

Secundo advertendum quod quando comparativa maioritas effectuum procedit sic in infinitum quod nunquam est dare ibi ultimum absque contradictione: tunc nunquam potest nec debet concludi quod virtus in infinitum maior faciat effectum in infinitum maiorem, quia hoc est idem quod dicere quod faciat effectum omnino ultimum omnium eorum qui [e] in comparatione illa dari possunt, ac per consequens est idem quod dicere quod possit facere effectum contradictione plenum; ut verbi gratia detur quod aliqua virtus finita possit dividere cubitum in mille millia partes et duplo maior in bis mille millia et sic in infinitum, sequiturne: ergo virtus infinita potest cubitum illum dividere in partes actu infinitas aut indivisibilia? constat quod non, quia hoc apertam contradictionem includit nec habet rationem factibilis vel possibilis. Igitur licet virtus duplo maior possit aequale mobile super aequali spatio movere in tempore duplo minori et quadrupla in quadruplo minori et sic in infinitum: non propter hoc sequitur quod virtus infinita possit illud movere

[a] Al. m. mg. [b] Al m. mg. [c] Al. m. mg. *n. p.* [d] Al. m. mg. *v. e. c.* [e] V *quae.*

super eodem spatio in instanti, quia istud contradictionem includit nec habet rationem factibilis, nisi per dationem alterius impossibilis et alterius contradictionis praefatum impossibile concludatur; sicut fit, cum datur in corpore talis virtus infinita ad motum quae naturaliter et necessario [a] sit tota et totaliter applicata ad motum efficiendum, tunc enim ex hoc impossibili dato sequitur quod faciat motum infinitum in instanti, sicut tetigi in quaestione magna an Deus possit facere infinita in actu.

Tertio advertendum quod quamvis ex praemissis illius argumenti sequeretur quod movere aequale super aequali spatio in instanti sit infinitae virtutis: adhuc ex hoc non sequitur quod agere quodcunque aliud in instanti sit infinitae virtutis; sed solum sequitur de illo quod esset aequaliter arduum et difficile ad agi in instanti quantum esset arduum et difficile facere praedictum motum in instanti, aliter enim non fit effectus aequivalens vel aequalis instantaneae factioni motus praefati.

Ad secundi vero dissolutionem est primo sciendum quod illa argumentatio [b] Aristotelis non est bona, quamvis captivantes intellectus suos sibi tanquam deo eorum illam et quamcunque aliam rationem eius, quantumcunque sophisticam, optimam arbitrentur, tanquam scilicet a deo ipsorum conscriptam et prolatam.

Quod autem non valeat tripliciter patet. Primo scilicet, quia quando [c] dantur plures causae eiusdem effectus quarum una est principalior et radicalior ac sufficiens et necessaria, tunc exclusio reliquarum hac remanente non tollit simpliciter illum effectum nisi solum quantum ad illud incrementum quod ex causis reliquis assumebat. Sic autem est in proposito, quia radicalis causa successionis motus localis est successio spatii super quod fit motus et divisibilis seu extensa quantitas mobilis eiusque limitatio ad non posse esse simul in pluribus locis ipsum undique circumcludentibus, resistentia vero ipsius mobilis aut corporum existentium in spatio per quod debet illud mobile moveri sunt causae secundariae praefatae successionis, ut scilicet fiat tardior et morosior, sicut et defectus virtutis motivae ad cito movendum est item causa maioris morositatis; ergo remanente principali absque istis

---

[a] Al. m. *e. n.* [b] Al. m. corr. [c] V add. *cum.*

tribus semper remanebit necessitas successionis in transitu praefati mobilis super praefatum spatium. Modus autem consequentiae Aristotelis contra hoc turpiter deficit, quia secundum consimilem modum consequentiae sequeretur quod quacunque parte extensa de suo toto continuo amota totum residuum esset indivisibile et punctale. Arguo enim consimiliter: quantum pars extensa excedit punctum vel nihil, tantum habere eam excedit carentiam eius; sed quaelibet pars extensa est in infinitum maior puncto vel nihilo ([a]); ergo omne habens eam est in infinitum maius omni carente ea; sed non potest esse in infinitum maius, nisi carens ea sit punctale vel nihil; ergo omne carens ea est punctale vel nihil. Ecce mira consequentia philosophorum! Et certe, sicut solvitur ista, sic de plano solvitur prima. Haec autem solvitur, quia excessus positivi ad privativum hic non verificatur respectu alicuius alterius positivi in privativo concomitanter inclusi, sed solum respectu eius quod privat; respectu enim illius tantum deficit ab ente seu ab entitate quanta erat entitas eius quod privat. Licet autem talis privatio, in quantum privatio, sit in infinitum minor positione quam privat: non propter ([b]) hoc sequitur quod ([c]) illud positivum quod sibi subiacet sit ([d]) in infinitum minus illa positione quam privat. Consimiliter ergo solvitur ratio Aristotelis: quia licet privatio pleni et resistentiae eius sit in infinitum minor eo quod privat, non propter hoc sequitur quod pertransibilis successio quae ex positione vacui ponitur in praefata privatione ([e]) includi sit quoad rationem et causam successivi motus in infinitum minor pleno et resistentia eius. Et ideo falsa est prima propositio qua dicitur quod quantum distat plenum resistens motui a vacuo non resistente, tantum distat duratio motus facti in pleno a ([f]) duratione motus facti in vacuo, nisi loquaris de sola illa duratione seu morositate quae causatur a resistentia pleni et privatur per privationem ipsius. Ex ([g]) hoc autem non sequitur quod reliqua successio et morositas ex sola successione spatii pertransiti causata sit in infinitum minor morositate ex resistentia ([h]) pleni causata; sed solum sequitur quod privatio huius morositatis, in quantum est eius privatio, est in infinitum minor ipsa.

([a]) Al. m. mg., del. *nihil.* ([b]) Al. m. mg. ([c]) Al. m. mg. ([d]) Add. interl. al. m. ([e]) Al. m. mg. ([f]) Ex *ad.* ([g]) Al. m. ex *et.* ([h]) Al. m. ex *desistentia.*

Secundo patet quod non valet, quia insanus est qui non credit quod Deus posset supremum caelum sic movere quod occidentalis pars eius accederet usque ad situm ubi nunc est pars eius orientalis, ita quod pars orientalis fieret tantum in ultra quantum nunc distat a parte occidentali. Licet autem Deus posset absque motu et transitu ipsum locare in termino [a] motus praefati, ipsa tamen [b] pertransitio totius intermedii spatii ab omnibus extremis et intermediis partibus caeli non posset absque contradictione fieri in instanti [c]; quia tunc sequeretur quod caelum simul transiret loca varia et non transiret et quod simul esset et abesset in omnibus intermediis locis. Et tamen constat quod talis motus non esset factus super pleno nec aliquod restistens vel resistentiam aliquatenus habuisset.

Tertio patet quod non valet tam ex locali motu angeli quam ex locali motu gloriosi corporis Christi: quod [d], quamvis nullam resistentiam ex corporali repletione spatii habeat ita parum sicut si omnino esset vacuum, nihilominus non potest multa loca et spatia continua in instanti pertransire, eundo scilicet in instanti ab extremo per media in extremum. Praeterea, quando corpora inferiora transeunt per spatium: constat quod non subintrant corpus quo spatium primo replebatur, immo in ingressu illius illud omnino expellitur; ergo prior repletio illius spatii nihil penitus cooperatur ad receptionem sequentis corporis in [e] illo eodem spatio. Constat [f] etiam quod corpus inde expulsum non fuit vis motiva et effectiva impulsus sequentis corporis ad illum locum ac per consequens nec effectiva sui motus, immo potius fuit causa impeditiva et, quantum erat ex se, prohibitiva. Rursus constat quod impossibilitas qua corpus sequens non potest simul esse [g] in pluribus locis non provenit [h] ex corpore inde expulso, sed potius ex naturali limitatione ipsius et ex absoluta contradictione inclusa in sua simultanea pluralitate locorum. Ergo patentissimum [i] est quod resistentia corporis expulsi non est tota nec principalis causa successionis motus localis corporis sequentis.

Secundo sciendum quod subsequens consequentia quam post rationem Aristotelis subinduxi dupliciter fallit. Primo quidem, quia maioritas simplicitatis [k] ex sola

---

[a] Ex *terminio*. [b] Sequitur ras.; corr. interl. *pertransitio*. [c] Corr. interl. [d] V *quae*. [e] Al m. in ras. [f] Ex *coistat*. [g] Al. m. mg. [h] V *pervenit*. [i] Ex *paetentissimum*. [k] Ex *simplicitis*.

subtractiva et divisiva diminutione partium alicuius totius proveniens est maioritas deficientiae et simplicitatis defectivae et privativae boni subtracti, unde et vocatur simplicitas parvitatis ([a]); propter quod infinitus excessus talis simplicitatis potius dicit infinitum defectum ([b]) quam perfectum, et ideo ex ipso non sequitur infinitas entitatis aut activae virtutis. Licet etiam motus, in quantum successive fluens et deficiens, deficiat ([c]) ab actuali simultate actionum instantanearum, pro quanto tamen infinitae actiones et mutationes instantaneae potentialiter includuntur in motu continuo, eo modo quo in omni linea sunt infinita puncta in potentia: pro tanto motus incomparabiliter est maior omni simplici actione et mutatione in ipso essentialiter inclusa et omni alia illis consimili et coaequali. Praeterea, sicut maius est solem facere irradiationes trium dierum aut duodecim horarum ([d]) quam unius solius, sic maius esset unam eandem irradiationem facere et conservare per tempus trium dierum quam eam facere in solo uno instanti; et consimiliter sicut hoc est maius, ita et primum est maius. Si tamen tota irradiatio trium dierum fieret in uno instanti aut una simplicissima omnibus illis insimul sumptis aequivalens, tunc bene sequeretur quod potentia quae hoc posset esset ([e]) maior illa quae non potest in illas nec in earum aequivalens nisi in tempore successivo. — Secundo fallit, quia ex effectuum divisibilitate non sequitur nec probatur virtutem effectivam illius esse divisibilem; alias simplicissima potentia Dei non posset facere aliquem effectum ([f]) divisibilem. Item, sicut divisibilitas simultaneae magnitudinis potentiae activae non causat semper et necessario successivam divisibilitatem effectus, sic nec indivisibilitas effectus respectu successionis infert ([g]) semper aut necessario virtutem eius effectivam esse indivisibilem respectu partium simul permanentium et ([h]) insimul constituentium essentiam agentis aut suae potentiae activae. Haec autem omnia falso supponebantur in consequentia illa.

([a]) Al. m. ex *parvitas*. ([b]) Al. m. mg. ([c]) Al. m. mg. ([d]) Al. m. ex *horum*. ([e]) V *esse*. ([f]) In ras. ([g]) V *infer*. ([h]) Al. m. ras.

QUAESTIO XXVII.

Quinto quaeritur an motus sit idem cum [a] forma quae per motum educitur.

Et quod non videtur.

1. Causa enim non est idem cum suo effectu; sed forma huiusmodi est quodam modo effectus ipsius motus, cum per eum educatur in esse; ergo et cetera.

2. Item, illa quae sunt [b] eadem simul educuntur in esse et etiam eodem modo; sed forma et motus non educuntur simul, immo motus naturaliter praecedit ipsam formam, nec eodem modo educuntur in esse, quia forma educitur de potentia materiae, motus autem non; si enim educeretur de potentia materiae, cum omne quod educitur de potentia materiae educatur per motum praecedentem et dependeat a subiecto quantum ad suum esse, ita quod potest [c] conservari in absentia sui efficientis, hoc autem motui competere non potest; ergo et cetera.

3. Item, successivum et permanens non possunt esse idem per essentiam; sed motus est successivum per essentiam, forma vero per ipsum causata [d] est permanens; ergo et cetera.

4. Item, eorum quae sunt unum et idem, quando unum est completius, et reliquum; sed forma est maior et completior in fine motus quam in principio vel medio; ergo idem esset de motu, et tunc sequeretur quod mobile summe moveretur in fine motus; quod est manifeste contra experientiam sensus.

5. Item, quaecunque sunt omnino eadem, a quo fit et conservatur unum, et reliquum, et quamdiu [e] durat unum, et reliquum; sed forma remanet cessante motu et oportet quod tunc conservetur ab aliquo, et si conservatio est idem quod factionis iteratio, sicut in quaestione de conservatione

---

[a] B^7 *quod.* [b] In mg., del. *est.* [c] Ita B^7, V *possit.* [d] Ex *causanta.* [e] In ras.

videtur poni, oportebit quod tunc forma fiat ab aliquo efficiente [a], cum autem motus tunc non sit in actu, non poterit dici quod tunc fiat et conservetur ab eodem; ergo et cetera.

6. Item, continuum cum non continuo non potest esse omnino idem; sed motus habet continuitatem et protensionem [b] continuam secundum prius et posterius, in forma autem non est talem continuitatem dare; ergo et cetera.

7. Item, illud per quod aliquid substantialiter existit non potest esse idem cum illo per quod nullo modo substantialiter existit; sed res substantialiter existit [c] per formam, non autem per motum; ergo et cetera.

8. Item, nihil terminatur ad se ipsum; sed motus terminatur ad formam; ergo et cetera.

9. Item, nulla passio vel actio potest esse aliquid quod sit de genere substantiae vel qualitatis; sed motus est passio; ergo non potest esse idem [d] cum forma substantiali aut cum aliqua qualitate.

10. Item, inter ea quae sunt omnino idem secundum rem non potest Deus facere separationem, ita quod possit facere [e] unum sine alio; sed omnem formam quae fit per motum potest Deus facere sine motu; ergo et cetera.

Iuxta hoc quaero ad quae praedicamenta seu entia possit motus per se et immediate terminari. Ulterius quaero [f] an motus immediate causetur a suo motore.

[Respondeo ad primam quaestionem]

Ad quaestionem primam dicendum sequendo opinionem multorum ad praesens mihi magis probabilem, quamvis oppositam aliquando tenuerim, quod de identitate motus et formae genitae est loqui dupliciter: aut secundum rem

---

[a] B[7] *agente.* [b] B[7] *processionem.* [c] Al. m. mg. *s. r. s. e.* [d] B[7] om. [e] B[7] om. *s. i. q. p. f.* [f] B[7] *praedicamenta terminetur motus per se et immediate, ulterius* pro *praedicamenta... quaero;* al. m. corr. in ras. *ulterius.*

aut secundum rationem, et iterum motus potest comparari ad formam quantum ad primum esse ipsius formae aut quantum ad suum esse iteratum seu continuatum et conservatum. Forma igitur sumpta secundum continuationem sui esse seu post primum nunc sui esse differt a motu, sicut perfectum et permanens ab imperfecto et successivo et sicut ens in secundo nunc differt a se ipso, prout fuit in primo nunc. Sumpta vero [a] secundum suum primum esse est idem cum motu secundum rem, etsi non omnino secundum rationem, quia forma dicit essentiam suam simpliciter, prout est simpliciter actus entis, motus vero dicit fieri ipsius formae seu essentiam eius, prout est in fieri [b]; motus enim per quem forma educitur non est aliud quam successiva et continua formae acquisitio et eductio; unde non est aliud quam continuum fieri ipsius formae; fieri autem formae et primum esse partium eius idem sunt secundum rem. Si autêm omnes partes ipsius formae simul et in eodem nunc introducerentur, sicut posset Deus miraculose facere, tunc fieri ipsius formae et partium eius non esset motus, sed potius mutatio; non enim esset successivum, sed instantaneum. Fieri igitur ipsarum partium cum hac conditione quod una pars fiat post alteram continue vel [c] ante alteram et ita quod hoc non sit per simplicem influxum agentis sed potius per impulsum mobilis [d] est idem quod motus. Tale autem fieri nihil reale addit ad ipsam formam et ad eius esse quod sit essentialiter diversum ab essentia ipsius formae aut ab eius esse. Si autem addit, tunc non erit fieri ipsius formae, sed solum illius essentiae quam addit; tunc enim [e] ipsum fieri non erit aliud quam novus exitus suae essentiae quae ponitur esse diversa ab essentia formae; exitus autem unius essentiae non potest esse idem quod exitus alterius essentiae; fieri autem formae non est aliud quam exitus ipsius formae.

Praeterea, illa essentia quam addit fieri ad essentiam ipsius formae necessario erit aliqua forma, et ita adhuc sequetur quod fieri sit idem quod forma; nihil autem est dicere quod una forma sit fieri alterius formae [f]; hoc autem

---

[a] B^7 *igitur.* [b] V al. m. *inferius* pro *i. f.* quae habet B^7. [c] V *continue* pro *p. a. c. v.* quae habet B^7. [d] B^7 *mobilem.* [e] B^7 *etiam.* [f] Ita B^7, V *forma.*

oportet dicere, si fieri ipsius formae esset quaedam essentia formalis, diversa ab essentia formae; qua etiam ratione esset idem cum forma illa quam ponitur [a] addere, eadem [b] ratione potest esse idem cum forma [c] de qua intendimus, et maxime cum nullam aliam formam ponamus fieri nisi istam nec de fieri alterius formae loquamur, sed solum de fieri istius. — Praeterea, si forma tota a Deo vel ab altero agente fieret in instanti [d], tunc suum fieri non differet ab ea secundum rem, sicut nec creatio passio differt a re creata, sicut suo loco est ostensum; sed ipsa non fit propter aliud in tempore, nisi quia una pars eius fit continue post alteram; fieri autem ipsarum partium non est aliud quam nunc primo accipere essentiam et esse; accipere autem essentiam et sua essentia omnino sunt idem secundum rem; ergo qua ratione fieri instantaneum ipsius formae est idem cum ea, eadem ratione fieri [e] ipsius successivum erit idem cum essentia suarum partium.

Forte [f] dicetur quod fieri successivum addit ad essentiam partium formae rationem prioris et posterioris seu rationem et quidditatem successionis. Sed ei qui hoc dicit potest consimiliter dici quod fieri instantaneum ipsius formae addit rationem simultatis ad essentiam suarum partium; fieri enim eius non est propter aliud instantaneum, nisi quia omnes partes formae quae possent successive fieri fiunt simul. Praeterea, eadem ratione posset hoc dici de partibus [g] motus et de partibus ipsius temporis [h], quod scilicet addant ad essentiam suarum partium rationem prioris et posterioris seu rationem successionis; et tamen nemo sanae mentis dicet quod addant aliquam essentiam diversam super essentiam [i] suarum partium. Quomodo autem hoc possit fieri ex iis quae dicta sunt in quaestionibus de tempore et aevo satis potest patere et in responsione argumentorum tangetur.

Forte [k] adhuc iterum instabitur quod nec fieri instantaneum nec successivum sunt idem cum essentia formae, sed solum cum [l] suo esse quod a multis ponitur differre realiter ab essentia eius. Ad quod potest dici quod posito quod esse formae realiter differat [m] ab ipsa, tunc fieri sui esse et fieri suae [n] essentiae realiter different [o]. Unde et illi qui ponunt essentias

---

[a] Sequitur ras. [b] Al. m. [c] B[7] *illa*. [d] B[7] *tempore*. [e] B[7] om. *instantaneum... fieri*. [f] B[7] *Sed forte*. [g] B[7] add. *ipsius*. [h] Al. m. in ras. [i] B[7] *ab essentia* pro *s. e.* [k] Al. m. corr. [l] Ita B[7], V om. [m] In ras. [n] Ita B[7], V *sui*. [o] Al. m. mg. *ab... differrent;* B[7] *differet*.

omnium formarum educendarum in materia praeexistere ponunt eas creatas esse a Deo secundum suas essentias, sed non secundum suum esse actuale; illud enim fit postea, quando per motum [a] educuntur in esse. Quod autem hoc ita oporteat patet: quia secundum quod differunt termini factionum, sic differunt et ipsa fieri, et quot invenimus per se et secundum se facta, tot factiones passivas est dare; sed si essentia et esse sunt realiter diversa, tunc in factione eorum erunt diversi termini et diversa facta [b]; ita enim erit per se essentia facta et terminus factionis sicut et ipsum esse; haereticum enim esset dicere quod essentiae rerum non fiant a Deo per se, sed solum esse earum aut quod non [c] ita per se fluant [d] a Deo essentiae rerum sicut et earum esse; et maxime hoc oportet secundum illos qui ponunt quod esse emanat [e] ab essentia, quia [f] tunc ipsa essentia fiet primo et per se a Deo, esse vero postmodum et hoc mediante essentia. Praeterea, hic non est quaestio nisi an motus sit idem cum eo quod per se et proprie educitur per ipsum, ita quod si essentia formae per se educitur, sicut fit secundum illos qui non ponunt eam praeexistere in materia ante generationem, sit motus idem [g] quod ipsa aut sit idem cum esse ipsius formae, si ipsum solum per se educitur in esse. Et breviter, intentio quaestionis est an eo modo quo formae convenit fieri eo modo sit motus idem quod ipsa; sic enim Averroes [1] et ceteri qui de hoc locuti sunt hoc intendunt. Si autem poneretur quod esse et essentia essent omnino idem secundum rem, tunc praedicta instantia esset nulla. — Patet igitur sic primo ex parte ipsius fieri quod motus est idem quod forma quantum ad suum primo esse.

Patet etiam hoc secundo ex parte ipsius motus. In omni enim motu sunt infiniti termini in potentia seu infinita mutata; sed terminus motus est forma seu eductio formae; ergo omnis forma quae per motum educitur habet infinitas partes in potentia; sed si huiusmodi partes non continuantur, sed quaelibet stat in se quasi discreta ab alia, tunc non solum erunt infinitae in potentia, sed etiam in actu.

---

[a] B^7 *per motum fit, quando per ipsum* pro *fit... motum.* [b] Al. m. mg. [c] B^7 om. [d] B^7 *fiant.* [e] Ita B^7, V *manet.* [f] B^7 *et.* [g] B^7 *sic motus idem est* pro *s. m. i.*

[1] Cfr. *Metaph.*, lib. XI, summa IV, cap. 1 (vol. VIII, f. 283r.).

Nec erit dare quomodo [a] constituant unam formam, nisi sub aliquo ordine in eadem materia concurrant et conveniant. Cum etiam termini qui [b] sunt intra motum naturaliter se praecedant et sequantur sicut et ipsae partes motus: ergo in omni forma per motum [c] educta est dare infinitas [d] partes in potentia naturaliter se invicem praecedentes, ita quod una fuit prius natura et tempore educta quam alia [e]; ergo in eis est ordo et continuitas successionis; sed motus non dicit aliquid aliud a conditionibus istis; ergo et cetera. Cum etiam [f] motus sit quidam actus materiae ac per consequens sit quaedam forma eius, partes motus non erunt aliud quam partes unius formae successivae et continuae quarum una pars fit continue post aliam. Huius autem rei exemplum quasi [g] sensibile invenimus in motu locali qui non videtur esse aliud quam continua successio locationum [h] mobilis seu suorum ubi; unde si omnes termini motus localis possent remanere et conservari, ita quod in fine motus possent simul existere cum termino ultimo eius: tunc motus localis non esset aliud secundum rem ab illis ubi remanentibus, quamvis secundum rationem non esset idem quod illa nisi solum secundum suum esse primum quod non habuerunt nisi motu durante.

Item, terminus motus intrinsecus non videtur addere aliquam essentiam distinctam ab ipso, saltem ita quod posset cadere divisio inter ipsa; unde nec Deus posset [i] facere motum aut aliquod continuum sine termino intrinseco; sed forma per motum educta est terminus motus intrinsecus; ergo non dicit essentiam diversam ab eo sic quod [k] possit unum ab altero separari; sed si essentia formae est alia ab essentia motus, Deus optime posset facere essentiam motus absque hoc quod nihil fieret de essentia formae. — Nec potest dici quod essentia formae sit quaedam pars formalis ipsius motus eo modo quo quidam ponunt quod punctus est [l] pars formalis lineae. Si enim hoc esset, tunc oporteret quod motus esset quaedam forma tertia composita ex forma quae est terminus eius et ex aliquo alio formali, utpote ex partibus suis successivis terminatis ad formam; hoc autem est impossibile; unde in motu locali quasi sensibiliter videmus

---

[a] B^7 *cum non* pro *n. e. d. q.* [b] Ita B^7, V *quae.* [c] Al. m. mg. *p. m.* [d] Al. m. mg. [e] Ita B^7, V *aliam.* [f] B^7 *enim.* [g] B^7 *quasi exemplum* pro *e. q.* [h] Al. m. [i] B^7 om. *cadere... posset.* [k] B *ut.* [l] B^7 add. *quaedam.*

quod terminus ipsius motus non dicit aliquid distinctum a motu, ita quod dicat quandam formam aliam seu quiddam [a] formale aliud a tota successione ipsorum ubi [b] quae est idem quod motus ipse localis. — Forte dicetur quod forma non est terminus motus, sed introductio ipsius formae quae dicitur [c] mutatio. Sed hoc nihil est, quia introductio formae non potest realiter differre a forma et ab eius esse; si enim diceret aliud, tunc formam introduci non esset idem quod formam nunc primo esse, sed potius esset idem quod essentiam ipsius [d] introductionis fieri. Praeterea, secundum hoc nihil formae educeretur nisi [e] in terminis motus et ita non continue educeretur magis et magis; videmus autem quod in toto motu dealbationis continue magis ac magis albedo intenditur, alias non continue magis ac magis motum dealbationis subiectum eius susciperet; moveri etiam [f] motu dealbationis aut quocunque alio motu non videtur esse aliud quam continue acquirere magis ac magis formam albedinis, nec moveri motu locali est aliud quam continue acquirere loca seu ubi.

Item, si forma non est idem quod motus, quaero qua ratione sequitur ad motum et quare non potuit fieri a motore absque intermedio motu; et non videtur causa sufficiens posse dari. — Item, termini motus intrinseci remanent post motum, quamquam sint aliquid eius; ergo praeter formam remanebit aliquid de essentia motus in mobili post ipsum motum, utpote essentia ipsius [g] introductionis quae secundum hanc viam ponitur esse alia ab essentia formae introductae. — Item, si forma est aliud per essentiam ab essentia motus: ergo ipsa sequetur ordine naturali totam essentiam motus et ita naturaliter sequetur suam introductionem de qua ad minus constat quod est terminus intrinsecus motus; ergo naturaliter prius erit totus motus finitus et prius [h] naturaliter erit forma introducta quam sit in actu essentia ipsius formae; et ita, antequam sit albedo in actu, erit ipsa educta, et ante erit motus dealbationis finitus, ante dico natura, etsi non tempore; quod manifeste est impossibile. — Item, illud quod de materia educitur non videtur esse aliud quam forma per motum seu cum motu educta; quicquid etiam fit ab agente absque hoc quod educatur de potentia materiae videtur esse

---

[a] B^7 *quoddam.* [b] B^7 om. [c] B^7 *formae non potest realiter differre quae videtur* pro *f.q. d.* [d] B^7 om. [e] Ita B^7, V *non.* [f] B^7 *autem.* [g] B^7 om. [h] B^7 *ergo primo* pro *ergo... prius.*

simplex influxus agentis et de genere primarum impressionum quae primo manant ab agentibus [a]; ergo omnis effectus qui non est primus influxus agentis est eductus de potentia materiae; sed motus est primus influxus agentis, sicut infra plenius tangetur et sicut ostendit ipsa ratio eductionis de potentia materiae; illud enim vocamus educi de potentia materiae ad quod non solum requiritur agens nec solum patiens, prout est recipiens, sed etiam praeter hoc requiritur mobilitas materiae, sicut in quaestionibus de rationibus seminalibus [b] est tactum; haec autem tria praeexiguntur ad motum. Secundum hoc igitur sequitur quod motus educatur de potentia materiae ac per consequens quod sit forma educta.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum igitur dicendum quod forma non est effectus motus; dicitur autem causari [c] per motum eo modo quo agens dicitur agere per actionem, sicut dicimus quod movens movet mobile per motum; non enim per hoc volumus [d] aliud significare nisi quod forma non sit per simplicem influxum agentis in patiens, sed potius per impulsum datum materiae et quod non exit in esse tota simul, sed potius successive acquiritur a materia.

Ad secundum dicendum quod forma et motus simul educuntur in esse; quantum enim fit de motu, tantum fit de forma et e contrario, et tunc et non antea est motus perfectus, nisi [e] quando forma est totaliter educta; quia tamen motu durante nunquam est motus consummatus, inde est quod quamdiu durat motus, semper restat aliquid formae educendum, et pro tanto motus videtur praecedere formam, quia nomine formae [f] ut plurimum accipimus ipsam, prout est in termino et statu completo, motum autem non sic. — Quod autem subditur quod scilicet motus non educitur de potentia materiae sicut et forma, quia non potest educi per motum praecedentem nec dependet a subiecto: dicendum, sicut iam dictum est, quod eodem modo educitur motus per motum sicut et forma. Quod autem motus non videtur dependere a subiecto [g] sicut et forma, non est ex hoc quod sint

---

[a] B^7 om. *et de... agentibus.* [b] Ita B^7, V *seminabilibus.* [c] Ita B^7, V *creari.* [d] B^7 *sicut enim per hoc nolumus* pro *n. e. p. h. v.* [e] Ita B^7, V om. [f] B^7 om. *educendum... formae.* [g] B^7 om. *a. s.*

diversa, sed ex hoc quod dicunt idem secundum diversas rationes; motus enim nominat formam quantum ad rationem sui fieri seu quantum ad primum esse suarum partium, forma vero dicit essentiam suam simpliciter, et prout ponitur remanere post motum, nominat eam quantum ad suum esse iteratum et continuatum; et ideo sicut esse continuatum est idem cum esse primo et tamen non possunt existere simul — quando [a] enim aliquid est in suo primo nunc, nondum eius esse est continuatum, ex quo autem [b] est continuatum, necessario desiit esse in primo nunc —: sic et in proposito.

Ad tertium dicendum quod in prima propositione petitur propositum quod debet probari; ponamus enim quod forma angeli quae in primo nunc fuit creata tota simul fuisset influxa seu facta a Deo successive, sicut ponimus quod formam caritatis in multis augeat [c] successive: constat quod non propter hoc esset per essentiam alia ab ea quam nunc habet. Dicendum igitur quod successivum et permanens possunt esse idem per essentiam, sub diversis tamen rationibus realibus [d]. Quod planius [e] esset, si vera esset opinio de aevo quam in quaestione de aevo ultimo recitavi, quod scilicet esse angeli iteratum seu continuatum sit idem cum esse quod primo habuit, sed [f] sub alia ratione; et inde est, sicut ibi tangebatur, quod in aevo potest esse prius et posterius absque aliqua diversitate essentiali, quamvis non absque continua factione et renovatione eiusdem esse. Motus igitur non [g] differt a forma post eum permanente [h], nisi sicut differunt partes formae, prout sumuntur in suo fieri seu in suo primo nunc, a se ipsis [i], prout sumuntur post totale fieri omnium earum; et quia in suo fieri non sunt omnes simul, sed una accipit esse continue post alteram, post totalem vero factionem sunt omnes simul [k] existentes: inde est quod ipsae sumptae primo modo differunt a se ipsis sumptis [l] secundo modo secundum rationem successionis et simultatis et permanentiae. Si autem successio et simultas earum adderent [m] aliquas diversas essentias super essentias [n] earum, tunc quoad ista addita differrent [o] in eis successivum et permanens. Si autem successio [p] aliquid adderet super partes formae successive

---

[a] Al. m. mg., del. *quod.* [b] B[7] *etiam.* [c] B[7] *forma... augeatur* pro *formam... augeat.* [d] B[7] om. [e] Sequitur ras. [f] Ita B[7], V *si.* [g] Al. m. mg. [h] Al. m. in ras. [i] Sequitur ras. [k] B[7] om. *sed una... simul.* [l] B[7] om. [m] Ita B[7], V *adderet.* [n] B[7] *essentiam.* [o] Al. m. ex *different;* idem subinde. [p] B[7] *successus.*

eductas, tunc eadem ratione aliquid adderet super partes [a] motus, quia et motus quaedam forma est, cum sit actus et perfectio mobilis. — Posito etiam quod aliquid adderet, non adderet nisi quoddam [b] accidens, et illud non posset esse aliud quam tempus seu quam prius et posterius secundum tempus; et tunc partes formae, ut sunt sub [c] successione, non differrent a se ipsis, ut sunt permanentes, nisi solum secundum diversas durationes suas. Ergo ex diversitate successionis et permanentiae non posset amplior [d] diversitas probari inter motum et formam manentem post eum nisi solum quod differrent secundum diversas durationes; ex hoc autem nulla probatur diversitas essentiae inter ipsa. — Si quis autem quaerat quomodo eadem pars potest esse aliquando prior altera et postea simul cum ipsa, nulla facta diversificatione essentiali vel accidentali circa ipsas: dicendum quod hoc contingit, quia una pars potest fieri sine alia et eadem sic facta absque aliquo alio sibi addito potest conservari et continuari, dum autem continuabitur, poterit fieri alia pars et sic alia et alia deinceps. Hoc autem posito sequitur quod absque aliquo alio eis addito eadem pars sit prior alia et tandem simul cum illa, quia pro suo primo esse erit prior, pro secundo vero esse erit simul cum ea; et idem [e] potest inveniri in omnibus sequentibus respectu omnium priorum. Et sic patet quod absque aliqno alio eis addito potest in eis esse successio et simultas seu permanentia.

Ad quartum dicendum quod non omnibus quae sunt eadem secundum rem possunt semper attribui eadem; diversitas enim attributionum seu praedicationum sequitur diversitatem rationum [f] et praecipue rationum realium. Quia igitur motus dicit essentiam formae non secundum omnem modum, sed solum [g] prout est in fieri et prout materia eam successive acquirit, successio autem dicitur esse maior, aut quia est velocior aut quia plura pertransiit [h], forma vero dicit simpliciter suam essentiam, secundum quod simpliciter est actus entis, actus vero entis tunc dicitur esse maior, quando plus habet de entitate et [i] actualitate: ideo, quamvis motus sit idem quod forma, nihilominus motus secundum rationem motus in casu poterit dici maior in quo

---

([a]) B[7] *partem.* ([b]) Ex *quaedam.* ([c]) In mg. ([d]) B[7] *ampliatur.* ([e]) B[7] om. ([f]) Al. m. mg. *seu... rationum.* ([g]) B[7] om. ([h]) B[7] *pertransit.* ([i]) B[7] *aut.*

forma non poterit dici et e contrario. Semper tamen id quod est motus poterit dici maius et perfectius, quandocunque id quod est forma erit maius et perfectius.

Ad quintum dicendum quod quamvis motus sit idem cum forma, potest tamen transire forma remanente; sicut esse angeli quod habet in primo nunc est idem cum esse quod habet in sequenti nunc et tamen transit quoad primum nunc et manet quoad sequens. Unde totum id quod est motus transit secundum unam rationem et totum manet secundum aliam; transit enim secundum [a] rationem qua est successivum et secundum rationem suae primae existentiae, manet autem secundum rationem qua est permanens et totum simul et secundum rationem esse iterati seu continuati [b]. — Quando autem dicitur quod ea quae sunt omnino idem semper ab eodem fiunt et [c] conservantur, istud aliquo modo est verum et aliquo modo non verum [d]. Ponatur enim quod sol annihiletur remanente radio qui ab eo gignebatur: constat quod iste radius semper est in se idem et tamen primo fiebat et conservabatur a sole, postmodum vero fit et conservatur a solo Deo. Eadem igitur res pro suo primo nunc potest fieri ab aliqua causa creata, pro sequenti vero nunc vel tempore poterit esse et conservari absque ea [e] et absque omni adiutorio suo, sicut patet in omnibus rebus durantibus in absentia suarum causarum efficientium. — Si autem quaeratur a quo conservatur forma, postquam motus cessat et an [f] possit dici quod tunc fiat ab aliquo: dicendum quod sicut forma in principio non accepit [g] esse per creationem, quamvis in principio accepit esse a Deo ita perfecte sicut si crearetur ab eo nec acceperit esse per simplicem influxum, quia tunc non fuisset educta de materia nec per impulsum materiae, nec tunc eius factio, quamquam [h] esset successiva, posset dici motus, sicut nec productio radiorum solarium successiva debet dici motus: sic nec post [i] suum primum esse conservatur aut fit per creationem aut per simplicem influxum, sed potius sicut ad impulsum datum materiae sequebatur motus et ipsa forma seu fieri ipsius formae, sic ad conservationem materiae in eodem statu sequitur forma seu conservatio formae. Materia autem conservatur a Deo in statu suo [k] per hoc quod con-

---

[a] B^7 add. *illam*. [b] B^7 *continuati et iterati* pro *i. s. e.* [c] Al. m. in ras. [d] Partim al. m. mg. [e] Ita B^7, V *eo*. [f] Sequitur ras. et lac. [g] B^7 *accipit*. [h] B^7 *etiam factio quam* pro *t. e. f. q.* [i] B^7 *per*. [k] B^7 add. *et*.

tinue est ab eo; non enim materia accipit esse absolutum [a] a Deo, sed potius accipit esse ad formam relatum, accipit enim esse ut ad formam et ut sub forma; accipit etiam esse a Deo ut substratum et mobile seu mutabile a suis motoribus; quando igitur a motore aliquo est posita sub tali forma seu sub tali termino, tunc accipit esse a Deo, prout est sub tali forma et in ordine ad talem formam. Hoc autem facere non solum est facere materiam esse, sed etiam est facere materiam esse formatam; facere autem materiam esse formatam [b] hoc est facere formam non per creationem nec per simplicem influxum, sed potius ut de materia prodeuntem; non enim [c] est aliud formam prodire aut educi [d] de materia quam eius factionem inchoare ab ipsa materia, per hoc scilicet quod materia impellitur ad formam aut per hoc quod tenetur in termino ad quem impulsus motorum finaliter diriguntur. Et hoc quasi sensibiliter videmus in motu locali: ipsum enim esse ubi seu ipsa existentia localis non est talis res quae posset [e] per simplicem influxum dari mobili; oportet enim quod eius productio semper incipiat ab ipsa re locata; ipsum [f] enim ubi fit per hoc quod [g] res locata seu localis applicatur tali loco. A quocunque igitur tenetur materia in termino et sub termino motus, ab illo conservatur et fit ipse terminus. Unde et [h] elementa per gravitatem et levitatem dicuntur stare in suis locis, sicut et per eas dicuntur moveri ad sua loca; quod non est verum, nisi ipsum ubi seu ipsa actualis locatio per quam formaliter existunt [i] in suis locis ita causetur [k] ab eis sicut et motus causabatur [l]. Nec mirum: si enim terminus formalis dicitur factus a motore, quia per suum impulsum movet mobile ad ipsum, multo magis aut aeque bene poterit dici fieri et in esse continuari ab eo qui tenet ipsum mobile in ipso termino; quando autem nullum agens creatum est dare quod teneat mobile in ipso termino, tunc tenetur a solo Deo.

Forte autem aliquis obiciet quod ex praedictis sequitur quod agens creatum possit aliquando formam educere de materia sine motu, tunc videlicet quando educet eam per hoc quod tenet mobile in termino; qua autem ratione

---

[a] B^7 *sicut enim materia non accipit absolutum esse* pro *non... absolutum.* [b] B^7 om. *f. a. m. e. f.* [c] Ita B^7, V om.; add. interl. al. m. *est.* [d] Al. m. ex *edoci.* [e] B^7 *possit.* [f] Ita B^7, V *per ipsum.* [g] B^7 add. *ipsa.* [h] Al. m. in ras. [i] B^7 *exeunt.* [k] Ex *causentur.* [l] Ita B^7, V *causabantur.*

potest eam tunc educere sine motu, eadem ratione, ut videtur [a], hoc ab initio potuit.

Dicendum quod nullum agens creatum potest formam prius non existentem in materia educere de materia [b] nisi cum motu, quia tunc materia erat in alio [c] termino opposito seu sub alia forma destruenda; ab ista autem non potuit recedere et sub alia fieri nisi impellendo eam ab ista [d] ad illam; hoc autem non potest fieri in instanti ab agente creato, sicut in sequentibus ostendetur; sed postquam materia successive et cum motu pervenit ad formam perfectam, qua ratione potuit ad hoc pervenire per virtutem agentis creati, potest postea et in eodem conservari, nisi aliud repugnet quam ratio obiectionis [e] praedictae; conservare autem formam in esse iam primitus accepto non potest fieri per hoc quod moveatur materia ad ipsam [f], quia motus praesupponit defectum et absentiam eius ad quod tendit et praesupponit quod mobile distet ab eo.

Forte adhuc instabitur quod ex praedictis videtur sequi quod conservatio formae non sit aliud quam conservatio materiae; dictum est enim supra quod tenere materiam sub forma est formam conservare et quod Deum tenere materiam sub ea non est aliud quam essentiam materiae continue fluere a Deo; ex iis autem sequitur quod Deum facere vel [g] conservare formam non est aliud quam materiam continue fluere a Deo.

Item, aliud inconveniens videtur sequi, quia tunc qua ratione [h] ex factione seu conservatione materiae sequitur factio seu conservatio talis formae, eadem ratione sequetur ex hoc factio formae oppositae, et ita simul erunt in ea opposita, quia semper ad factionem talis materiae sequetur necessario talis forma, et ita non poterit sequi eius opposita.

Item, videtur sequi quod materia sit causa efficiens ipsius formae; alias ad materiae factionem vel tentionem non necessario sequeretur factio et conservatio ipsius formae.

Ad primum dicendum quod essentia materiae non est tale quid [i] quod possit sola fieri absque aliquo esse determinato [k] et formali sibi addito; unde quandocunque fit, oportet quod fiat formata per [l] aliquod esse formale. Non

---

[a] B^7 *sine motu* pro *u. v.* [b] Al. m. mg. *d. m.* [c] B^7 *aliquo.* [d] Ex *istam.* [e] B^7 *illud repugnat quam initio abiectionis* pro *a. r. q. r. o.* [f] B^7 *ipsum.* [g] Add. interl., del. *et.* [h] Ex *ratione qua.* [i] B^7 *talis* pro *t. q.* [k] Ita B^7, V *determinata.* [l] Ita B^7, V *pro.*

ergo fuit supra intentio dicere quod factio materiae sit factio [a] formae, sed potius quod materia non potest fieri, nisi ipsa fiat sub aliqua forma aut sub aliquo esse formali; ac per consequens in eius factione concomitatione [b] includitur factio formae aut alicuius esse formalis. Dico autem sub disiunctione [c] « forma vel esse formale », quia quidam volunt quod quamvis Deus non possit facere materiam sine esse formali, potest tamen eam facere sine forma, sicut in quaestionibus de materia recitavi.

Ad secundum dicendum quod ad factionem materiae non sequitur in omnem eventum factio talis formae, nisi solum quando materia sic fit quod fiendo ponitur sub tali forma et hoc sic quod de ea prodit ipsa forma [d]; et ita non sequitur quod ad factionem materiae semper necessario sequatur factio talis formae, sed solum ad factionem materiae sub hoc modo.

Ad tertium dicendum quod factio formae dicitur sequi ad factionem materiae, non quia materia sit eius [e] causa efficiens, sed quia forma fit per quandam applicationem et inclinationem et collationem materiae. Formae enim quae de materia educuntur non solum se habent ad eam sicut receptum ad recipiens aut sicut delatum ad deferens [f], sicut se habet radius solis ad aerem in quo recipitur, non enim radius fit in eo per aliquam applicationem ipsius aeris, sed solum absolute substernitur ipsi radio et receptioni eius: immo ultra hoc se habent ad eam sicut subiectum applicabile et applicatum se habet ad suam actualem applicationem aut ad terminum suae applicationis; ut verbi gratia posito quod Deus materiam terrae subito formet in urceum, hoc non posset fieri nulla facta variatione in partibus materiae, si enim aliter non situarentur [g] in suo toto quam prius, nunquam posset eis dari forma [h] urcei. Quando autem haec nova forma [i] datur eis successive [k], vocatur motus; sed si a Deo daretur in instanti, vocaretur mutatio seu subita formatio earum. Posito autem quod in ipsa prima creatione materiae Deus daret sibi hanc formam, nihilominus daretur tunc eius partibus haec situatio et applicatio nec differret [l] a modo formationis praecedentis [m] nisi solum in hoc quod

---

[a] B^7 add. *ipsius*. [b] B^7 *concomitante*. [c] Al. m. ex *diiunctione*. [d] Al. m. mg. [e] Al. m. mg. [f] Ita B^7, V *differens*. [g] B^7 *situaretur*. [h] Ita B^7, V *formam*. [i] B^7 *situatio*. [k] B^7 *successiva*. [l] B^7 *applicatio et talis situatio vel formatio non differret* pro *a. n. d.* [m] Ita B^7, V *praecedenti*.

in priori modo aufertur situatio seu formatio opposita, hic vero nulla aufertur.

Ad sextum dicendum quod in forma per motum introducta contingit dare aliquando quadruplicem modum continuitatis. Si enim est corporalis, est in ea dare continuitatem extensionis; estque secundo in ea dare continuitatem intensionis ([a]), quia semper durante motu continue aliquid de eius essentia noviter introducebatur, ex quo oportet quod partes huiusmodi habeant inter se ordinem cuiusdam continuae unionis in infinitum divisibilis, sicut et ipse motus cuius partibus partes formae parificantur; est etiam tertio in ea ([b]) dare continuitatem successionis partium diversarum quantum ad suum fieri sibi succedentium; quarto vero est ibi dare continuitatem successionis eiusdem totalis formae semper conservatae et in sua identitate continuatae. Istae autem tres ultimae non dicunt diversas essentias, sed solum diversas rationes reales eiusdem formae et partium eius. — Si quis dicat quod Aristoteles non posuit quantitatem intensionis in suis praedicamentis: dicendum quod similiter non posuit ibi quantitatem motus, qui in sua essentia sic includit quantitatem sicut et successionem, nec Deus posset facere motum non quantum seu non protensum secundum prius et posterius et ita parum potest intelligi sine huiusmodi protensione ([c]) sicut et tempus. Estque ([d]) periculosus modus arguendi in fide dicere, « Aristoteles non posuit hoc, ergo non est ita », aut, « Aristoteles hoc dixit, ergo est ita »; hoc enim est occulte et etiam aperte astruere quod Aristoteles est regula infallibilis omnis veritatis. Et tamen hoc in *Metaphysica* satis innuit, quando dicit ([1]) quod inter contraria est quaedam distantia intelligibilis quam percurrit motus qui est inter ea, sicut videmus quod inter terminos motus localis est quaedam distantia sensibilis quam ipse pertransit; ubi autem distantia, ibi et quantitas.

Ad septimum dicendum quod motus dicit essentiam formae secundum rationem fieri et successionis; per hanc autem rationem forma non facit rem substantialiter existere, sed potius per hoc quod est actus entis, inde ([e]) quod, licet forma et motus idem sint, per motum tamen, in quantum

---

([a]) V B[7] *intentionis.* ([b]) B[7] *eadem.* ([c]) B[7] om. *secundum... protensione.* ([d]) Sequitur ras. et lac. ([e]) B[7] om.

([1]) Lib. V, 10, 1018a 25 sqq.

motus est, res non existit, licet bene existat per id quod est motus, quando est in gradu actualitatis completo. Praeterea, haec ratio nihil concludit de forma accidentali et de motu per quem fit, utrumque enim est accidentale.

Ad octavum dicendum quod motus dicitur terminari ad formam, quia in termino motus forma est completa et non ante; et ideo in termino motus habet simpliciter nomen et [a] rationem formae, ante vero secundum quid. Unde non debemus imaginari quod forma sit terminus motus eo modo quo punctus dicitur esse terminus lineae, acsi tota forma subito sequeretur post [b] motum, ita quod nihil eius fieret simul cum motu.

Ad nonum dicendum quod passio non differt essentialiter ab actione nec a qualitate recepta, sive illa qualitas sit accidentalis sive substantialis; dicit tamen aliam rationem realem ab eis, et ideo non multum proprie praedicaretur de eis nec e contrario; unde prima est neganda.

Ad decimum dicendum quod inter ea quae sunt eadem non potest fieri separatio; sed bene potest fieri quod utrumque totum [c] transeat secundum unam viam et totum maneat secundum aliam, sicut fit in esse angeli sibi ipsi succedente. Potest etiam contingere quod unum et idem ens possit fieri diversis modis [d], ita quod illi modi nihil addent ad essentiam eius; et tunc aliquando unus illorum modorum poterit esse absque altero, quamvis essentia unius modi non [e] possit esse sine essentia alterius modi; ut verbi gratia in proposito: ecce enim quod Deus potest unam et eandem [f] formam facere totam [g] simul, et tamen simultas et successio nihil addunt super essentiam partium, et ita, licet [h] essentia successionis et simultatis [i] sit eadem, non tamen habet semper utramque istarum rationum. Sciendum tamen quod hoc dictum hic et alibi quidam erronee intellexerunt; crediderunt enim quod una ratio realis posset tolli ab essentia in qua per omnimodam indifferentiam includitur et quod posset ei de novo advenire, acsi [k] esset aliquod accidens eius; unde et dixerunt quod per motum aliquem posset sibi dari et per [l] motum alium tolli, sicut infra in quaestione de ubi seu de esse in magis [m] tangetur. Hoc autem est im-

---

[a] Add. interl., del. *cum.* [b] B^{7} *per.* [c] Ita B^{7}, V *totam.* [d] B^{7} om. *possit... modis.* [e] B^{7} om. [f] Ita B^{7}, V *eadem.* [g] Al. m. mg. [h] Ita B^{7}, V *et.* [i] Ex *simulitatis.* [k] Add. interl. al. m. [l] B^{7} om. [m] B^{7} *plenius* pro *i. m.*

possibile, sicut ibidem ostendetur; nunquam enim talis ratio realis potest tolli aut de novo fieri, quin tota essentia tollatur aut fiat. Unde in esse angeli ratio existentiae quam habuit in primo nunc non posset ab eo transire, posito quod sit totaliter idem cum ipso, nisi ipsum esse respectu illius nunc totum in praeteritum transiret; et eodem modo ratio existentiae quam habet in sequenti nunc non posset de novo fieri, nisi ipsum esse totum iterum fieret, sicut in quaestione de aevo plenius recitavi. Ut igitur in proposito videamus quomodo eadem essentia possit in suis partibus habere aliquando rationem successionis et aliquando rationem simultatis: sciendum quod eam habere successionem in suis partibus non est aliud quam quod dum una pars primo accipit suum esse, sequens non tunc sibi addatur, sed potius post primum esse primae partis sequens pars accipiat suum primum esse (a); eandem vero formam totam simul fieri non est aliud quam quod dum una pars accipit suum primum esse, sequentes similiter accipiant. Ratio ergo (b) simultatis tollitur a forma per hoc quod essentia partium sequentium tollitur seu non adiungitur primae parti, quando ipsa primo fit, et idem de secunda et tertia et sic deinceps. Ratio vero successionis tollitur per hoc quod essentia partium sequentium tunc fit, quando prima accipit suum primum esse. Patet igitur quod rationes istae non adveniunt partibus formae nisi per factionem vel non factionem essentiae earum, et ita nunquam fiunt de novo nisi per novam factionem essentiae in qua fundantur (c). Quia ergo una pars potest fieri, quando alia fit aut postquam alia facta est, non faciendo aliquam aliam essentiam praeter essentiam ipsarum partium: ideo eadem forma potest fieri duplici modo ac per consequens aliquando habere unam rationem realem, aliquando vero habere (d) non illam sed aliam, nulla essentia per hoc addita vel ablata (e) essentiae suarum partium.

Quoniam autem totus iste modus de identitate motus et formae et de identitate successivi et permanentis multis videtur esse impossibilis et ridiculosus: ideo cui (f) praedicta non placent potest dicere, sicut et alias dixi, quod motus addat super formam quandam essentiam

(a) B⁷ om. *primae... esse.* (b) B⁷ *autem.* (c) B⁷ *fundatur.* (d) Al. m. mg., del. *rem.* (e) Al. m. corr. (f) Al. m. mg.

imperfectam et successivam; et tunc habet pro se omnes rationes in [a] arguendo factas.

Quae [b] autem istarum sit verior non est meum certitudinaliter definire; fateor tamen me non posse videre [c] quomodo rationes factae pro altera parte in principali responsione non sint [d] verae; si enim hoc possem [e], hunc secundum modum libentius tenerem.

QUAESTIO XXVIII.

Sexto ad id quod secundo quaerebatur [sc. ad quae praedicamenta motus terminari possit]

Dicunt quidam [f] quod quaecunque sunt quae per se de materia educuntur aut educi possunt ad omnia illa potest motus per se terminari, quia secundum supra dicta non est aliud motum ad aliquid terminari [g] quam illud successive de materia educi; quaecunque autem inveniuntur in rebus transmutabilibus de novo inesse et postmodum permanere et a subiecto dependere quae habent essentias per se et secundum se distinctas ab omnibus aliis oportet quod per se et secundum se de materia educantur, quia esse [h] quod modo est et antea non fuit habens secundum se essentiam ab aliis distinctam oportet quod secundum suam essentiam [i] fuerit productum in esse; non enim per solam productionem alterius essentiae posset illud produci, nisi praeter hoc sua essentia secundum se produceretur in esse; ergo ad omnia talia motus potest per se terminari. — Omnia autem illa praedicamenta quae secundum se non dicunt alias essentias ab illis in quibus immediate fundantur, sed solum dicunt aliquas rationes reales earum [k] non habent productionem [l] aliam ab illa qua producitur essentia in qua immediate fundantur; si enim haberent aliam productionem, haberent necessario aliam essentiam, quia omnis productio ali-

---

[a] Al. m. in ras. [b] Ita B^7, V *quod*. [c] B^7 om. *n. p. v.* [d] B^7 *sit*. [e] B^7 *posset*. [f] B^7 *aliqui*. [g] B^7 om. *quia... terminari*. [h] B^7 om. [i] B^7 om. *ab aliis... essentiam*; B^7 *fuit* pro *fuerit*. [k] Ita B^7, V *eorum*. [l] B^7 add. *et; illa* ex *illo*.

quam novam essentiam introducit in esse nec aliqua ratio alicuius rei potest fieri, nisi per hoc quod fit essentia sua, nec potest esse facta, nisi quando [a] est facta tota essentia sua.

Quidam autem praedictis consentiunt praeterquam in illis accidentibus quae a multis dicuntur fieri per hoc quod resultant [b] a suis subiectis, ut calor ab igne et sic de aliis; si enim verum est quod haec fiant per resultationem, tunc quamvis habeant propriam factionem et diversam numero et specie a factione subiecti, tamen eorum factio non debet dici motus, sicut nec factio primarum impressionum. An autem huiusmodi accidentia [c] possint effici a suis subiectis et praecipue [d] per viam resultationis in sequentibus quaeretur; valde enim dubium est hoc quibusdam et etiam mihi, quamvis in multis locis hoc supposuerim tanquam communiter ab aliis dictum.

Ad videndum [e] igitur secundum priores ad quae praedicamenta motus per se terminetur et ad quae non, non oportet aliud videre nisi quae praedicamenta secundum se dicant essentias distinctas ab aliis et quae dicant solummodo rationes super essentias [f] aliorum fundatas absque omni diversitate reali. Quia autem de hoc diversae sunt opiniones, idcirco absque omni assertione diversorum sententias recitabo.

Quidam enim sequaces Aristotelis credentes quod Aristoteles voluerit decem praedicamenta esse decem genera rerum inter se [g] essentialiter distinctarum acceperunt quasi pro primo principio quod hoc ita se habeat [h], quamquam Aristoteles [1] non inveniatur multum [i] expressisse quod dicant semper necessario diversas essentias et multo minus inveniatur [k] aliquam rationem sive necessariam sive probabilem ad distinctionem et numerum praedicamentorum probandum alicubi adduxisse. In *Praedicamentis* [2] enim

---

[a] V *non esse facta quando* pro *e. f. n. q.* quae habet B[7]. [b] Al. m. ex *resutant.* [c] B[7] om. [d] B[7] om. [e] B[7] *evidentiam.* [f] Al. m. corr. [g] B[7] add. *et.* [h] B[7] *haec ita se habeant* pro *h. i. s. h.* [i] B[7] *ita inveniatur hic multum* pro n. *i. m.* [k] B[7] *invenitur.*

---

[1] Cfr. *Top.*, I, 9, 103b 20sqq.; *Anal. post.*, I, 22, 83a 21sqq.
[2] Cfr. *Cat.*, cap. 4, 1b 25sqq.

nihil facit super hoc nisi variare, acsi quicquid dicat esset per se notum; nec in *Metaphysicis* (1) aliquid de hoc probat, sed potius tanquam notum supponit; et quoniam motum non posuit per se in aliquo praedicamento, sed posuit inter postpraedicamenta (2): ideo multi sequaces eius dixerunt quod motus non erat per se in aliquo praedicamento, sed erat solum per reductionem in illis praedicamentis ad quae terminatur; dicunt enim quod motus non dicit ens nisi secundum quid, non enim dicit actum purum, sed actum permixtum potentiae, unde non proprie dicit ens, sed potius viam ad ens. Avicenna tamen in suis *Physicis* (3) non multum iis consentire videtur nec credit quod numerus praedicamentorum possit sufficienti ratione probari.

Quidam autem volentes ostendere numerum praedicamentorum rationabiliter (a) ab Aristotele positum dicunt quod eorum distinctio accipitur secundum diversum modum essendi. Modi autem essendi sunt proportionales modis (b) praedicandi, quia cum praedicamus hoc de illo, dicimus hoc esse illud, unde et decem genera entis dicuntur decem praedicamenta; ergo secundum quod diversificatur modus praedicandi, diversificabitur et modus essendi. Tripliciter autem fit omnis praedicatio. Unus modus est, quando de subiecto praedicatur id quod pertinet ad essentiam eius, ut Sortes est homo; et secundum hoc accipitur praedicamentum substantiae. Secundus modus est, quando praedicatur de subiecto id quod non est de essentia eius tamen inhaeret ei, et tunc aut absolute aut per respectum (c) ad alterum. Quodsi ei (d) inhaereat absolute et hoc ex parte materiae, est praedicamentum quantitatis quod proprie consequitur materiam. Si autem sequatur formam, sic est praedicamentum qualitatis, unde et qualitates fundantur in quantitate, sicut color (e) in superficie et figura (f) in lineis vel superficiebus. Si autem inhaeret ei per respectum ad (g) alterum, est praedicamentum relationis. Tertius autem modus est, quando aliquid extrinsecum de

(a) B7 *realiter.* (b) Al. m. corr. (c) Sequitur ras. (d) B7 om. (e) Ita B7, V *calor.* (f) Ex *figuratur.* (g) Add. interl. al. m.

(1) Lib. VI, 2, 1026a 33sqq; VII, 4, 1030a 18sqq.; IX, 1, 1045b 27sqq.; XI, 12, 1068a 8sqq.; XIV, 2, 1089b 23sqq. (2) Cfr. *Phys.*, V, 1, 225b 5sqq.; V, 2, 225a 10sqq., 226a 23sqq.; III, 1, 200b 32sqq.; *De caelo*, IV, 3, 310a 23sqq.; *De gener. et corrupt.*, I, 4, 319b 31sqq.; *Metaph.*, XII, 1, 1069b 9sqq. (3) *Sufficientia*, II, 2 (f. 24vb sqq.).

aliquo [a] praedicatur per modum alicuius denominationis, Hoc autem contingit aut communiter in [b] omnibus rebus aut specialiter in iis quae ad homines tantum spectant. Primo modo potest fieri aut secundum rationem causae vel secundum rationem mensurae; denominatur enim aliquid quantum [c] et mensuratum ab alio [d] exteriori. Cum autem sint quatuor causae quarum duae, scilicet materia et forma, sunt partes substantiae — unde praedicatio sumpta ab eis spectat ad substantiam —, causa autem finalis non causet seorsum aliquid ab agente — finis enim in tantum habet rationem causae, in quantum movet agentem —: restat igitur sola causa agens a qua sicut ab exteriori potest aliquid denominari. Et si effectus denominetur ab ipsa causa, est praedicamentum passionis; si vero causa ab effectu [e], est praedicamentum actionis. Mensura autem aut est intrinseca aut extrinseca. Si intrinseca, sic non est [f] aliud quam quantitas propriae magnitudinis a qua res non denominatur nisi [g] sicut ab extrinseco; exteriores autem sunt tempus et locus. Secundum autem quod aliquid denominatur a tempore, est praedicamentum quando; secundum autem quod a loco, est praedicamentum ubi et praedicamentum situs quod addit super [h] ubi ordinem partium in loco; super quando vero non fuit additum aliquod [i] praedicamentum, quia ordo partium in ratione temporis importatur; ordo vero quem dicit situs [k] non ita importatur per ubi vel per locum. Denominatio vero sumpta ab aliquo [l] quod est speciale in hominibus est praedicamentum habitus; cum enim homo dicitur armatus vel vestitus, denominatur ab aliquo extrinseco quod non habet rationem neque causae neque [m] mensurae, sed solum habet rationem [n] quasi actionis, scilicet ornandi [o], et ideo est speciale praedicamentum. In aliis autem animalibus non est hoc praedicamentum, nisi secundum quod in hominis usum veniunt, ut si dicamus equum sellatum [p] vel armatum.

E contra autem quidam sentiunt, rationem hanc ultimo allatam nullam reputantes. Primo quidem, quia ut dicunt, diversitas modorum praedicandi non necessario infert [q] diversitatem modorum essendi, quoniam

---

[a] B[7] om. *d. a.* [b] B[7] om. [c] B[7] *causatum.* [d] B[7] *aliquo.* [e] In ras. [f] Ita B[7], V om. [g] B[7] om. [h] Ita B[7], V *supra.* [i] Ita B[7], V *aliquid.* [k] B[7] *qui dicit situm* pro *q. d. s.* [l] B[7] *eo.* [m] Ita B[7], V *nec.* [n] Al. m. mg. *neque causae... rationem.* [o] B[4] *ornari.* [p] B[7] *falleratum.* [q] B[7] add. *nec.*

modus praedicandi potius sequitur modum intelligendi quam modum essendi; unde [a] quaedam attribuimus rebus secundum modum intelligendi nostrum quae non omnino ita se habent secundum modum essendi qui est in re.

Secundo, quia modus essendi diversus non necessario infert diversitatem praedicamentorum realem, cum eadem essentia possit in diversis temporibus et suppositis diversos modos essendi habere, et [b] essentia unius generis et maxime generis generalissimi habet modos essendi diversissimos in diversis speciebus; unde oporteret ponere innumerabilia praedicamenta, si diversitatem modorum essendi attenderemus. Praeterea, quod quodlibet praedicamentum habeat modum [c] essendi realiter diversum ab aliis non plus est probatum quam quod habeat diversas essentias; posito enim [d] quod aliqua eorum non differant nisi solum [e] secundum solas rationes reales: constat quod illa non haberent diversum modum essendi secundum rem.

Tertio, quia ut dicunt, ponere membra sequentia non est numerum praedicamentorum probare, sed solum narrare; si quis enim [f] vellet addere aut subtrahere aliqua [g] membra ad sufficientiam praedicamentorum praeassignatam, posset per viam consimilis narrationis ponere plura praedicamenta vel pauciora [h]. Ad hoc igitur [i] quod praedicta sufficientia et consimiles habeant vim efficacis argumenti oporteret probare quod non possunt plura membra poni aut pauciora et quod quodlibet membrorum necessario ponit unum praedicamentum ab aliis realiter distinctum; nihil autem horum fit hic.

Quarto, quia ut dicunt, in ipsis membris aliqua falsa includuntur [k].

Quod enim in primo membro dicitur quod quando praedicatur aliquid essentiale, tunc est praedicamentum substantiae, non est simpliciter verum; quia in aliis praedicamentis praedicatur superius de inferiori essentialiter sicut et in substantia, et ita quantum ad hoc omnia essent in praedicamento substantiae. — Praeterea, aut isti intendunt dicere quod ea quae sic praedicantur solum [l] compleant praedicamentum substantiae, et tunc ipsa subiecta quae de nullo alio praedicantur non erunt de praedicamento substantiae. Et quidem hoc

---

[a] B[7] *nam.* [b] B[7] *ut.* [c] B[7] add. *suum.* [d] B[7] om. [e] B[7] om. [f] B[7] om. [g] B[7] *alia.* [h] Al. m. ex *paucior.* [i] B[7] *enim.* [k] B[7] *implicantur.* [l] B[7] om.

sequitur non solum ex isto, sed etiam [a] ex supradictis; si enim ex modis praedicandi sumuntur praedicamenta, tunc subiecta et modi subiciendi non spectabunt ad ipsa. Si dicatur quod talia praedicantur de se ipsis per identitatem et ideo possunt poni in praedicamento: tunc eadem ratione Deus et omnes perfectiones eius possent poni [b] in praedicamento [c]. — Praeterea, secundum illos quorum est haec sufficientia et secundum alios sequaces Aristotelis [d] substantiae intellectuales et quaecunque substantiae incorruptibiles non habent aliquod genus seu aliquod commune univocum cum substantiis corruptibilibus; ergo secundum eos oportebit dare [e] duo praedicamenta substantiae.

Quod etiam in secundo membro dicitur quod scilicet quantitas dicit quoddam accidens quod immediate sequitur [f] materiam est secundum eos falsum. Si enim quantitas [g] est accidens, tunc oportet quod dicat quandam formam accidentalem absolutam; omnis autem forma talis videtur esse qualitas, quia per suam informationem reddit materiam talem vel talem. — Praeterea, cum forma substantialis primo uniatur materiae quam aliquod accidens, quoniam a forma substantiali suscipit esse, in tantum quod sine ea esse non potest, accidens vero recipit existentiam a supposito et non dat [h] ei esse simpliciter, sed solum tale esse, et cum hoc oporteat dicere quod quodlibet accidens primo [i] et per se informet materiam sui subiecti: nihil est dictu secundum istos quod quantitas primo inhaeret materiae quam qualitas. — Praeterea, secundum istos quantitas discreta nihil addit ad res in quibus fundatur. Quorum rationes, quantum ad speciem numeri spectat, in quaestione an unitas addat aliquid ad ens recitavi. Alia enim [k] species quae dicitur oratio non videtur aliquid addere super essentiam motus vocalis et super essentiam soni vel vocis; distincta enim coordinatio et [l] coacervatio plurium motuum vocalium seu [m] plurium vocum facit orationem, sicut coacervatio plurium hominum vel lapidum facit unum numerum vel acervum; et hinc est quod omnis oratio videtur habere duplicem quantitatem, scilicet quantitatem [n] motus et temporis — pluri enim tempore durat una quam alia et velocius profer-

---

[a] B[7] om. [b] Al. m. mg. [c] B[7] om. *tunc... praedicamento.* [d] B[7] *eorum.* [e] Ita B[7], V *dari.* [f] Sequitur ras. [g] B[7] *qualitas.* [h] Al m. mg. [i] B[7] *prius.* [k] B[7] *autem.* [l] Add. interl. al. m.; al. m. corr. in ras. *coacervatio.* [m] Ita B[7], V *sed.* [n] B[7] add. *vocum vel.*

tur una quam alia —, et quantitatem numeralem [a] secundum numerum litterarum et syllabarum. Rationes vero eorum quantum ad quantitatem habentem positionem in quaestione an voluntas sit potentia activa recitavi, quantum vero ad quantitatem continuam et successivam in quaestionibus de tempore et [b] aevo.

Quod etiam in [c] tertio dicitur quod scilicet qualitates fundantur in quantitate, ut color in superficie, non videtur istis; videtur enim istis [d] quod color non sit in profundo sicut in superficie aut quod color non [e] informet aliud quam materiam habentem istas dimensiones; nihil enim videtur eis dictu quod informet ipsas dimensiones, acsi in quantum tales habeant [f] in se potentiam materialem per quam sint colorum susceptibiles. — Praeterea, color ipse suam propriam habet extensionem sicut et suum subiectum. — Volunt etiam isti quod figura nihil addat ad totalem positionem omnium partium in quibus figura consistit; si enim aliquam qualitatem adderet, tunc intellectus noster posset intelligere omnes partes ut sic vel sic positas absque hoc quod intelligeret aliquam figuram, hoc autem videtur omnino impossibile; tunc etiam Deus posset facere partes cum tali positione nullam faciendo figuram. De hoc autem plenius tetigi in quaestione an Deus possit facere accidentia sine subiecto.

Quod etiam in quarto dicitur quod sola relatio inhaeret per respectum ad alterum falsum eis videtur, quia omnes habitus substantiarum et virtutum informant potentias in relatione ad actus et ad obiecta [g]. Actio etiam et passio inhaerent patienti [h] in relatione ad agens. Quis etiam dicet quod ubi et situs seu positio [i] non inhaereant suis subiectis cum respectu ad alterum, utpote in respectu ad locum? — Praeterea, secundum istos relatio nihil addit ad ea super quae immediate fundatur. Quorum rationes in quaestione an potentiae animae sint omnino eaedem [k] recitavi.

Quod autem [l] in sequentibus dicitur qucd a causa finali non potest praedicamentum sumi, quia nihil causat nisi movendo efficientem: dicunt isti quod res denominantur utiles ex ordine ad finem, et ita qua ratione ab indumentis potest sumi praedicamentum habitus, sic a fine praedicamentum ordinis finalis.

---

[a] B[7] *numerabilem vocum.* [b] Al. m. ex *in.* [c] B[7] om. [d] V om. *v. e. i.* quae habet B[7]. [e] Ita B[7], V om. [f] B[7] *haberent.* [g] B[7] *ad accidens et obiectum* pro *a. a. e. a. o.* [h] B[7] *potentia.* [i] B[7] om. *s. p.* [k] Al. m. mg. [l] Al. m. in ras.

Quod etiam in sexto membro dicitur quod quando causa denominatur ab effectu, est praedicamentum actionis: mirantur isti quomodo a denominatione secundum hoc quod nihil ponit [a] in re sumatur praedicamentum; denominatio enim ab effectu sumpta nihil ponit in agente. Mirantur etiam quod cum idem effectus sit actio et passio, diversis tamen respectibus, quomodo possint ab eo [b] accipi duo praedicamenta essentialiter distincta; posito enim quod respectus illi essentialiter differant, non videntur [c] posse reponi nisi in praedicamento relationis.

Quod autem in septimo dicitur quod tempus est mensura extrinseca, quomodo secundum istos falsum sit tactum est in materia de tempore et aevo. — Praeterea, posito quod ita [d] esset, quid reale poneret eius mensuratio in rebus temporalibus et maxime tale quod esset praedicamentum realiter distinctum non videtur posse dari; nam motum istum vel illum esse in tempore nihil addit super actualem existentiam [e] ipsius motus, eo enim ipso quo est actu eo ipso est in tempore et non per aliud et aliud. — Praeterea, posito quod adderet [f], non videtur [g] quod adderet nisi ordinem rei temporalis ad tempus; ordo autem in praedicamento relationis esse videtur. — Praeterea, sicut mensurari a tempore ponet unum praedicamentum in re temporali: sic mensurare active sumptum ponet eadem ratione unum aliud [h] praedicamentum in tempore; quod poterit dici quando activum, primum vero quando [i] passivum; quae omnia videntur absurda. Videtur igitur istis quod sicut albedo et esse album seu sicut albedo et eius inhaerentia non faciunt duo praedicamenta, sic nec tempus et esse in tempore. — Praeterea, quid ad rumbum quod propter hoc quod propria magnitudo est mensura intrinseca, idcirco mensurari ab ea non faciat praedicamentum distinctum? Unde enim est hoc probatum potius quam de mensura extrinseca?

Quod autem in octavo de ubi dicitur quod sumitur a denominatione facta a loco: dicunt isti quod si esse [k] in loco non dicit essentiam, cuius ratio in quantum talis [l] in nullo aliorum praedicamentorum possit reponi, quod causa [m] illa praedicta omnino ridiculosa est. Quid autem de hoc sit infra [n] in quaestione de ubi seu de esse in tangetur.

---

[a] B^7 *ponitur.* [b] B^7 *ea.* [c] B^7 *videtur.* [d] In ras. [e] B^7 *essentiam.* [f] Al. m. ex *addere.* [g] Al. m. in ras. [h] B^7 om. [i] B^7 om. [k] B^7 *essentia.* [l] B^7 add. *est.* [m] Al. m. in ras. [n] B^7 om.

Quod autem in nono dicitur quod situs qui dicit ordinem partium in loco idcirco est praedicamentum distinctum ab ubi, quia ordo ille partium non includitur in ratione loci: mirantur isti quod cum huiusmodi situs non videatur dicere nisi quandam differentiam [a] ipsius ubi, quendam scilicet modum eius determinatum — potest enim aliquid esse in loco tali vel tali modo —, mirantur, inquam, quomodo possit esse praedicamentum distinctum ab ubi, non dicam secundum rem, sed nec etiam secundum rationem. — Praeterea, posito quod dicat aliquid aliud ab ubi, non videtur quod possit dicere nisi vel relationem [b] vel positionem partium in toto quae ad praedicamentum quantitatis spectat [c].

Quod autem in [d] decimo de habitu dicitur quomodo secundum istos non [e] valeat in quaestione an voluntas sit potentia [f] activa recitavi.

Quaerunt etiam isti unde potest [g] probari quod non sint plura [h]. Si enim dicatur quod per hoc quod nos plura non [i] experimur nec scimus, stulta est huiusmodi ratio; multa enim sunt occulta in sinibus tam naturae corporalis quam intellectualis quae omnino nos latent, multa etiam possunt a Deo fieri quae nunquam facta sunt. Et tamen isti intendunt ponere pro primo principio quod nec Deus plura praedicamenta facere possit. Et tunc quaero ab eis in quo praedicamento continetur illud esse in quo corpus Christi est in speciebus panis aut in quo continetur conversio panis in corpus Christi [k]; impossibile est enim quod sit in eodem genere univoco cum actionibus et passionibus agentium creatorum. Et idem dico de creatione. — Praeterea, quomodo constat quod omnes qualitates [l] habeant unum genus univoce? in nulla enim natura [m] quae possit habere rationem generis videtur convenire habitus virtutum et scientiarum cum albedine vel colore vel siccitate aut cum figura [n] aut cum naturali [o] potentia ad currendum vel ad non scindi; nec videntur [p] plus habere de univocatione cum istis quam cum ubi vel cum situ, aut si habent, quaeritur ab istis quae est illa natura vel ratio; nomine enim qualitatis non appareret quomodo talis natura significetur, quia hoc nomen vi-

---

[a] B^7 *essentiam.* [b] Ita B^7, V *relatione.* [c] B^7 *qualitatis spectant* pro *q. s.* [d] B^7 om. [e] B^7 om. [f] Ita B^7, V om. [g] B^7 *possit.* [h] B^7 add. *nec pauciora.* [i] B^7 add. *videmus nec.* [k] Ita B^7, V om. [l] In ras. [m] B^7 *in nullo enim genere nulla erit natura* pro *i. n. e. n.* [n] Sequitur ras. [o] Al. m. mg., del. *natura,* B^7 *natura similiter.* [p] B^7 *non videtur* pro *n. v.*

detur sumptum ab informatione et dispositione substantiae per quam possit dici talis vel talis potius quam ab [a] aliqua natura vel ratione ipsarum qualitatum absoluta. — Praeterea, si secundum illos quorum est haec sufficientia substantiae spirituales nihil habent univocum cum corporalibus: ergo nec eorum accidentia spiritualia cum accidentibus corporalibus aliquid tale habebunt. — Praeterea, quaerunt isti in quo genere ponentur aspectus potentiarum animae; non enim sunt habitus vel passiones nec sunt actus potentiarum, utpote non sunt sentire vel intelligere vel appetere. Quaerunt etiam in qua specie sunt violentae inclinationes quae datae sunt sagittis et lapidibus a suis proiectoribus et [b] universaliter omnes inclinationes naturales vel [c] non naturales quibus una res inclinatur ad aliam; si enim dicatur quod sunt in genere naturalis potentiae, hoc non potest esse verum de inclinationibus non naturalibus. Praeterea, inclinatio nihil videtur habere univocum cum illa essentia [d] quae nullam dicit inclinationem. Naturalis autem potentia quam [e] dicit durum vel molle non videtur dicere [f] aliquam inclinationem actualem, sicut faciunt [g] grave et leve.

Praeterea, similitudines [h] genitae a qualitatibus tertiae speciei vel primae [i] in qua specie qualitatis erunt, cum nullum commune univocum habeant cum illis a quibus sunt genitae? Si enim dicatur quod per analogiam reducuntur ad speciem suarum originum et ideo non faciunt per se aliquam speciem vel aliquod praedicamentum: eadem ratione posset dici quod omnia accidentia resultantia a substantia essent per analogiam in praedicamento substantiae nullum aliud praedicamentum constituendo; sic [k] etiam posset dici quod creatura cum creatore faceret unum praedicamentum, ita quod creatura nullum per se constitueret, cum creatura sit quaedam similitudo Dei analoga [l]. — Praeterea, unde est tractum [m] et probatum quod non sint plures species seu genera qualitatis quam quatuor? si enim dicatur quod [n] nos plura non sumus experti, stulta est [o] ratio. — Non etiam videtur istis quod possit stare illud quod praedicti dicunt de postpraedicamentis sequendo in hoc Aristotelem. Quod enim dicunt quod postpraedicamenta sunt illa quae diversa [p]

---

[a] B⁷ om. [b] Ita B⁷, V *etiam.* [c] B⁷ om. *n. v.* [d] B⁷ *rei.* [e] B⁷ *quae.* [f] B⁷ *dicitur habere* pro *n. v. d.* [g] B⁷ *facit.* [h] B⁷ add. *qualitates.* [i] B⁷ *primo.* [k] B⁷ *sicut.* [l] B⁷ *univoca.* [m] Al. m. ex *tactum.* [n] Ita B⁷, V *quia.* [o] B⁷ add. *haec.* [p] B⁷ *diversorum.*

rerum genera consequuntur, sicut sunt opposita et prius et posterius (a) et simul et habere, secundum quod habere sumitur respectu cuiuscunque quod habetur, et motus qui secundum eos abstrahit a ratione actionis et passionis — unde idem motus dicitur motus moventis et moti (b), cum tamen actio non dicatur nisi respectu moventis seu agentis nec passio nisi respectu patientis, unde sequitur actionem et passionem tanquam commune ad utrumque eorum —: haec, inquam, istis non placent; quia ista aut sunt eiusdem generis cum iis in quibus primo et per se fundantur, quia prius aut posterius motus et temporis sunt idem cum partibus eorum et prius quod est in numeris idem cum ipsis, aut si non sint idem cum ipsis, oportet quod dicant essentias alterius generis, et si non possent poni in decem praenominatis (c), constituent alia praedicamenta. — Praeterea, oppositio quaedam species relationis esse (d) videtur et etiam simultas; habere vero aliquando dicit relationem, aliquando vero dominativam potestatem, aliquando vero inhaerentiam accidentalem — subiectum enim habere sua accidentia idem est quod accidentia ei (e) inhaerere —, aliquando vero dicit unionem essentialem vel accidentalem; per hanc enim totum habet suas (f) partes et una pars alteram, ut materia formam et e contrario.

Quod autem dicitur de motu ridiculosum eis videtur; nihil enim potest actioni et passioni aut quibuscunque praedicamentis esse commune, nisi sit idem omnino cum eis aut sit commune analogum aut aliquod accidens eis inhaerens; ex nullo autem istorum debet dici quod motus sit postpraedicamentum. Et idem est de aliis quae vocantur postpraedicamenta. Quod autem motus possit dici respectu moventis et moti non provenit ex aliqua diversitate vel communitate reali quam habeat respectu actionis vel passionis, sed potius ex modo significandi quem habet nomen eius, sicut in sequenti quaestione (g) tangetur. Quomodo etiam una et eadem essentia (h) motus possit esse in praedicamento ad quod terminatur et esse postpraedicamentum et esse simul actio et passio non videtur posse dari, nisi dicatur quod hoc sit solum per diversas rationes eius potius quam per diversas eius essentias. — Causas etiam propter quas praedicti cum Ari-

---

(a) B^7 om. *e. p.* (b) B^7 *mobilis.* (c) B^7 *praedicamentis.* (d) Ita B^7, V om. (e) B^7 om. (f) Al. m. *ex sua.* (g) B^7 om. (h) B^7 *essentia et idem* pro *e. e. e.*

stotele (1) ponunt quod motus non terminetur nisi ad tria vel quatuor praedicamenta, scilicet ad qualitatem, quantitatem, ubi et secundum quosdam ad substantiam, non approbant isti. Volunt enim praedicti quod omnia alia praedicamenta naturaliter consequantur ad quatuor priora, ita quod illis factis per motum ista immediate sequantur. Et primo probant hoc de relatione, quia videmus quod aliquando incipit esse relatio in aliquo subiecto absque aliqua mutatione subiecti; in quocunque autem genere est per se motus, nihil illius generis invenitur in aliquo subiecto absque subiecti mutatione (a); ergo motus non est per se in ad aliquid. Et ex eadem ratione dicunt quod motus non est per se in situ nec in habitu, quia situs dicit quendam ordinem partium, ordo vero relatio est; habere etiam dicit quandam habitudinem corporis ad id quod ei adiacet et e contrario et ita dicit quandam relationem. In actione vero et passione et in motu probant hoc ipsum; primo, quia si generatio esset generationis, ita quod una generatio fieret per aliam, tunc erit procedere in infinitum, quia omnis generatio habebit aliam ante se per quam fiet et sic non erit dare primam generationem ac per consequens nec aliquam (b). Secundo, quia cum quicquid generatur possit corrumpi, si generatio generatur, ergo corrumpetur; quod autem corrumpitur oportet quod sit actu, dum corrumpitur, sicut e contrario quod fit non est actu, dum (c) fit; ergo generatio simul, dum erit (d), corrumpetur; et cum (e) suum esse non sit aliud quam quoddam fieri, sequitur quod, dum fit, corrumpatur. Tertio, quia omne quod generatur fit de aliqua materia quae transit in speciem geniti, et ita generatio haberet quandam materiam de qua fieret. Quarto, quia sicut se habet genus ad genus, sic se habet species ad speciem; si ergo generationis est generatio, ergo doctrina erit generatio doctrinae; sed hoc est falsum, quia doctrina est generatio scientiae, non autem doctrinae. Quinto, quia secundum hoc sequetur quod motus secundum locum (f) localiter moveatur et quod alteratio alteretur. Sexto, quia cum termini motus sint sibi contrarii, si motus est terminus alicuius praecedentis motus, oportet quod ille praecedens motus inchoaverit a motu contrario

---

(a) B^7 *unitione.* (b) B^7 add. *generationem.* (c) Add. interl. al. m. (d) B^7 *est.* (e) Sequitur ras. (f) B^7 *locus* pro *m. s. l.*

---

(1) *Phys.*, V, 2, 225 b 10 sqq.

motui per eum facto; et ita nunquam posset generari generatio ignis nisi incipiendo a corruptione ignis quae sibi contrariatur. Ex eadem autem ratione supponunt hoc de quando, quia cum quando idem sit quod esse in tempore, tempus autem sit mensura motus, qua ratione non est motus in actione et passione quae pertinent ad motum, eadem ratione nec in quando.

Sic igitur dicunt praedicti.

Aliis autem videtur quod haec non possint sequi ad prima quatuor absque novo motu vel (a) mutatione, si ab eis realiter differunt, sicut et primi volunt. Omnis enim essentia de novo existens habet causam efficientem suae essentiae immediatam; omnis etiam nova factio alicuius essentiae prodiens ab agente creato est motus vel mutatio, et impossibile est aliquam essentiam de novo advenire alicui subiecto aut de novo recedere, quin eo ipso subiectum illud mutetur; sed essentiae istorum praedicamentorum secundum eos existunt de novo post factionem priorum quatuor; ergo habent aliquam (b) causam immediatam efficientem suae existentiae et tunc aut eandem cum primis aut diversam. Si eandem: ergo fiunt per motum vel mutationem, sicut et illa; si diversam: tunc non videtur posse alia causa dari nisi illa priora (c) ad quae necessario sequuntur; si ergo illa sunt causa immediata istorum: ergo postquam sunt in actu, efficient ea et tunc aut in instanti aut in tempore. Et quocunque dato, semper habebunt factionem aliam (d) a factione suorum efficientium et semper eorum nova factio et eorum novus adventus erit motus vel mutatio.

Quod etiam in speciali dicunt de relatione non placet istis, quia si relatio habet essentiam ab aliis realiter distinctam et ad alias essentias naturaliter consequentem: tunc omnia alia poterunt a nobis intelligi et a Deo fieri absque relatione, et ita unionem substantialem materiae et formae et quarumcunque partium substantialium poterit (e) Deus facere et nos intelligere absque relatione (f), immo et ipsa unio prius erit quam sua relatio et erit principium efficiens immediatum sui respectus; et idem erit de respectibus qui fundantur in habitibus et actibus et sic de aliis. Quae manifeste videntur absurda. — Praeterea, si relatio habet essentiam ab aliis distinctam, quomodo potest ipsa noviter

(a) Al. m. mg. (b) Sequitur ras. (c) B⁷ add. *praedicta.* (d) B⁷ *illam.* (e) B⁷ *potuit.* (f) Ex *resolatione.*

advenire alicui subiecto, quin de novo fiat sua essentia in illo? et quando de novo subiectum illud mutetur, quomodo etiam poterit de novo advenire aut fieri in subiecto, nisi sit aliqua causa efficiens tunc operans in illo subiecto? quomodo etiam essentiam relationis non poterit Deus annihilare et a subiecto tollere nihil aliud tollendo ab extremis? quare etiam non poterit essentiam paternitatis tollere a patre absque hoc quod tollat essentiam filiationis a filio, immo quare hoc etiam non poterit fieri per naturam, cum ex quo filius est actu, nihil quod [a] in ipso sit dependeat quoad esse a subiecto paterno? nullum enim horum videtur posse dari.

Quod etiam dicunt de situ non videtur istis. Si enim situs dicit aliam essentiam praeter essentiam sui respectus, sicut [b] oportet quod dicat secundum praedictos, cum sit aliud praedicamentum a relatione: ergo quamvis probatum esset quod relatio non fiat per motum, non ex hoc esset hoc probatum de situ [c]. — Praeterea, non videtur quod situs maiorem includat in se relationem quam ubi, cum ubi non sit aliud quam praesentialis [d] applicatio seu adhaerentia locati ad locum, situs vero dicat quendam modum huius applicationis. Et tamen sensibiliter patet quod motus terminatur ad ubi. Et, ut isti dicunt, ita [e] sensibiliter patet hoc de situ et etiam de positione quae ponitur esse differentia quantitatis. Unde isti [f] nolunt quod motus terminetur [g] ad quantitatem maiorem vel minorem nisi per hoc solum quod terminatur [h] ad positionem; per hoc enim quod pars quae primo erat simul cum alia et quasi intra eam efficitur extra eam [i] accipiendo positionem seu situm extrinsecum fit dilatatio quantitatis, qualis est in rarefactione, e contrario autem est in condensatione. Per hoc etiam [k] quod aliqua pars eiusdem speciei incipit de novo apponi et continuari ad priores partes efficitur augmentum, e contrario vero est in motu diminutionis. — Item, videmus quod quantitas cerae latior mutatur in longiorem per hoc quod partes quae prius erant positae circa alias secundum latum assumunt per motum positionem secundum longum; unde sensibiliter videmus quod volens mutare ceram de una figura in aliam nihil aliud facit primo et per se nisi partes a priori positione ad aliam positionem successive mutare.

---

[a] Al. m. mg. [b] B[7] *sic.* [c] B[7] om. *p. d. s.* [d] B[7] *praesentialiter.* [e] Corr. ex *ista.* [f] B[7] add. *motus.* [g] B[7] *terminentur.* [h] B[7] *terminantur.* [i] Ita B[7], V om. [k] B[7] *enim.*

Dictum [a] etiam de habere eisdem rationibus improbant. Oportebit enim quod ponant in eo aliam essentiam praeter relationem; et videtur quod non sit aliud ponere vestimentum circa corpus quam dare ei [b] suum ubi quod tunc de novo acquirit nec videtur quod secundum rem sit aliud quam contiguitas [c] talium rerum certo modo applicationis facta.

De actione vero et passione et motu concedunt quod non possint esse terminus intrinsecus seu immediatus alterius motus [d] vel actionis; nihilominus tamen volunt quod eorum essentia vere fiat et exeat in esse ab aliquo efficiente, et si dicerent essentias distinctas a se invicem et a forma quae [e] per ea dicitur [f] fieri, oporteret quod diversas factiones haberent [g]; nolunt autem quod fiant [h] per aliquod fieri quod realiter differat ab ipsis, cum eorum esse non sit aliud quam fieri. Causa autem quare isti nolunt quod possint fieri per aliam [i] actionem et motum est [k], quia secundum eos actio vel motus [l] non dicit aliam essentiam a suo termino intrinseco seu ab eo cuius est ipsum fieri, utpote non differt ab essentia formae quae fit; sicut igitur una forma non potest esse idem cum alia, sic nec una actio [m] terminus alterius, quia hoc non esset aliud quam quod una actio esset altera. Qui autem posuerunt quod motus [n] terminetur ad formam hoc modo quod forma nihil sit de essentia motus, sed totaliter de novo accipiat esse post ipsum coguntur dicere, iudicio istorum, quod motus terminetur ad actionem seu ad mutationem. Cuius [o] contrarium intendit probare Aristoteles in sex rationibus supra praemissis; constat enim quod ipsa introductio formae erit quaedam mutatio et [p] quaedam actio seu passio, et tamen motus tunc terminabitur ad illam. Et ad hoc ipsum coguntur illi [q] qui volunt quod terminus intrinsecus ipsius motus sit quaedam mutatio facta post omnes partes motus quadam [r] nova factione differente a tota factione ipsius motus.

Isti igitur respondent ad rationes Aristotelis praemissas: primo per hoc quod Aristoteles non intendit ibi probare nisi quod haec non fiant per aliam

---

[a] B^7 *deinde.* [b] Ita B^7, V *eis.* [c] B^7 *congruitas.* [d] B^7 add. *alterius.* [e] B^7 *ad formam quam* pro *a. f. q.* [f] B^7 om. [g] B^7 *haberet.* [h] B^7 *fiat.* [i] B^7 *aliquam.* [k] B^7 om. [l] B^7 *fieri* pro *a. v. m.* [m] B^7 add. *potest esse.* [n] B^7 om. [o] Al. m. mg. [p] Al. m.; al. m. mg. *q. a.* [q] Sequitur ras. [r] Ita B^7, V *quaedam.*

actionem vel per alium motum; secundo, quia quaedam illarum rationum non multum valere videntur. Quod enim in prima dicitur quod iretur in infinitum non oportet, nisi primo probaretur quod [a] omni motui et omni actioni conveniret generari per alium motum, si [b] alicui motui vel actioni [c] hoc convenit; non enim sequitur quod si alicui convenit, ergo omni, nisi probetur quod nulli possit hoc convenire nisi per aliquam naturam communem omni motui et actioni. Praeterea, nos videmus quod aliquis [d] motus est causa efficiens per se alterius motus, ut motus unius sphaerae est causa motus alterius et motus unius nucis est causa motus alterius nucis sibi continuae et motus calefactionis causa alicuius rarefactionis vel denigrationis. Et tamen non propter hoc sequitur quod quilibet motus efficiatur ab alio motu ipsum praecedente, quia hoc contingit in aliquibus; et [e] tamen illi motus praecedentes qui [f] sunt causa motuum sequentium quodam modo terminantur ad ipsos. — Quod etiam in secunda dicitur quod tunc generatio simul fieret et corrumperetur: non habent isti pro magno inconvenienti, quia omne successivum simul fit et corrumpitur, quia ut [g] ita dicatur, simul est et non est; dicunt etiam quod in successivis non est verum quod res, dum fit, non sit et quod, dum corrumpitur, sit [h], sed potius e contrario. — Quod etiam in tertia dicitur quod scilicet [i] sequetur generationem fieri de aliqua materia: dicunt [k] quod eo modo fit de materia sicut et forma genita; non autem est verum quod materia semper transeat in speciem geniti, nisi quando substantia generatur; et si generatio formae substantialis est idem quod ipsa, tunc transibit in speciem eius, licet non secundum rationem secundum quam dicitur generatio, cuius causa tacta est in praecedenti quaestione. — Quod etiam in quarta dicitur quod si generatio est generationis, quod doctrina est generatio doctrinae: non valet, nisi supponatur quod generatio sit generationis universaliter; potest enim prima verificari pro aliqua specie vel individuo generationis. Falsum etiam reputant [l] quod doctrina sit generatio scientiae, sicut ab Aristotele ibi supponitur, nisi solum dispositive et occasionaliter. — Quod etiam in quinta dicitur quod scilicet sequetur motum localem moveri et alterationem alte-

---

[a] B[7] *quia.* [b] B[7] *sed.* [c] B[7] add. *aut generationi.* [d] Ita B[7], V *aliquid.* [e] Al. m. in ras. [f] Ita B[7], V *quae.* [g] Al. m mg. [h] B[7] *non sit.* [i] B[7] *si.* [k] In mg. [l] B[7] *reputatur.*

rari [a] et sic de aliis motibus: dicunt quod sicut improprie dicitur quod forma quae est terminus motus moveatur vel alteretur, tamen bene dicitur quod fit et generatur; quia moveri et alterari non denominant proprie suum terminum, sed solum suum subiectum, generari vero et fieri e contrario. Et ideo, quamvis motus localis esset terminus alterationis vel alterius motus localis, adhuc non bene diceretur quod alteraretur vel localiter moveretur. Praeterea, Aristoteles principaliter debebat probare quod ad praedicamentum actionis vel passionis non terminaretur motus et quod motus non poterat fieri per alium motum nec etiam per aliam actionem. Forte enim aliquis dicet quod motus potest terminari ad actionem seu passionem instantaneam seu simplicem et quod actio seu passio simpliciter potest terminari ad motum seu potius quod potest esse terminus initialis ipsius motus; quamvis enim hoc falsum sit loquendo de termino intrinseco, tamen rationes Aristotelis non multum videntur contra hoc ferri [b]. — Et secundum hoc possent dicere ad sextam quod quamquam motus non possit habere duos alios [c] motus pro terminis, ratio tamen haec non obviat quin possit habere duas actiones seu passiones simplices pro terminis. Quando enim dicitur quod termini motus sunt sibi contrarii, non est intentio loqui tunc de terminis intrinsecis, quia termini intrinseci motus non sunt contrarii, alias sequeretur quod essentia omnis motus constitueretur ex contrariis, quia termini sui intrinseci sunt ei essentiales; sed solum illud intelligitur de illo termino a quo motus recedit, ille enim semper aliquo modo contrariatur termino ad quem.

Haec igitur dicta diversorum, prout potui, fideliter recitans iudicii veritatem sapientibus derelinquo.

---

[a] V *motum localem alterari aut localiter moveri* pro *motum... alterari* quae habet B^7. [b] B^7 *fieri.* [c] B^7 *aliquos.*

QUAESTIO XXIX.

Septimo ad tertio quaesitum [sc. an motus fiat immediate a motore]

Voluerunt quidam dicere quod motus fiat immediate a motore. — Alii vero volunt quod primo fiat aliqua similitudo seu impressio a motore in mobili ([a]); ex qua impressione causetur in eodem successive inclinatio mobilis ad terminum motus; ad hanc autem secundum eos sequitur motus immediate. — Tertii sunt qui cum mediis concordant in omnibus, quando contingit motum durare ([b]) in absentia motoris; quando vero motus non potest ([c]) esse nisi praesente motore, tunc dicunt quod motus sequitur immediate ad primam impressionem influxam a motore, ita quod tunc non oportet aliquam aliam inclinationem interponi.

Primi moti sunt primo ex parte motoris. Cum enim virtus eius motiva sit praesens mobili et sufficiens ad movendum aeque bene sicut et ad suam speciem influendam: videtur quod aeque bene poterit per se et immediate causare motum sicut et per ([d]) mediam influentiam; superfluum autem est ponere duo vel plura ubi sufficit unum.

Secundo moti sunt ex parte influentiae. Causare enim ([e]) motum et movere mobile idem sunt; si ergo ista influentia causat motum — alias enim non necessario sequeretur ad eam —: ergo ipsa movebit mobile; sed omne tale est vere motor; ergo ipse ([f]) erit verus motor mobilis; quod absurdum videtur. — Praeterea, quando substantia intellectualis movet aliquod corpus, si hoc facit per mediam ([g]) influentiam: oportebit quod illa influentia sit simplex et intellectualis, quia a forma simplici et intellectuali non videtur per se et immediate posse exire similitudo extensa et corporalis; sed non videtur quod influentia simplex possit existere in corpore; ergo videtur quod motus tunc ([h]) immediate causetur a substantia intellectuali.

([a]) Ita B^7, V *mobile.* ([b]) B^7 *dare.* ([c]) B^7 om. *n. p.* ([d]) B^7 om.. ([e]) Al. m. in ras. ([f]) B^7 om. ([g]) B^7 *motivam.* ([h]) B^7 *tunc quod motus* pro *q. m. t.*

Tertio moti sunt ex parte iprius motus, quia motus ex natura sua non est determinatus ad hoc quod necessario sequatur praedictam influentiam, alias enim deberet sibi assimilari tanquam suae causae immediatae potius quam principali motori, cuius contrarium apparet; ergo videtur quod possit immediate causari a motore, sicut et a praedicta influentia. — Praeterea, sicut actio se habet ad agens, ita motus ad movens, cum motus sit quaedam actio moventis; sed actio est primum quod immediate fit ab agente; ergo et cetera.

Quarto moti sunt ex parte mobilis. Quando enim mobile est sufficienter dispositum ad moveri, tunc nullam aliam dispositionem oportet in eo causari; ergo tunc non [a] oportebit influentiam praeire motum. — Praeterea, huiusmodi influentia non videtur ad aliud valere nisi ad inclinandum mobile ad terminum motus; sed hoc [b] non potest fieri, nisi solum quando est aliquis terminus motus extrinsecus, quia mobile non potest inclinari actualiter ad id quod nondum est; terminus autem motus intrinsecus non est ante motum; ergo ad istum non poterit mobile inclinari ante motum; sed in motu alterationis et generationis non est dare alium terminum quam istum; ergo et cetera. — Praeterea, huiusmodi [c] inclinatio, cum non sit immediate influxa a motore, necessario erit educta de potentia materiae et sic per consequens per motum. Ex hoc autem sequuntur duae conclusiones contra propositum; sequitur enim quod ante motum erit motus et sic in infinitum; sequitur etiam quod [d] post influentiam sequatur motus immediate et quod cum hoc non possit sequi immediate, quia non poterit motus sequi [e], nisi prius mobile sit inclinatum [f] ad ipsum motum [g], et sic non nisi mediate [h], et cum ipsa inclinatio fiat per motum, sequetur motus influentiam immediate.

Sequentes vero moti sunt ad ponendum impressionem ante motum: Primo, ex [i] experimento quod videmus [k] in proiectis et in omnibus iis quae a nobis vel ab aliis moventur per impulsum; videmus enim in istis quod primo impelluntur et inclinantur ad certum terminum loci, antequam localiter moveantur; unde et contingit quod

---

[a] Sequitur ras. [b] B[7] om. [c] B[7] *Item* pro *P. h.* [d] Add. interl. al. m. [e] Al. m. mg. [f] B[7] *inclinetur* pro *s. i.* [g] B[7] om. *a. i. m.* [h] B[7] add. *motore.* [i] Add. interl. al. m., B[7] *pro.* [k] B[7] *nobis.*

aliquando impelluntur, et tamen motus localis non sequitur, ut patet in fortiter impellente magnam navem vel maximum lapidem [a].

Secundo, ex experimento radiosarum specierum lucis et coloris et consimilium quae mox ad absentiam irradiantis desinunt esse et mox ad eius praesentiam generantur et conservantur; generatio enim huiusmodi specierum non est proprie motus, immo sunt causa motuum, puta rarefactionis et calefactionis aut alicuius alterius alterationis. Ex quo per simile colligitur ceteros motus causari per aliquas primas impressiones sive similitudines ipsius motoris.

Tertio, ex [b] experimento actus cognitivi et volitivi [c] de quibus certa ratione constat [d] quod non sunt motus, quia non recedunt successive a termino a quo nec successive accedunt ad suum obiectum quasi ad terminum ad quem nec desinunt esse in suo finali termino, immo potius in illo et cum illo existunt; quod est contra naturam motus, quia nullus motus existit in termino ad quem vel in termino a quo. Nec est contra hoc quod visus discurrit de uno obiecto ad aliud et per intermedium perspicuum transit ad fixum obiectum, quia visio ultimi obiecti non incipit, usquequo aspectus videntis pertingit ad ipsum ultimum obiectum, nec aliquis actus cognitivus habet talem terminum a quo qualem habet motus; nam terminus a quo in motibus opponitur ipsi motui et eius finali termino, unde motus non potest esse nisi in recessu sive in fuga a termino a quo; in actibus autem cognitivis et volitivis terminus a quo est vis productiva a qua originaliter exeunt isti actus. Concesso igitur quod non sunt motus, probamus experimento quod nullus motus potest a potentiis cognitivis et volitivis causari nisi per actum cognitivum et volitivum. Ex quo per simile colligitur quod omnis motus causatur ab aliqua [e] actione seu influxione quae non est motus.

Quarto, quia motus non exit radicaliter a motore, immo potius educitur de ipso mobili; si autem immediate exiret a motore, tunc potius esset quidam influxus a motore in mobile derivatus et impressus; id autem quod non radicaliter exit a motore non videtur ab eo posse fieri vel causari nisi per id quod radicaliter et directe exit seu fluit ab eo.

---

[a] Ita B^7, V *magnum montem*. Hic desinit B^7. [b] Add. interl. al. m. [c] Al. m. mg. *e. v.* [d] Al. m. ex *consta.* [e] Al. m. corr.

Quinto, quia prout in quaestione an primae impressiones agentium fiant in instanti fuit probatum, huiusmodi actiones sunt in primo instanti quo agens incipit agere et patiens pati; constat [a] autem quod motus non est [b] in primo instanti sui initii; ex quo sequitur quod aliqua actio et passio in primo instanti facta necessario praeit ipsum.

Sexto, quia in primo virtuali contactu motoris et mobilis seu agentis et patientis patitur mobile a motore; constat autem quod primus contactus [c] eorum fit in instanti; ergo passio facta in mobili a motore in primo contactu eorum fit in primo instanti praedicti contactus; ergo ipse naturaliter praeit motum inchoatum in illo instanti, non autem in ipso possibilem fieri vel esse.

Septimo, quia radicalis eductio motus de materia mobilis convincit motum non causari nisi per naturalem colligantiam materiae ipsius mobilis cum immediata et intrinseca causa sui motus et per quandam naturalem consequentiam [d] motus ad suam causam intrinsecam et immediatam; iuxta quod experimur quod habituale propositum seu habitualis affectio educitur in nostra potentia volitiva per actum volitivum ipsi potentiae intrinsecum per hoc quod ipse actus est idem quod actualis applicatio ipsius potentiae ad illud obiectum in quo per habituale propositum remanet habitualiter applicata. Et ideo oportet quod aliqua habitualis applicatio detur mobili ad hoc quod aliqua forma educatur ex ipso. Sive autem motus sit idem quod forma successive educta ex mobili et permanens post motum sive non: constat quod motus est aliquid formale eductum de potentia mobilis. Si autem realiter est idem quod forma per motum seu in motu educta, tunc fortius et clarius convincitur quod motus non est prima impressio facta a motore in mobili [e].

Octavo, quia primus et immediatus effectus motoris vel agentis debet esse propria et expressa similitudo ipsius et directe contraria [f] primae impressioni et similitudini contrarii agentis, sicut patet in speciebus albedinis et nigredinis aut caloris et frigoris; constat autem quod motus absque alio primo motu a motore factus non est, saltem semper, propria et expressa similitudo motoris et aliquando fit a contrariis aut a disparatis motoribus seu activis.

---

[a] Ex *contat.* [b] Add. interl al. m. [c] Ex *contractus*, ut videtur. [d] Ex *consequenetiam.* [e] V *a mobili in motore* pro *a. m. i. m.* [f] V add. *scilicet.*

Respondent autem isti ad argumenta primae positionis.

Ad primum enim dicunt quod quia virtus motoris non est sic intrinseca mobili nec est actualis et formalis applicatio mobilis ad terminum motus sicut est impressio influxa a virtute motoris in mobile: idcirco virtus motoris non sufficit ad causandum motum absque influxu suae impressionis. — Prima autem propositio qua dicitur quod virtus motoris est aeque praesens et sufficiens (a) ad movendum sicut et ad influendum est falsa, prout patet ex rationibus pro alia positione factis.

Ad secundum dicunt quod prima est falsa. Causare enim motum non est semper idem quod movere proprie sumptum; nam levitas ignis non dicitur proprie movere ignem in sursum, quamvis causet eius motum, nec inclinatio data lapidi a proiectore dicitur proicere vel movere lapidem, quamvis causet eius motum; motor enim proprie non dicitur nisi ille qui influit impressionem in mobile per quam ipsum movet.

Ad tertium dicunt quod influentia est quaedam analoga similitudo influentis deficiens a solida plenitudine suae entitatis et ideo per varios defectus et improportiones (b) subiecti in quo recipitur potest diversimode et magis et minus deficere a plena conformitate et entitate sui influentis; et ideo nihil inconveniens, si influentia facta a spiritu in corpus sit extensa secundum extensionem (c) corporis. Praeterea, qua ratione motus corporalis et extensus ponitur a primis posse immediate exire a substantia intellectuali, eadem ratione potest poni a secundis posse ab ea immediate influi aliqua influentia extensa.

Ad quartum dicunt quod sicut ex supradictis patet, motus habet quandam naturalem colligantiam et consequentiam ad influentiam suo mobili impressam a qua immediate causatur nec oportet quod sibi vel principali motori semper univoce assimiletur. Quod autem forma per motum educta plus assimilatur motori quam suae impressioni non est ex hoc quod immediatius fiat a motore quam a sua impressione, sed potius ex hoc quia (d) naturalis intentio seu inclinatio motoris est per suam influentiam trahere et adducere mobile ad plenam imitationem seu participationem principalis formae motivae.

(a) Al. m. corr. in ras. (b) Al. m. corr. in ras. (c) Al. m. corr. in ras. (d) Al. m. mg. in ras.

Ad quintum patet ex supradictis, quia motus non sic immediate se habet ad suum motorem sicut immediata actio agentis se habet ad suum agens.

Ad sextum dicunt quod mobile non est sufficienter dispositum ad moveri, usquequo per influentiam motoris sibi immissam est sufficienter inclinatum ad motum. Si quis vero hanc influentiam nolit vocare dispositionem mobilis ad motum, sed potius vim effectivam ipsius motus: tunc haec influentia praeexigitur ad causandum motum, non tanquam materialis dispositio sui mobilis, sed potius tanquam vis instrumentaliter effectiva (a) ipsius motus.

Ad septimum dicunt (b) quod necessario oportet tenere quod mobile in toto motu tendat et inclinetur ad formalem et intrinsecum terminum motus tanquam ad terminum adhuc fiendum et nondum factum ac per consequens tanquam ad non entem actu, entem (c) tamen potentialiter in ipso mobili ac causaliter in suo effectivo et virtualiter et quasi semiformaliter in ipso motu; falsa est ergo minor praedicti argumenti. Et certe, quando nos intendimus facere vel acquirere aliquid quod nondum est: constat quod tunc nostra intentio finaliter dirigitur et (d) inclinatur ad id quod nondum est actu.

Ad octavum dicunt quod duplex vel triplex est inclinatio mobilis ad terminum motus. Prima est idem quod prima impressio immissa mobili et quasi agens seu agitans ipsum mobile; et haec est simplex actio et potest dici actualis seu actionalis inclinatio. Secunda est quasi habitualis et per primam educta; et talis est illa quae in absentia vel distantia proiectoris causat motum proiectionis lapidis vel sagittae; haec autem aliquando de mobili educitur successive, aliquando vero in instanti, sicut patet in vitioso habitu originalis concupiscentiae et in pluribus habitualibus propositis vel credulitatibus seu assensibus nostrae mentis, quamvis huiusmodi habitus non inclinent proprie ad motum, sed solum ad sua obiecta et ad suos actus qui non sunt proprie motus. Tertia (e) est idem quod ipse motus; nam ipse essentialiter est quaedam tendentia ipsius mobilis ad terminum ipsius motus. Ex hac (f) autem distinctione patet dissolutio illius argumenti.

(a) Al. m. mg. in ras. (b) Al. m. mg. (c) V al. m. mg. *ente.* (d) Add. interl. al. m. (e) Al. m. mg. *m. T.;* sequitur lac. (f) Add. interl. al. m.

QUAESTIO XXX.

Octavo [a] quaeritur an agens creatum possit formam iam corruptam [b] eandem numero educere in esse.

Et quod sic videtur.

1. Quia in materia est eadem potentia numero ad formam illam, alias potentia materiae secundum suam [c] essentiam corrumperetur; ergo agens in illam potentiam, in quantum est ibi [d] respectu talis formae, non educet aliam formam nisi illam.

2. Item, agens artificiale hoc potest; ergo et naturale. Primum patet, quia eisdem lignis stantibus eadem est arca numero ante divisionem lignorum arcae et quando post divisionem sunt reunita [e] sub eadem figura et sub eodem situ.

Contra: Forma non potest educi ab agente creato nisi per motum; sed motus super eodem mobili in diversis temporibus ab eodem motore facti sunt numero diversi, quamvis sint eiusdem speciei; diversi autem motus habent necessario diversos terminos intrinsecos et formales; ergo et cetera.

[Respondeo]

Ad hoc communiter dicitur quod non, et Aristoteles hoc dicit in libro suo *De generatione* [1], quamvis quod sciam, hoc ibi non probet.

Datur autem ad hoc ratio a quibusdam: quia esse formae corruptae et reparatae [f] est diversum numero.

---

[a] B[4] om. [b] Corr. interl. [c] B[4] om. [d] Ita B[4], V *in.* [e] Al. m. mg.; B[4] *iterum sunt coniuncta* pro *s. r.* [f] B[4] *separatum.*

---

[1] Verbo tenus non inveni, erui potest ex iis quae dicit *De gener. et corrupt.*, I, 3, 317b 11sqq., 318a 13sqq., 319a 20sqq.; *Phys.*, V, 4, 228a 3sqq.; VI, 7, 238a 19.

Quod probant: quia eo ipso quo [a] ponitur esse interruptum et interpolatum eo ipso ponitur esse iteratum et geminatum [b]; unde vere dicitur: hoc bis fuit et bis factum est.

Sed contra hanc rationem dupliciter arguitur: primo, quia secundum hoc Deus non posset eandem rem numero reparare, quia de re [c] quam iam corruptam reparasset non posset facere quin bis fuisset et quin bis esset facta; insanum autem et diabolicum est dicere quod Deus non posset eandem rem numero reparare. — Secundo, quia ex ratione eorum sequitur oppositum; eo enim ipso quo aliquod esse ponitur iteratum et bis factum et bis fuisse eo ipso ponitur idem numero bis fuisse, si etiam [d] est aliud numero, tunc nullum eorum fuit bis nec fuit iteratum.

Ab aliis vero datur alia ratio: quia secundum eos species ab agente immissa in mobile [e] cedit in formam generandam, ita quod fit aliqua pars eius; sed actio et immissio [f] agentis, quotiens repetitur, totiens est alia et alia; ergo et forma per ipsum generata.

Sed haec ratio tripliciter improbatur: primo, quia nimis absurdum est dicere quod species agentis fiat pars formae generandae; tum quia prima [g] species est in continuo fluxu et in continua dependentia ab agente, quod non est ipsa forma per motum educta [h]; tum quia prima [i] impressio seu prima species agentis est causa effectiva tam motus quam formae per motum eductae; tum quia praedicta species non educitur de potentia materiae, saltem eo modo quo forma per motum educta, ipsa etiam est solum [k] quaedam analoga similitudo formae agentis, forma vero per motum educta est simpliciter eiusdem speciei [l] cum forma agentis, si sit generatio univoca. — Secundo improbatur, quia dato quod praedicta species fieret pars formae educendae, adhuc saltem posset dici quod alia pars formae esset eadem numero reparata. — Tertio improbatur, quia petit principium quod debet probare; quia eadem vel similis quaestio [m] est de specie agentis sicut et [n] de aliis formis: an scilicet agens possit eandem speciem suam iam corruptam iterato facere super idem patiens.

---

[a] B⁴ *quod.* [b] B⁴ *genitum.* [c] Al. m. mg. *q. d. r.* [d] B⁴ *enim;* al. m. mg. *est.* [e] Ex *mole.* [f] Al. m. ex *immisio.* [g] B⁴ *illa;* V om. *quia* quod habet B⁷. [h] Al. m. mg. *tum... educta.* [i] B⁴ *ipsa.* [k] B⁴ om. [l] Ita B⁴, V *ei.* [m] Al. m. in ras. [n] B⁴ om.

Ab aliis vero datur ratio supra in opponendo [a] facta.

Sed etiam [b] contra illam dicitur: et primo, quod petit principium et supponit rem probandam, quia eadem quaestio est de ipso motu: an scilicet possit idem numero bis fieri, numquid enim Deus totam essentiam motus praeteriti posset iterato facere, cum in hoc nulla contradictio videatur includi? non enim ex hoc negatur motus qui fuit non fuisse, immo potius asseritur fuisse. — Secundo, quia si forma per motum educta realiter differt ab ipso motu, tunc praedicta ratio non cogit, quia tunc illa forma educta non erit intrinsecus terminus illius [c] motus, sed potius extrinsecus. — Tertio, quia non est necesse omnem formam permanentem educi per motum, sicut patet [d] de multis habitibus voluntatis et intellectus.

Ab aliis vero datur quarta ratio quam tamen ipsimet non dicunt esse cogentem aut evidenter necessariam, sed solum probabilem. Est autem ratio haec: ordo enim agentis creati ad suum actum vel effectum fiendum est ordo ad posterius se et non ad anterius et est ordo ad futurum; constat autem quod ordo praeteriti et ordo futuri est ita diversus quod unum [e], in quantum tale, non est alterum [f], praeteritum enim non respicit esse ut sibi affuturum, sed ut ab eo elapsum et pertransitum, e contra autem est de futuro; ergo videtur quod agens quod [g] non potest praesentialiter, immo et praeantecedenter respicere totum ambitum entis et temporis praeteriti et futuri [h] non possit aliquod praeteritum reducere ad esse.

Haec autem ratio, quamvis sola sit mihi probabilis, tamen pro tanto non cogit, quia poterit dici quod ipsum praeteritum, in quantum est iterato factibile, non est praeteritum sed futurum, nec agens dirigit aspectum suae virtutis ad ipsum praeteritum, quasi de termino et statu suae praeteritionis [i] velit ipsum trahere et reducere ad statum praesentialitatis, sicut facit, quando idem mobile de loco distanti [k] trahit ad locum propinquum, sed potius eius aspectus dirigitur ad effectum, ut est futurus et fiendus.

---

[a] B[4] *oppositum.* [b] B[4] *et.* [c] B[4] *ipsius.* [d] Al. m. partim mg. *Tertio... patet.* [e] B[4] *sunt ita diversi quod unus* pro *e. i. d. q. u.* [f] B[4] *alius.* [g] B[4] om. [h] B[4] add. *et ita quod.* [i] B[4] *praeitionis.* [k] Ex *distantis.*

[Solutio Obiectorum]

Ad primum autem in contrarium dicendum quod licet potentia materiae tota quantum ad suam absolutam essentiam remaneat, non tamen sub eodem ordine; non enim habet ordinem ad praeteritum, qualem habebat, quando illud erat futurum; ad eductionem autem formae de materia non solum requiritur essentia suae potentiae ([a]), sed etiam sua debita dispositio et eius debitus ordo.

Ad secundum dicendum quod nomine arcae vel domus aliquando intendimus significare substantiam subiectam formae artificiali; et hoc modo eadem est arca, quamdiu est eadem substantia subiecta ([b]), maxime quando figura partium sive lignorum partialium semper est eadem, quia tunc semper remanet ([c]) eadem principalis pars formae artificialis. Aliquando vero per praedicta significamus principaliter ipsam formam artificialem concretive sumptam, sicut et per album proprie significamus albedinem in concreto; non enim directe significat substantiam, sed supponit pro ea. Et hoc modo non est eadem arca numero ([d]), quia ipsa coniunctio lignorum et modus eius quae est pars ultima et completiva formae artificialis arcae non est eadem numero in arca prius facta et postmodum reparata.

QUAESTIO XXXI.

Nono quaeritur an omnia quae educuntur de potentia materiae sint ibi prius secundum suas essentias seu secundum rationes seminales vel secundum potentias activas.

Et quod sic videtur.

1. Nullum ens creatum potest aliquid educere de nihilo, quia hoc est creare et hoc est habere potentiam super infinita distantia et super ens et non ens; sed si essentiae for-

---

([a]) B^4 *potentia suae materiae* pro *e. s. p.* ([b]) B^4 om. ([c]) B^4 om. ([d]) Ita B^4, V om.

marum educendarum (a) non sunt in materia prius, tunc ipsae formae educuntur de nihilo, cum non possint educi vel fieri de ipsa essentia materiae, quia tunc materia verteretur in formam; ergo et cetera.

2. Item, omnis effectus productus ab aliqua causa non solum (b) secundum fieri sed etiam secundum essentiam et esse dependet continue ab illa, ita quod sine illius praesentia non potest conservari in suo esse secundum Avicennam, in sua *Metaphysica* (1); sed si essentiae formarum non sunt in materia, tunc educuntur ab agentibus secundum essentiam et esse; ergo nunquam possent conservari sine praesentia ipsorum; quod est manifeste contra sensum. — Si dicatur quod immo non sunt ab agente nisi solum secundum suum fieri, quia agentia non faciunt eas influendo essentiam earum in materiam, sicut facit sol lucem in aere et omne agens suam speciem, sed solum facit eam movendo materiam ad ipsam, contra: esse et essentia talis formae, ex quo non erat ibi prius et modo est, est vere facta, et hoc in quantum talis; ergo nec habuit causam sic eam facientem. Praeterea, in instantaneis et in terminis motuum (c) idem est fieri et factum esse, et factum esse et esse idem (d) sunt in re permanenti seu dum res durat; sed formae quae per motum educuntur sunt termini motuum (e); ergo idem est in eis fieri et factum esse seu fieri et nunc primo esse; si ergo fieri earum est ab agente, ergo et earum esse. Praeterea, nullus effectus potest recipere a causa sua virtutem conservandi se in absentia eius, sicut alibi est probatum; ergo si essentiae formarum sunt factae ab agentibus et non potius a Deo solo in creatione (f) materiae, tunc non habebunt virtutem conservandi se in materia nisi (g) praesentibus agentibus; quod est falsum.

3. Item, si essentiae formarum non sunt ibi prius, tunc nullum agens creatum poterit educere aliquam formam substantialem in esse, et tunc redibit opinio Avicennae (2) de datore formarum. Probatio consequentiae: nullum enim agens potest agere nobilius se aut sibi dissimile; sed agentia

---

(a) B⁷ om. (b) B⁷ om. (c) Ex *motu*. (d) B⁷ om. (e) Ex *motu*. (f) Ita B⁷ B⁶, V *causatione*. (g) B⁷ *in*.

---

(1) Lib. VI, cap. 1 (f. 91vb). (2) *De intelligentiis*, cap. 3 (f. 64vb), cap. 4 (f. 65vb, 67rb sq.); *Metaph*, tract. IX, cap 5 (f. 105rb sq.). Cfr. S. Thomas, *S. c. gent.*, II, 76, III, 103; *S. theol.*, 1, q. 84, a. 4; *De potentiis*, q. 3, a. 8.

creata, saltem elementaria, non agunt in materiam extrinsecam nisi per qualitates accidentales; ergo non poterunt agere nisi formam accidentalem; forma enim substantialis esset tunc nobilior suo efficiente et eidem [a] dissimilis, sicut sunt substantia et accidens. Praeterea, ad minus per formam accidentalem non posset educi forma substantialis nisi per hoc quod prius educeret formam accidentalem sibi similem, utpote calor calorem; sed per hanc viam non potest hoc fieri, quia illa accidentia aut essent propria aut communia. Si propria: tunc sequerentur naturaliter formam substantialem et factionem eius tanquam resultantia ab ipsa: si autem communia: tunc ad eorum generationem non necessario sequeretur substantialis forma; si etiam praeexigeretur generatio accidentis ad generationem formae substantialis, tunc immediatiorem aspectum et unionem haberet [b] accidens ad materiam quam forma substantialis.

4. Item, si essentiae formarum per motum educuntur ab agentibus creatis — aliter enim ab eis non possunt educi, quia illa quae fiunt ab agentibus sine motu fiunt secundum solum influxum —: tunc, inquam [c], haberent continuitatem non solum secundum extensionem materiae, sed etiam [d] secundum [e] se aut essent [f] ibi infinitae partes eius in actu; quia cum in omni motu sit dare infinitos terminos in potentia et omnis terminus motus sit forma secundum suam essentiam vel secundum esse, tunc aut isti termini formales essent in una forma continua aut essent ibi omnes in actu et simul. Nec sufficeret quod essent in una forma continua secundum extensionem materiae, quia motus alterationis non solum habet successionem in transitu diversarum partium materiae, sed etiam existendo in eadem parte. Sed forma huiusmodi continuitatem habere non potest; tum quia sibi non conveniet extensio nisi ratione extensionis materiae; et etiam quia oporteret tunc in ea [g] dare aliquid formale quod se haberet ad modum puncti continuantis partes eius [h] divisibiles et terminantis eas, et tunc esset composita ex forma punctali et [i] ex forma divisibili, sicut suo modo est linea.

5. Item, termini [k] motuum contrariorum sunt vere contrarii; ergo si essentiae formarum substantialium essent ter-

---

[a] V B^7 add. *scilicet.* [b] Ex *haberent* quod habet B^7. [c] B^7 *numquam.* [d] Corr. interl. [e] Ita B^7, V add. *quod.* [f] Al. m. mg. [g] B^7 *eadem.* [h] B^7 *eiusdem.* [i] Al. m. mg. *e. f. p. e.* [k] B^7 *terminum.*

mini motuum secundum se et non solum secundum suum esse: ipsae essent vere ad [a] invicem contrariae et ita bene et proprie sicut accidentia et ita bene reciperent magis et minus; ergo et cetera.

6. Item, natura est principium motus et quietis in eo in quo est [1]; ergo omnis naturalis motus est a principio intrinseco, cum omnis talis sit a natura; sed in materia de qua educitur forma non potest esse principium movens forma contraria, quia tunc contrarium ageret suum contrarium et destrueret se ipsum, nec potest dari essentiam [b] materiae, cum ipsa non sit potentia activa, sed solum passiva; ergo oportet quod illud sit ipsa natura seu essentia formae educendae.

7. Item, nulla operatio naturalis est violenta nec artificialis; sed si operationes naturales [c] non sunt a potentia activa intrinseca ipsi patienti, ipsae sunt violentae et consimiles artificialibus, violenta enim est actio in qua patiens nihil cooperatur agenti, sicut est in actionibus artificialibus; ergo et cetera.

8. Item, Aristoteles, tam in *Physicis* quam in *Metaphysica* et fere [d] ubique [2], vult quod formae sint in potentia materiae et quod extrahantur [e] de potentia materiae et quod illud idem quod prius erat in potentia est postmodum in actu; sed quod nihil est penitus nullo modo potest esse in aliquo [f] nec in aliqua potentia, nec de potentia passiva materiae potest aliquid formale extrahi, nisi ultra hoc esset in ea aliquid formale, nec illud quod [g] est in potentia potest esse postmodum omnino idem cum eo quod postea est actu, nisi id quod erat in potentia esset tota essentia eius quod postmodum est actu; ergo et cetera.

9. Item, non ens simpliciter nullius potest esse principium; sed privatio ponitur ab Aristotele, I *Physicorum* [3], esse unum de tribus principiis eorum quae fiunt; ergo privatio ponit aliquid medium inter alia duo principia, mate-

---

[a] Al. m. mg. [b] Rectius *essentia*. [c] Al. m. mg. *s. s. o. n.* [d] Ex *ferre*. [e] Ex *extratrantur*. [f] Ita B^7, V *alio*. [g] Al. m. mg.

---

[1] Cfr. Aristoteles, *Phys.*, II, 1, 192b 21sq. [2] *Phys.*, I, 7, 8 (per totum), 189b 30sqq.; II, 3 (per totum), 194b 16sqq.; *Metaph.*, VII, 7-9 (per totum), 1032a 12sqq.; VIII et IX (fere per totum), 1042a 3sqq.; *De gener. et corrup.*, I, 3 (per totum), 317a 32sqq. Cuivis vel modice versato in philosophia Aristotelis clarum est, quam parum hae obiectiones genuinum sensum doctrinae eius reddant. [3] Cap. 7, 190b 27sqq.

riam scilicet et formam; sed illud non potest esse forma contraria, ut supra probatum est; ergo erit aliquid de essentia ipsius formae educendae.

10. Item, VII *Metaphysicae* [1], vult quod calefactio seu alteratio caloris per quam aliquando introducitur sanitas [a] sit aliquando pars ipsius sanitatis.

11. Item, in eodem [2] vult quod illa in quorum materia non est principium activum per quod moveri possint sint ab arte, sicut in lapidibus non est virtus qua se movere possint ad formam domus, et ideo non potest fieri ex eis domus nisi per principium artificiale; in corpore vero humano est virtus activa per quam corpus potest sanare seipsum et in talibus, ut dicit, absque arte potest effectus huiusmodi introduci.

12. Item, II *Physicorum* [3], dicit quod natura quae est forma dicitur non solum de forma perfecta, sed etiam de privatione eius; privatio enim, ut ibi ponit, quodam modo est forma. Super quo Commentator [4]: « Et forte intendit quod forma dicitur duobus modis, scilicet de habitu et privatione existente in prima materia; ista enim privatio quodam modo non est privatio simplex, immo est sicut forma materiae ». Et supra dixerat quod « forma dicitur de formis perfectis in quibus non coniungitur privatio et de diminutis cum quibus coniungitur aliqua privatio ».

13. Item, super XI *Metaphysicae*, vult [5] quod agens naturale non faciat formam in materia absolute, sed solum abstrahendo eam de materia seu faciendo per motum quod materia sit sub ea. Et ibidem vult [6] quod in semine sit anima in potentia per quam fiat anima in actu, sicut in artifice est forma domus per quam fit domus in materia extrinseca.

14. Item, Aristoteles, in libro *De anima*, vult [7] quod anima sit forma et finis et efficiens corporis animati.

15. Item, dicit Scriptura Sacra, in principio Genesis [8]: *Germinet terra herbam virentem et facientem semen et*

---

[a] Al. m. mg., del. *sanus*.

---

[1] *Metaph.*, I, 7, 1032b 26 sqq.; I, 9, 1034a 26 sqq. [2] Lib. I, 9, 1034a 9 sqq. [3] Cap. 1, 193b 18 sqq. [4] Averroes, *Phys.*, lib. II, summa 1, cap. 7 (vol. IV, f. 53 va). [5] Averroes, *Metaph.*, lib. XII, summa 1, cap. 2, 3 (per totum), (vol. VIII, f. 292 va sqq.). [6] *Metaph.*, lib. XII, summa 1, cap. 3 (saepius per totum) (vol. VIII, f. 297 vb sqq.). [7] Lib. II, 1, 412a 27 sqq.; II, 2, 414a 12 sqq. [8] Gen. 1, 11.

lignum pomiferum faciens fructum cuius semen in semetipso sit super terram. Et infra [1]: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram et universa ligna quae habent in semetipsis sementem generis sui;* ergo videtur velle expresse quod habeant rationes seminales omnium quae ex eis naturaliter produci possunt.

16. Item, Sapiens dicit [2] quod *qui vivit in aeternum creavit omnia simul.* Et Genesis 2 [3] dicitur quod *complexit Deus die sexto* [a] *opus suum quod fecerat et requievit die septimo ab universo opere et benedixit et sanctificavit illum, quia in ipso cessavit ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret;* ergo videtur quod omnium fiendorum essentias creavit Deus in primis sex diebus.

17. Item [b], ibidem [4] dicitur quod *in die quo fecit Deus caelum et terram fecit omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret.* Ex quibus concludit Augustinus, libro *Super Genesim* [5], quod omnia fuerunt condita primis diebus in suis rationibus seminalibus.

18. Item, Augustinus, *Super Genesim,* IV libro, capitulo ultimo [6], volens ostendere quod omnia simul facta sunt, dicit quod « tam facile cuncta Deus condidit ut hoc quod nunc videmus temporalibus intervallis ea moveri ad peragenda quae suo cuique generi competunt ex illis insitis [c] rationibus veniat quas tanquam seminaliter sparsit [d] Deus in ictu condendi, cum [7] *dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt* ». Et infra dicit [8] quod « omnia quae in volatilibus per certos numeros dierum coalescunt [e] erant in humore ovorum, quia inerant ipsae numerosae rationes incorporaliter corporeis rebus intextae ». Et statim post dicit quod eaedem rationes in elemento aquae humidae factae fuerunt.

19. Item, V libro, capitulo ultimo [9], dicit quod « omnia illa quae apparent in tota forma arboris ibi semine primitus fuerunt, non mole corporeae magnitudinis, sed vi potentiaque

---

[a] Ex *septimo* in ras. [b] Al. m. mg. [c] B[7] *infinitis.* [d] Ita B[7], V *seper sit.* [e] Ex *coallescunt.*

---

[1] Gen. 1, 29. [2] Eccli. 18, 1. [3] Gen. 2, 2. 3. [4] Gen. 2, 4. 5. [5] *De Genesi ad lit.,* IV, 33, 34 (PL 34, 317 sqq.); V, 3, 23 (PL 34, 323, 337 sq.); VI, 14, 15 (PL 34, 349 sq.). [6] L. c., IV, 33 (PL 34, 318). [7] Psalm. 32, 9. [8] L. c., IV, 33 (PL 34, 318). [9] L. c., V, 23 (PL 34, 337).

causali ». Et infra [1]: « Quid enim ex arbore illa surgit aut pendet quod non ex quodam occulto thesauro seminis extractum atque depromptum est? » Idem vult, VI libro, post medium, et III libro *De Trinitate*, capitulo 5, 7 et 8, idem etiam libro *De vera religione* [2].

20. Item, omnis terminus prius est naturaliter quam sit terminans et uniens et omnis forma prius naturaliter [a] quam sit actu informans; sed suum informare, terminare et unire est actuale esse sui ipsius et suae materiae; ergo ipsa prius est secundum suam essentiam in materia quam secundum suum esse actuale.

21. Item, omne agens prius naturaliter aspicit terminum motus ad quem movet quam moveat ad ipsum, et omne mobile prius est inclinatum a motore ad terminum sui motus quam perveniat ad ipsum, sicut patet in lapide vel sagitta proiecta ad certum locum; sed nihil potest aspicere vel inclinari ad terminum quod non est aliquo modo ens; ergo forma quae est terminus motus prius est aliquo modo quam sit facta per motum.

22. Item, omne agens praestantius est patiente secundum Augustinum, VI *Musicae* [3], et omnis causa suo effectu, unde virtus corporalis non videtur posse producere spirituales substantias, sicut nec virtus sensitiva intellectuales; sed virtus quae educit animas sensitivas irrationalium, saltem illorum quae fiunt ex [b] putrefactione, est corporalis; ergo non videtur posse producere essentiam animae sensitivae secundum se; sed secundum Augustinum, libro *De fide ad Petrum* [4], ipsae producuntur per virtutes naturales de materia corporali, quod et [c] Scriptura Sacra innuit, quando ait [5]: *Producant aquae animam viventem atque motabilem* [d] *in genere suo*, et sic de aliis; ergo videtur quod non producantur nisi secundum suum esse seu secundum aliquam dispositionem novam, ita quod non secundum essentiam.

23. Item, Aristoteles, in I *De anima* [6], vult quod anima animalium anulosorum fiat actu plures per solam di-

---

[a] B[7] *naturalis.* [b] Al. m. ex *in*, B[7] *et.* [c] Ita B[7], V *ex*, B[6] *etiam.* [d] Al. m. corr. in ras.

---

[1] L. c., V, 23 (PL 34, 338). [2] L. c., VI, 14, 15 (PL 34, 349 sq.); *De Trin.*, III, 8, 9 (PL 42, 875 sqq.); *De vera relig.*, cap. 42 (PL 34, 158). [3] Cap. 5 (PL 32, 1167 sqq.). [4] Fulgentius, *De fide ad Petrum*, c. 3, n. 29 (PL 65, 686). [5] Gen. 1, 21. [6] Cap. 5, 411 b 19 sqq.

visionem corporum suorum; sed hoc non videtur posse esse per novam productionem essentiae animae in partibus divisis [a]; ergo et cetera.

[Respondeo]

Ad quaestionem istam est varius modus respondendi. Quidam enim volunt quod essentiae formarum sint in materia et quod de eis educantur formae, moti aliquibus rationum praedictarum. Alii vero volunt quod in materia nihil ponant praeter ipsam materiam ante sui eductionem, concedunt tamen rationes seminales modo qui inferius tangetur. Primi autem in varias vias diversificati sunt et quantum ad essentiam formae quae ibi ponitur et quantum ad modum educendi et quantum ad terminum eductionis seu quantum ad id quod per se educitur.

Quantum ad primum enim quidam de solemnioribus volunt quod ibi sit tota essentia; quidam vero quod ibi non sit nisi essentia generis et non essentia differentiae, nisi pro quanto continetur implicite et in potentia in essentia generis. Alii vero volunt quod ibi sit utraque [b] secundum se et distincte. Sed horum quidam volunt quod ibi sit tota essentia eorum, sicut primi, alii autem quod non sint ibi nisi [c] incomplete. Quantum autem ad modum existendi essentiae huiusmodi in materia pro tanto diversificantur, quia quidam videntur dicere quod sit ibi solum in potentia, non explicantes aliter [d] cuiusmodi esse significent [e] hic per esse in potentia. Quidam vero dicere videntur quod ibi sit, sed non ut perficiens [f] materiam nec informans et ita non constituens cum ea aliquod ens actu; et ita non explicant quomodo ibi sit nisi quasi negative, negando scilicet quod non est ibi informative seu ut perficiens. Quidam vero volunt quod

---

(a) B⁷ *diversis.* (b) B⁷ *utrumque.* (c) Ita B⁷ B⁸, V *non.* (d) B⁷ om. (e) B⁷ *significat.* (f) Corr. interl.

quantum est ibi de essentia, tantum sit ibi de esse etiam actuali[a], et quod quantum deficit de uno, tantum deficiet de reliquo.

Quantum autem ad modum[b] educendi diversificati sunt, quia quidam volunt quod huiusmodi essentia excitata ab agente exteriori moveat se et suam materiam et educat et faciat se in actu, ita quod in eductione rerum naturalium nolunt quod agens exterius se habeat nisi in ratione excitantis et disponentis[c]. Alii vero volunt quod huiusmodi essentia non moveat se nec educat se in actum, sed solum quod moveatur et educatur in actum ab agente exteriori.

Quantum ad terminum eductionis diversificati sunt, quia quidam volunt quod educatur aliquod complementum ipsius essentiae et non solum[d] eius esse. Et horum quidam volunt quod hoc fiat extrahendo illud completum de ipso incompleto quod erat ibi prius; quidam vero quod hoc fiat per conversionem ipsius incompleti in illud completum quod fit tunc de novo. Alii vero volunt quod solum forma educatur quantum ad suum esse. Alii vero volunt quod detur sibi novus modus essendi actualior et completior quam ille quem prius habebat; non enim volunt quod sic detur sibi esse quasi prius nullum haberet esse, sed quod mutetur ab uno modo essendi in alium. Quod quidam sic nisi sunt explicare dicentes quod agens movet materiam ad ipsam essentiam formae ad hoc quod sibi uniatur et inhaereat[e] ut forma actualiter ipsam perficiens; prius enim secundum eos non erat sibi sic unita, prout supra dictum est.

Licet autem huic viae in nullo praeiudicare intendam, cum non solum sit magnorum sed etiam potissimorum magistrorum meorum, quia tamen aliam melius meo iudicio intelligo, idcirco quid ad ipsam tenendam me moveat sine

---

([a]) B[7] om. *e. a.* ([b]) B[7] *motum.* ([c]) Al. m. in ras. ([d]) B[7] *sine.* ([e]) Al. m. ex *inhabeat.*

alterius contumelia subiungam; quamvis hoc ipsum non facerem, nisi esset multorum solemnium et modernorum. Videtur enim modicitati intellectus mei magis esse consona rationi et auctoritati tam sanctorum, et potissime Augustini, quam mundanorum philosophorum.

Quatuor enim sunt praedictae positionis principales articuli qui simul a solemnioribus magistris et defensoribus veri esse ponuntur: scilicet, quod ibi sit prius tota essentia formae de qua educitur forma actualis non secundum suam essentiam, sed solum secundum suum esse actuale; secundo, quod moveatur ab agente extrinseco; tertio, quod excitata ab agente moveat se et materiam suam; quarto, quod non moveat se ad qualemcunque terminum, sed ad sui existentiam [a] actualem.

Primum autem non videtur consonum rationi. Omnis enim terminus motus, in quantum talis, est aliquid; alias terminaretur ad nihil et sic nihil secundum rem educeretur per motum. In omni etiam factione vere fit aliquid quod prius, in quantum tale, non erat; quod enim erat et est, in quantum tale, non [b] potest de novo fieri seu incipere esse; omne autem quod est aliquid, in quantum tale, habet aliquam essentiam, cum essentia et ens sint communissima omni quidditati; ergo aliqua essentia, in quantum talis, vere est terminus motus, saltem generationis, et vere educitur et fit de novo; et ille terminus non solum incipit esse essentia; et ita sequitur quod essentia huius termini prius ibi non esset. — Item, omne quod realiter distinguitur ab altero et maxime ita quod ipso manente potest ei advenire et ab eo separari habet aliquam essentiam per quam ab eo distinguitur et per quam ab eo potest separari et sibi advenire; impossibile est enim quod illud quod est omnino una et eadem simplex essentia cum aliquo seu omnino id ipsum, sicut est punctus sibi ipsi idem et una et eadem essentia, impossibile est, inquam, quod unum sit accidens alterius et ab eo distinctum realiter et maxime quod sit tale quod ab eo possit separari et sibi advenire; sed illud de quo verum est dicere «hoc est per se terminus [c] motus et hoc est quod per se dicitur et fit et incipit nunc esse», sive

---

[a] B[7] *essentiam.* [b] Sequitur ras. [c] In ras.

illud sit ipsum esse formarum sive aliqua dispositio vel modus essendi earum sive aliquod complementum earum vel quicquid illud sit, illud, inquam, necessario erit realiter distinctum ab omni essentia quae prius erat in materia et universaliter ab omni eo quod prius ibi erat et eis adveniens et recedens; ergo necessario ipsum, in quantum tale, habet aliquam essentiam ab omnibus illis realiter distinctam, et ita necessario sequitur quod in omni factione et motu fiat vere aliqua (a) essentia, in quantum essentia, et non solum eius esse; et sic necessario haec opinio destruit se ipsam et ponit oppositam (b), ut videtur.

Item, forma et essentia formae omnino sunt idem et forma et actus idem, et non actus absolutus, sed actus se toto relatus ad aliquam materiam seu potentiam; forma enim, in quantum forma et per suam essentiam, est actus materiae seu alicuius potentiae; ergo si essentia formae est in materia, necessario erit eius actus; esse autem actum materiae non est aliud quam eam facere esse in actu, nec aliud est materiam habere actum, qui est forma, quam eam esse informatam et perfectam ab ipsa, hoc enim vocamus esse in actu primo; ergo impossibile est esse essentiam formae in materia sine esse actuali et ita quod, quantum erit ibi de essentia, tantum sit ibi de (c) esse. — Praeterea, esse quod dat forma materiae aut originatur ab ipsa, ita quod non cedit in aliud genus, aut (d) est proprium accidens eius aut est idem penitus cum ea. Et similiter (e), esse quod constituitur ex materia et forma aut originatur ab eis, ita quod non transit in aliud genus aut est idem penitus cum eis aut est proprium accidens eorum; sed quocunque horum dato, impossibile est esse essentiam formae in materia sine huiusmodi esse et impossibile est utraque simul esse unita sine esse quod dicitur simul utriusque. Nec potest dici, sicut quidam dicunt, quod non sunt unita et ideo non est ibi huiusmodi esse aut quod materia non est disposita semper ad recipiendum huiusmodi esse, quoniam esse in alio necessario dicit aliquam unionem, et cum forma non possit esse in materia nisi sicut in potentia propria sui receptiva, necessario erit ibi, sicut actus seu forma est in propria materia seu potentia, dicit enim expresse inhaerentiam seu impendentiam formae ad materiam suam.

(a) Al. m. corr. (b) B^{7} *oppositum*. (c) Al. m. in ras; B^{7} *ibidem* pro *ibi*. (d) Al. m. mg. (e) Al. m. in ras.; add. interl. al. m. *et*.

Praeterea, si non est unita, ergo sequitur quod sit ab ea separata; et ita essentiae huiusmodi essent quaedam formae separatae per se existentes. Cum etiam omnis inhaerentia seu omne esse in sit substantiale vel accidentale, hoc esse in aut erit accidentale, ut scilicet insit materiae sicut accidens in subiecto, et hoc nemo dabit, quia tunc omnis forma substantialis esset accidens, aut erit substantiale, et tunc, cum non possit dari quod sit in ea sicut pars in toto aut sicut natura in supposito, relinquitur quod sit inhaerentia et unio substantialis formae in materia. Si etiam forma non esset sibi unita, sed per motum moveretur materia [a] ad huiusmodi unionem, cum nihil moveatur ad aliud quod iam est aliquid, nisi sit ab eo distans secundum aliquem motum distandi [b]: oporteret dicere quod materia esset ante praedictum motum distans ab ipsa forma; quamvis hic multa alia inconvenientia implicentur, quae causa brevitatis omitto. Quod autem dicitur quod materia non semper est disposita ad recipiendum esse a forma, hoc praedictas rationes non evacuat. Et praeterea, cum forma non possit esse nisi in propria materia et ita non nisi in materia disposita ad eius receptionem [c]: hoc est manifesta contradictio dicere quod ibi sit essentia formae et quod materia non sit disposita ad recipiendum esse ab ea. — Praeterea, ex ipsa dispositione materiae forma non reddetur magis actualis in sua essentia, nisi aliquid essentiale aggeneraretur ei; ergo propter huius dispositionis defectum ipsa forma non habebit minus de esse actuali in se, quamvis materia non recipiat esse ab ea; neque enim posset de se esse actualis sufficienter ad dandum esse materiae, si non impediret indispositio eius, si non haberet sufficientem actum essendi in se. — Praeterea, cum forma substantialis immediate uniatur suae materiae tanquam dans ei esse substantiale quod praecedit esse accidentale, cum etiam natura differentiae substantialis immediate sequatur naturam generis: nec inter formam et materiam requiretur intermedia dispositio accidentalis nec inter naturam [d] generis et differentiae. — Praeterea, ex unione accidentali non potest constitui seu resultare nisi accidens; sed omnis unio quae [e] per naturam [f] potest separari ab extremis [g], ipsis manentibus quoad suam essentiam sicut prius [h], est eis accidentalis; ergo unio huius formae ad

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. [c] Ita B^7, V *receptione*. [d] B^7 *materiam*. [e] Al. m. mg. [f] B^7 om. *p. n.* [g] B^7 *extremo*. [h] B^7 om. *quoad... prius*.

materiam quae non semper eis inest erit accidentalis [a]; et ita ex eis non constituetur substantia seu ens per huiusmodi [b] unionem, sed solum aliquod accidens.

Item ad principale: esse in est quoddam esse actuale; dicitur enim esse actuale inesse per se et inesse in alio, nec esse in alio aliud dicimus quam actu existere in alio; ergo bene sequitur: essentia formae est in materia, ergo est actu et ergo existit actu in alio. — Item, omnis essentia oportet quod habeat aliquod esse actuale, ex quo est essentia, quo saltem possit dici esse talis essentia; si ergo essentiae formarum sunt vere et realiter essentiae: ergo sunt actu essentiae et ita habent esse actuale per quod sunt actu essentiae et tales essentiae. — Item, omne quod non est actu et postea est actu est factum de novo; si ergo essentiae formarum non sunt actu [c] essentiae et tales essentiae et post eductionem earum in esse actuali sunt actu essentiae: ergo ipsae sunt eductae et factae de novo non solum secundum suum esse actuale, sed etiam secundum suam essentiam. — Item, non minus in eductione est necessarium quod essentia materiae recipiat esse quam quod huiusmodi essentia formae, cum sit magis de se imperfecta et potentialis; ergo ita bene debet [d] dici generabilis et corporalis materia sicut et forma. — Item, si illud quod generatur per se non est aliquid de essentia formae et materiae nec aliqua pars essentiae ipsius entis: tunc sola accidentia generantur, et ita generatio non est aliud quam quaedam alteratio; sed secundum hanc viam non ponitur aliquid de essentia formae vel materiae educi nec aliqua pars essentiae, quia tunc illa pars essentiae esset vere essentia quaedam distincta ab essentia priorum partium, quamvis constituerent unam tertiam essentiam; et sic secundum hoc vere de nihilo educeretur essentia, quin potius secundum hanc viam ponitur educi [e] solum aliquod eorum accidens, etiam ab eis separabile, et ita solum ponitur generari accidens commune et non proprium. — Item, solo accidente destructo, etiam quantumcunque proprio [f], non destruitur ens nec suppositum cuius erat accidens; si ergo per corruptionem naturalem [g] non destruitur aliquid de essentia entium seu substantiarum, sed solum aliquod accidens eorum, utpote aliquod accidentale esse eorum: ergo per nullam corruptionem naturalem de-

---

[a] B⁷ om. *ergo... accidentalis.* [b] In ras. [c] B⁷ om. [d] B⁷ *potest.* [e] B⁷ *eductio.* [f] B⁷ *primo.* [g] Al. m. mg., B⁷ *materialem.*

struitur aliquod ens seu substantia; et idem erit de generatione, non enim generatio accidentis est generatio entis seu substantiae, alias substantia, in quantum substantia, esset accidens.

Item, omne quod est in alio aut est in eo sicut accidens in subiecto ([a]) aut sicut pars in suo toto aut sicut natura in suo supposito. aut sicut forma in materia aut sicut locatum in loco vel secundum alios modos essendi in a philosophis vel sanctis assignatos; sed secundum hanc viam essentia formae ignis erit in aere et e contrario; ergo erit ibi aliquo modo essendi in; sed nullum est dare, non enim erit in aere sicut accidens in subiecto nec sicut pars in suo toto — non enim forma ignis est pars aeris — nec sicut natura in suo supposito — non enim forma ignis est natura aeris, cum sit natura contraria — nec erit in eo sicut forma in materia — non enim aer manens aer seu ipsum suppositum aeris est materia formae ignis, cum suppositum, in quantum suppositum, non sit materia alicuius — nec potest dici quod sit ibi sicut ([b]) locatum in loco vel secundum alios modos; ergo, ut videtur, simpliciter non est ibi, non enim potest esse in materia aeris, quin sit in ipso aere sicut in supposito et sicut in suo toto. — Item, omne quod saltem aliquo modo est unitum et inhaerens alicui aliquo modo constituit unum cum eo; ergo essentia formae, ex quo aliquo modo est unita materiae, aliquo modo constituet unum ens cum ea; aut igitur unum ens accidentale, et hoc non potest dici, et si diceretur, ad minus iam constituerent aliquod ens in actu seu aliquod ens actuale, aut constituent aliquod ens substantiale seu substantiam, et tunc non minus habebitur propositum.

Item, omne quod vere habet formam specificam alicuius vere habet speciem eius et vere potest dici esse tale ens secundum speciem quale illud, cum secundum Anselmum, *De grammatico* ([1]), etiam in denominationibus accidentium non exigatur nisi essentia accidentis et habere, unde secundum eum ibidem albus ([c]) non significat aliud quam albedinem cum habere; sed quicunque habet essentiam formae asini habet vere formam specificam eius, quantumcunque careat accidentalibus dispositionibus illius formae; ergo qui-

([a]) B[7] *substantia.* ([b]) B[7] *secundum.* ([c]) B[7] *album.*

([1]) Cap. 14 (PL 158, 572 sqq.).

cunque habet essentiam illam est vere asinus et potest vere dici asinus et ita vere sicut ipsa essentia habet rationem verae essentiae, et ita tam Christus, in quantum homo, quam omnis homo erit vere asinus et omne illud quod de materia sui corporis educi potuisset; cum enim Christo et aliis hominibus secundum hanc positionem nihil deficiat de tota specie vel de tota ratione speciei asini vel serpentis vel cuiuscunque qualitatis et formae et figurae naturalis, quantumcunque deformis et turpis, quam per viam naturalem de materia humani corporis educi potuisset, nisi solum aliqui accidentales modi essendi earum: ita vere tam Christus quam alii homines erunt asini et omnes qualitates et formas et figuras naturales, quantumcunque turpes, habentes, sicut et illa quae vere dicuntur esse talia. — Item, formae corporales et substantiales corporis Christi sunt ita naturales materiae illius corporis sicut formae substantiales corporis mei sunt naturales materiae corporis mei [a], alias natura humana in Christo et in aliis hominibus non esset [b] plene eiusdem speciei [c]; ergo essentiae formarum substantialium et corporalium corporis Christi erant in materia eius, antequam ipse esset conceptus, nec enim est in eis aliter facta destructio quam fit in morte aliorum hominum ante incinerationem; et cum in id a quo incipit generatio terminetur corruptio opposita ei et e contrario: videtur quod generatio corporis Christi inceperit ab essentia formali, si in morte eius non fuit eiusmodi essentia annihilata, et ita Spiritus Sanctus in hora conceptionis non eduxit formas corporales corporis Christi nisi solum quantum ad quendam actum essendi eis accidentalem tanquam ab eis separabilem; quod dicere an sit sanum pertractanti subtilius et diligentius appareat [d]. — Item, cum de materia corporis Christi potuerit per naturam educi aliqua forma humani corporis, quamvis non Christi, et tamen cum hoc est ibi a Deo facta essentia formae humanae corporis Christi: ergo in corpore Christi sunt duae essentiae humanitatis seu humani corporis, nisi dicatur quod Deus non fecit in eo essentiam formalem suae humanitatis corporalis nisi solum quantum ad esse; quod dicere non videtur securum.

Item, in corpore nostro per viam naturalis generationis educitur aliqua dispositio vitiosa ad quam necessario sequi-

---

[a] Al. m. mg. *sunt... mei.* [b] Ex *essent.* [c] Al. m. mg. [d] Ex *abppareat.*

tur in primo nunc infusionis rationalis animae ipsius culpabilis infectio seu originale peccatum; ergo essentia huius dispositionis vitiosae erat prius a Deo concreata in materia sine cooperatione agentis creati et ipsa est quae per virtutem sibi datam a Deo sine intermedio agente creato ad solam excitationem agentis creati eduxit se in actualem existentiam [a] dispositionis vitiosae. Nec sufficit dicere quod haec dispositio bene potuit a Deo fieri, sed non defectus vitiositatis eius et ille semper est nihil, quia defectus seu negatio non potest fieri nisi per factionem alicuius positivi ad quod necessario sequitur et in quo essentialiter implicatur, sicut alibi est ostensum; si etiam diceret solum defectum, frustra diceret Augustinus, libro *Contra Iulianum* [1], quod corruptio originalis transeat a parente in prolem non migrando sed afficiendo, dans exemplum de colore causato in [b] foetibus a colore virgarum per affectionem animae matris afficientis corpus tenerum sui foetus. Et dicere quod tale positivum implicans in se talem defectum possit a Deo fieri sine cooperatione agentis creati [c] et sine aliqua primaria voluntate creata videat vir catholicus an sanum sit et securum.

Item, habitus vitiosi voluntatis nostrae et habitus falsi intellectus et memoriae nostrae educti sunt in esse per aliquod agens creatum; impossibile est enim quod isti a Deo sint educti sine cooperatione voluntatis creatae, immo et [d] haereticum esset hoc dicere. Sed isti non educuntur a potentia creata in suis subiectis per simplicem influxum, sicut fit lux a sole in aere; tum quia isti fiunt ab eis per intermedios actus, influxus autem seu primae influentiae agentium sunt immediate ab eis; tum quia isti habitus permanent, postquam potentiae cessant operari, nec dependent postea [e] ab actione earum, quia nec possunt aliquando tolli vel destrui per eas; tum quia videmus quod movendo potentiam et applicando ad obiectum per huiusmodi frequentem applicationem et motum successive aggenerant [f] in eis perversam dispositionem et habitum et successive magis ac magis ipsos augent et intendunt, sicut recte suo modo faciunt agentia naturalia, quando de materia educunt formas

---

[a] B[7] *essentiam.* [b] Ita B[7], V repetit *in.* [c] B[7] *causati.*
[d] Add. interl. al. m. [e] B[7] om. [f] Al. m. ex *agenerant.*

---

[1] Lib. V, 14 (PL 44, 812).

in actum; ita enim videmus quod voluntas movendo se vel appetitum inferiorem aggenerat tam in se quam in appetitu sensitivo quam etiam in corpore ipso pravam dispositionem et vitiosam; unde Augustinus, in epistola *Ad Nebridium* (1), vult quod ex frequenti iracundia seu alia affectione mala relinquitur in corpore dispositio mala quae postea movet hominem et incitat ad consimiles affectiones iniquas. Si igitur ista a virtute creata non possunt educi de nihilo et (a) quasi modo (b) consimili educuntur in suis subiectis quo et illa quae in exterioribus de potentia materiae educuntur: videtur relinqui secundum praedictam viam quod oporteat dici quod eorum essentiae essent a Deo concreatae primitus in potentiis suis; quod quam horribile sit non solum dictu sed etiam cogitatu cuivis patet.

Item, secundum Aristotelem (2) et alios philosophos seminaria virtutum consuetudinalium sunt in nobis a natura. Si ergo per seminarium intelliguntur (c) essentiae educendorum per ipsum seminarium: ergo essentiae omnium virtutum consuetudinalium sunt in nobis a natura, et tunc eadem ratione essentiae habituum oppositorum, et etiam poterimus vere dicere quod in superbo et luxurioso (d) et sic de aliis est essentia humilitatis, castitatis et iustitiae et sic de aliis; quod dicere non videtur multum securum. Eodem modo potest argui quod simul sint essentiae vitiorum cum gratia. Ex praedicto etiam sequetur quod essentiae virtutum consuetudinalium (e) sunt simul cum corruptitione et (f) iniustitia originali. — Item, essentiae formarum non minus sunt sibi contrariae quam sua esse, cum contrarietas directe respiciat essentias formarum contrariarum; ergo ita parum poterunt esse simul in eodem essentiae contrariae vel disparatae sicut et earum esse. — Item, privatio formae non minus contrariatur essentiae habitus vel formae quam suo esse; ergo non minus est incompossibilis stare cum essentia habitus vel formae quam cum esse eorum. Et cum privatio proprie opponatur essentiae formali, cum terminus ad quem sit proprie et directe oppositus termino a quo et e contrario: ergo motus inchoans (g) a privatione sicut a termino a quo vere ter-

---

(a) Add. interl. al. m. (b) B^7 om. (c) B^7 *intellectum*. (d) Ita B^7, V *luxuriose*. (e) Al. m. (f) Add. interl. al. m. (g) B^7 *incurrens*.

---

(1) *Epist.*, classis I, epist. 9 (PL 33, 73). (2) *Eth.* II, 1, 1103 a 24 sq.; VI, 13, 1144 b 4 sqq.; *Polit.*, VII, 7, 1327 b 20 sqq.

minabitur ad essentiam formae et non solum ad eius esse. Et item motus terminatus ad privationem vere recedet ab essentia formae sibi oppositae et non solum ab eius esse. — Item, istae essentiae, cum sint unitae in eadem materia, constituent aliquo modo unum ens substantiale vel accidentale nec simul esse poterunt, illae saltem quae sunt sibi invicem miscibiles, nisi sibi sint commixtae; commixtae [a] autem esse non poterunt, nisi ipsa extrema mixtionis [b], in quantum talia, sint diminuta a complemento suo. Ex quibus omnibus videntur relinqui multa inconvenientia.

Item, in nulla potentia creata possunt esse simul actu infinita, immo nullo modo est dare actu infinita; sed formae infinitarum specierum possunt successive in infinitum educi de materia; ergo si omnium quae possunt educi sunt ibi essentiae, infinitae essentiae [c] erunt simul in materia. — Forte dicetur ad hoc quod essentiae istae non sunt [d] ibi nisi in potentia, contraria autem et infinita possunt esse in una et eadem potentia finita, solum quod non sint ibi actu, sed tantum in potentia. — Contra hoc autem primum sciendum est quod haec evasio aliis rationibus praedictis non sufficeret, sicut inspicienti diligenter faciliter patere [e] potest. Nec etiam [f] ad propositas rationes videtur sufficere, quia aut ipsae essentiae addunt aliquid reale super essentiam et potentiam passivam materiae aut nihil. Si nihil, habetur propositum; hoc est enim quod dicit contraria positio. Si aliquid, ergo sunt ibi vere infinita realia. — Praeterea, essentia [g] formae et eius potentia non est minus realis et actualis quam essentia et potentia materiae; sed quantumcunque sit potentialis essentia materiae, impossibile est esse simul infinitas essentias materiae; ergo multo minus hoc erit in essentiis formarum. — Praeterea, creatio semper terminatur ad esse, unde impossibile est quod Deus faciat essentiam non dando sibi esse; et e contrario annihilatio tollit aliquod esse. Si ergo Deus concreavit essentias formarum in materia: ergo vere dedit eis aliquod esse quod amitterent, si annihilarentur; sed Deus potuisset creare unam sine alia [h], cum nulla contradictio in hoc implicetur, sicut et potuit creare materiam sine aliqua tali; ergo vere quaelibet habet aliquod esse distinctum et aliquid reale ab esse alterius et ab essentia materiae, alias non posset esse potentiale unius de-

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. ex *mixtonis*. [c] B[7] om. *i. e.* [d] Al. m. mg. [e] In ras. [f] Al. m. mg. [g] Al. m. mg. [h] In ras.

strui vel creari sine altero nec illud reale quod ponit ipsa essentia, quantumcunque [a] potentialis, quicquid illud sit. Et tunc adhuc sequitur quod essent ibi infinitae essentiae reales et infinita esse realia.

Praeterea, unaquaeque essentia illarum occupat aliquid de capacitate materiae, quantumcunque sit potentialis, ex quo est ibi vere recepta et realiter ab essentia materiae et aliarum essentiarum distincta; ergo quantumcunque sint potentiales, si sunt ibi infinitae, exigent infinitam capacitatem in materia. — Praeterea, aut istae essentiae actu habent suam essentiam aut solum in potentia, et similiter aut materia habet earum essentias actu aut [b] solum in potentia. Si actu: adhuc stant rationes praemissae. Si vero in potentia solum: ergo non sunt ibi aliter nec aliter habentur quam earum actuale esse, quoniam illud est ibi in potentia, alias non posset educi de potentia. Et praeter hoc, cum esse illud quod est in potentia possit [c] educi in actum, ergo si essentia formae, in quantum essentia, est ibi essentia solum in potentia nec a materia habetur nisi in potentia: ergo ipsa essentia vere educetur, in quantum est essentia, et in quantum talis, vere poterit a materia acquiri per motum. — Praeterea, esse in aliquo solum in potentia non videtur aliud esse quam posse esse in alio, sicut ego sum potentia in foro, quando sum in domo; si enim praeter hoc dicit aliquid aliud, illud esse non poterit nisi aliquod esse actuale seu aliquis actus, cum super [d] posse ipsius materiae, quale est praedictum posse, nihil possit addi nec ab eo realiter distingui, nisi sit actus formalis.

Praeterea, omnis motus necessario habet terminos oppositos et semper habet terminum finalem aliquid secundum rem ponentem, etsi non semper [e] secundum rationem; movens enim non potest aliquid corrumpere in mobili nisi assimilando sibi et ita non nisi aliquid generando, nec aliquod mobile potest recedere ab aliquo termino nisi accedendo ad alium, et etiam si hoc posset fieri, tunc motus ille non haberet [f] aliquem terminum intrinsecum, et tunc continuum et divisibile, sicut est motus, non terminaretur aliquo termino reali, sed solum [g] puro nihilo, nec terminaretur huiusmodi motus ad aliquam mutationem seu formae inductionem realem, sed solum ad puram negationem. Ergo essentia for-

---

[a] Al. m. mg., del. *quantum*. [b] Al. m. corr. [c] B^{1} *posset*. [d] In ras. [e] Al. m. mg. [f] Ex *haberent*. [g] Al. m. in ras.

malis non poterit recedere a suo esse actuali per motum nisi accedendo ad aliud esse praedicto esse contrarium. Et tunc etiam sequetur quod illud esse (a) contrarium sit esse actuale; tum quia motus non potest terminari ad aliquid quod sit minus actuale quam sit ipse motus; tum quia, cum contraria sint in eodem genere et sint species quasi coaequae, oportebit quod contineatur sub genere esse actualis; potentia enim et actus nunquam possunt esse sub eodem genere sicut duae species eiusdem generis, sed solum sicut duae partes constitutivae ipsius, per analogiam se habentes ad ipsum. Et eodem modo potest argui a contrario quod non poterit accedere ad esse actuale (b) nisi recedendo ab aliquo esse actuali sibi opposito; huiusmodi autem dari non potest, quin ponatur esse in actu et quin ponatur esse subiectum contrariorum; quod est contra rationem formae; et tamen nec tale quod sit reale et positivum poterit inveniri nec dari. — Si autem dicatur quod motus intensionis (c) et remissionis non sunt inter terminos contrarios nisi secundum quid aut motus qui est ab imperfecto ad perfectum vel e contrario (d): tunc ad minus oporteret quod prius (e) haberet esse actuale eiusdem generis vel speciei quod non differret (f) ab esse per talem motum educto nisi secundum magis et minus vel sicut perfectum et imperfectum, actuale tamen.

Praeterea, nulla essentia quae solum est ens in potentia potest obtinere suam essentiam, nisi ab aliquo actu teneatur in aliquo esse actuali (g), et haec (h) est causa quare materia non potest stare in sua essentia sine aliqua forma actuali tenente eam in esse actuali; si ergo essentiae formarum sunt solum ens in potentia et nullo modo actu: ergo nullo modo poterunt (i) stare in sua essentia sine aliquo dante eis esse actuale; tale autem non est dare. — Praeterea, omne quod est realiter in aliquo supposito substantificatur et stabilitur actualiter ab illo et in illo; sed illae essentiae non possunt aliquo modo obtinere suam essentiam nisi in aliquo supposito; ergo stabiliuntur actualiter ab illo et in illo; sed hoc non est possibile sine esse actuali, cum huiusmodi stabilitio sit saltem pars esse actualis. — Praeterea, quando aliquod commune convenit aliquibus duobus, aut convenit eis univoce aut analogice, et si praeter hoc differunt, oportet illi

---

(a) B^7 om. (b) Al. m. mg. (c) Ita B^6, V *intentionis*. (d) Al. m. mg. *v. e. c.* quae B^7 om. (e) Al. m. ex *plus*. (f) Al. m. in ras. (g) B^7 *accidentali*. (h) Al. m. corr. (i) Al. m. mg. *ergo... poterunt*.

communi alias differentes rationes reales addi, sicut videmus de ente respectu substantiae et accidentium; sed secundum hanc viam ens in potentia est commune essentiae materiae et essentiae formarum et ita materiae et formis; ergo oportebit dare aliquid praeter hoc in quo differant; quamvis hoc sit valde mirabile quomodo ens in potentia possit esse commune utrisque [a], cum per hoc potissime distinguatur materia a forma et videatur esse quasi ratio specifica ipsius materiae; nec in eis, ut videtur, dari poterunt aliae differentiae quam potentiae et actus vel quam determinabile et informe et terminans et formans [b] seu potius terminatio et formatio; oportebit etiam ostendere quomodo eis ens in potentia conveniat analogice, cum nihil eis possit univoce convenire.

Praeterea, omnis essentia habens extensionem et partes inter se distinctas secundum essentiam et secundum situm partium materiae et habens proprias passiones et accidentia et actuales habitudines et relationes ad alia videtur esse actu et actualis; sed essentiae praedictae, saltem formarum corporalium, necessario erunt extensae, alias secundum se totas essent in qualibet parte materiae suae, ad quod sequerentur maiora inconvenientia incomparabiliter. Omnes autem essentiae formales habebunt necessario aliquas proprias passiones quas originare [c] actu et semper non erit [d] sine magna actualitate. Habebunt etiam actu aliqua accidentia [e], saltem illum modum essendi, sive potentialem sive alium quem amittunt, quando educuntur in actum. Habebunt etiam actuales relationes ad materiam et actuales habitudines ad formas naturaliter priores eis seu posteriores et ad ipsum esse suum quod habent [f] et ad illud quod secundum naturam habere possunt; ergo omnes habebunt ibi esse actuale.

Forte sumetur adhuc alia evasio iuxta unum modum praedictae positionis, scilicet quod ibi non sunt essentiae differentiarum, sed solum essentiae generum. Sed ab istis oportet prius quaerere an velint ibi esse essentias generum illorum quae possunt corrumpi et generari, eo modo quo etiam essentiae differentiarum, an solum sint ibi essentiae illorum generum quae per [g] agens naturale non possunt amittere suum esse nec acquirere secundum illos

---

[a] Ex *utriusque*. [b] Ita B^7, V *formas*. [c] B^6 *originandae*. [d] B^6 *est*. [e] Al. m. ex *essentia*. [f] Ex *habebunt*. [g] Al. m. corr.

qui ponunt quod materia in generatione vel corruptione substantiali non possit amittere omnes formas praecedentes, quod ego [a] ad minus in multis credo esse verum, licet forsitan in aliquibus non sit verum. Si primo modo, tunc adhuc maior pars praedictorum inconvenientium remanet, sicut applicanti praedictas rationes ad propositum statim [b] patet. Et praeterea [c], omnes habet difficultates quas habet positio quae nullam essentiam formarum educendarum ponit praeexistere in materia, quia essentiae differentiarum educentur de nihilo et absque virtute intrinsecus eas educente. Non enim de essentia generis poterunt fieri, nisi ipsa essentia generis convertatur in eas; converti autem non potest in eas, quin ipsa secundum se destruatur; si enim remanet, iam non est conversa in eas, et tunc adveniente differentia deficeret natura generis, quod est multipliciter impossibile; et tamen posito quod hoc fieret, tunc non esset dare postmodum unde produceretur opposita differentia, quia iam non esset ibi essentia [d] generis de qua produci posset nec quae cooperari ad eius productionem posset. Conversio etiam huiusmodi alias habet impossibilitates quae inferius alio loco tangentur. Quomodocunque etiam essentia differentiae de essentia alterius formae fieret: tunc ad minus verum esset essentiam illam produci, in quantum essentiam, et non solum quantum ad suum esse. Non etiam posset essentia generis cooperari ad eductionem differentiae, sicut inferius suo loco tangetur. Si autem secundo modo ponantur ibi esse essentiae generum illorum, scilicet quae secundum se nec corrumpi nec generari possunt: tunc nihil erit dare unde educantur formae educendae, quia non poterit dici quod de ista, cum ista non possit amittere suum esse nec generari et ita nec in aliam [e] converti, et si posset, adhuc sequerentur [f] praedicta inconvenientia. Quantum ad utramque autem esset valde mirabile quomodo de una forma fieri possent contrariae essentiae et quasi innumerabiles tam numero quam specie.

Si autem aliquis velit omnino fugam petere dicendo quod differentiae sunt ibi implicite et indistincte, non tamen explicite et distincte, unde educi eas de essentia generis non est aliud quam eas actualiter distingui et explicari: contra hoc occurrit statim ratio, quia aut per hoc quod negantur

---

[a] Corr. [b] Ex *stantim*. [c] B^{7} *positio*. [d] Al. m. mg. [e] Al. m. corr. in ras. [f] B^{7} *sequeretur*.

ibi esse explicite et distincte negatur earum essentia secundum rem ibi esse, et hoc vult contraria positio, aut non negatur veritas essentiae earum, sed solum modus essendi distinctus et explicitus, et tunc redeunt [a] omnia inconvenientia superius dicta. Et praeter hoc non erit dare cuiusmodi explicatio et distinctio fieri possit in essentia formae praeexistenti, et maxime talis quae per motum introduci possit; non enim potest dici quod hoc sit dilatatio [b] et extensio eius super materiam. Remanet etiam adhuc dicere quomodo de essentia generis educatur haec explicatio. Praeterea, quando dicitur quod in essentia generis sunt indistincte et implicite: hic affirmatur aliquod esse in cum modo determinato qui exprimitur per ista adverbia « indistincte et implicite ». Aut igitur per affirmationem huius esse in intendunt affirmare veritatem [c] essentiae ipsarum differentiarum et cum hoc aliquem specialem modum unionis ipsarum cum essentia generis aut non intendunt per hoc affirmare aliquid huiusmodi. Si primum: totaliter redeunt priora inconvenientia et prior modus ponendi essentias in materia. Si vero secundum: tunc magis concedunt quam negant positionem contrariam; quamvis ex vi verborum plura esse indistincte in aliquo proprie significet quod sint [d] omnino idem, in nullo distincta inter se invicem nec cum illo in quo sunt. Sic enim effectus sunt in causis effectivis indistincte, quia prout ibi sunt, nihil aliud ponunt secundum rem quam virtutem causae effectivam. Et in illo modo essendi in qui magis est secundum intellectum quam secundum rem quo particularia dicuntur esse in suo universali indistincte — etiam prout ibi sunt [e] in universali, intelliguntur [f] indistincte — non sunt aliud quam ipsum universale. Hoc autem dico, nisi quis accipiat esse indistincte pro esse confuse seu sine certo ordine; sicut partes cerae, quando non sunt collocatae sub certa figura, potest dici quod sunt ibi confusae, et sicut partes foliorum [g] rosarum, quando sunt in botro, possunt dici esse implicitae, non quin sint inter se diversae, sed quia sunt inter se complicatae, sicut suo modo est pannus manu strictus et aggregatus.

Item ad principale: impossibile est quod forma seu essentia divisibilis secundum extensionem partium seu extensa

---

(a) Ex *rederunt*. (b) V B⁷ *dilatio*. (c) B⁷ *materialitatem*. (d) Ex *sicut*. (e) V B⁷ add. *et prout ibi sunt* quae B⁸ om. (f) B⁷ add. *et*. (g) Al. m. ex *filiorum*.

sit omnino id ipsum quod essentia simplex quae secundum idem est in diversis partibus materiae extensae et non secundum diversas partes sui; sed anima sensitiva animalium est secundum suam essentiam hoc modo simplex; ergo essentia eius quae ante eius eductionem erat in materia et quae post eius corruptionem remanet erit eiusdem omnino simplicitatis; si enim forma quae habet partes alias et alias secundum extensionem et diversitatem partium [a] materiae fieret postmodum huius simplicitatis: oporteret quod una pars eius fieret idem quod alia. Et breviter, non est possibile intelligere quomodo posset recipere huiusmodi simplicitatem et amittere suarum partium diversitatem et extensionem et maxime quod hoc fieret per actionem agentis naturalis et quasi corporalis et per motum materiae corporalem. Sed ante eductionem animae sensitivae non est in corporibus animalium dare aliquam essentiam formae nisi extensam et divisibilem, quia partes illius corporis aliquando fuerunt divisae et etiam partes materiae seminalis aut saltem potuerunt esse et adhuc possunt, etiam usque ad minutissimos atomos. Sed impossibile est quod in partibus divisis posset esse una essentia formae simplex et indivisibilis et maxime in tot et ita modicis. Hoc autem erit possibile evenire et aliquando [b] necessarium, si est ibi aliqua essentia simplex et indivisibilis et incorporalis quantum ad suam essentiam. Ergo impossibile est in materia corporali praeexistere essentiam animae sensitivae, quae tamen ab omnibus ponitur educi per viam naturae de materia corporali [c]. Cui consonat Scriptura Sacra in Genesi dicendo [1]: *Producant aquae animam vivam* et consimilia.

Item, vivum et sensitivum sunt essentialia [d] animae sensitivae et materiae habenti animam sensitivam; ergo illa essentia quae postea est omnino idem cum anima sensitiva erit etiam tunc viva et sensitiva, habens omnes potentias sensitivas, et materia ipsam [e] habens erit vivens seu viva et sensitiva; quae multum videntur absurda. Et tunc non erit dare in mundo atomum in quo ista non sint, quia non est atomus, quin possit esse pars corporis animalium et materiae seminalis seu radicalis eorum in quo non possit [f] esse

---

[a] B[7] om. [b] Sequitur ras. [c] Sequitur ras. [d] B[7] *essentia.* [e] B[7] *ipsa.* [f] B[7] om.

[1] Gen. 1, 20.

anima et de quo cum aliis partibus non possit educi. Si autem est in eis essentia animae, tunc de quolibet poterit per se educi et in quolibet, et ita quilibet [a] atomus corporis animalis posset per se esse completum animal. — Item, secundum hanc viam omnis forma secundum suam essentiam erit in omni materia, quantumcunque simplici et quantumcunque modica; et ita formae secundum suas essentias non appropriabunt sibi materias; et sic anima non erit actus solum corporis organici physici, sed etiam aeris et ignis et atomi, actus enim qui cadit in definitione animae non potest separari ab eius essentia, cum cadat in eius definitione quasi genus et in recto. — Item, impossibile est esse formam ubi non est eius essentia; sed essentia formae eductae non poterit esse secundum istam positionem nisi in materia de qua educitur; sed anima sensitiva animalium non educitur de tota materia quae est in corpore animalis perfecti, immo fuit prius educta in aliquibus partibus principalibus, antequam essent formatae aliquae partes, etiam organicae [b], ut sunt manus et consimiles; ergo talis anima sensitiva nullo modo posset esse in huiusmodi partibus subsequentibus eius [c] eductionem; quod est non solum contra rationem, sed etiam quasi contra sensum.

Item, formae artificiales permanent in materia post earum eductionem sicut formae naturales, nec potest aliquo modo dici quod sint influxae ab agentibus. Aut igitur artifices educunt eas [d] de nihilo, quod est contra praecipuam rationem earum [e], aut educunt eas de essentia formali earum, tunc huiusmodi eductio non est artificialis aut violenta sed naturalis; essentia enim ad suum esse naturaliter movebitur et inclinabitur [f] et cooperabitur et non violenter; et etiam pro tanto erit naturalis, quia forma quae educitur prius erat naturaliter in materia plantata, sicut et ceterae formae naturales. — Forte dicetur quod formae accidentales, quales [g] sunt formae artificiales, non oportet quod habeant proprium seminarium in materia, pro eo quod fiunt per resultationem a forma substantiali, postquam est actualiter existens in materia. — Contra: certum est quod multa accidentia educuntur per motum alterationis a virtutibus naturalibus et elementaribus; alias nulla alteratio erit motus naturalis nec terminaretur ad aliquod accidens naturale, sed solum ad artifi-

---

(a) Al. m. (b) Ex *originicae*. (c) B^7 *eiusdem*. (d) Al. m. mg. *permanent... eas*. (e) V B^7 B^8 *eorum*. (f) Al. m. mg. *e. i.* (g) B^7 *quale*.

cialia. Sed si accidentia naturalia essent solum per resultationem a formis substantialibus, tunc non possent esse primo et per se termini alicuius motus seu non possent educi directe et primo et per se per motum. Praeterea, etsi hoc forte sequatur de accidentibus quae sunt propriae passiones, quia de illis bene videtur quod consequantur ad generationem [a] formae substantialis: tamen de accidentibus communibus de quorum numero sunt artificialia non erit hoc verum; si enim ista resultarent a formis substantialibus, tunc et ipsa essent propriae passiones; quae enim fiunt per resultationem non possunt esse a causis diversarum specierum nec possunt non sequi suam causam, quia omnia talia sunt immediate emanatio et similitudo suae causae, accipientia essentiam et esse a suis causis immediate [b] sine motu et non solum suum fieri; unde etiam nunquam possent variari vel de novo educi sine variatione vel nova eductione formae substantialis, et si illa variatio esset iterum accidentalis, adhuc illa non possent [c] fieri sine alia variatione vel eductione formae substantialis, et sic in infinitum. Praeterea, etsi de accidentibus naturalibus posset dici quod sint per resultationem a formis substantialibus, hoc tamen de artificialibus nullo modo potest dici, cum istorum introductio sit potius violenta quam naturalis.

Forte dicetur iuxta quendam alium modum huius positionis quod essentiae [d] formarum tam generum quam differentiarum sunt ibi incomplete [e] et earum generatio non est aliud quam eas produci ad suum complementum, ita quod non educuntur nisi quantum ad huiusmodi complementum. — Contra: quia cum illud complementum aliquando eis adveniat et abcedat, oportet quod de se habeat aliquam essentiam distinctam ab omnibus quae prius erant ibi, et ita eius essentia prius non erat ibi, sed de novo est educta. Praeterea, illud complementum [f] aut est aliqua pars essentialis formae educendae aut tota essentia eius aut nihil est suae essentiae nisi forte [g] accidens eius. Si est tota eius essentia: ergo quando aberat, tota essentia simpliciter aberat, et quando educebatur, tota essentia, in quantum essentia, educebatur. Si autem est aliqua pars suae essentiae: ergo similiter, quando deerat, pars essentiae deerat, et cum pars essentiae sit secundum

---

[a] Ita B^7, V *a generatione.* [b] B^7 add. *et.* [c] V B^7 *posset.* [d] V B^7 B^6 *essentia.* [e] B^7 *implicite.* [f] Al. m. corr. in ras. [g] Al. m. corr.

se quaedam essentia, tunc essentia educenda deerat. Et sic secundum hoc redit contraria positio. Si autem non est aliquid ipsius essentiae nisi forte accidens eius, tunc non generaretur nisi accidens, et breviter, tunc sequuntur omnia superiora inconvenientia, quia tunc non differt in aliquo a priori modo. Praeterea, illa essentia incompleta de qua dicitur fieri forma aut propter hoc dicitur incompleta, quia deficit sibi essentia alicuius differentiae, et sic redit idem modus qui ponit quod ibi tantum praeexistat essentia generis et per consequens omnia (a) quae consequuntur ad illum; aut dicitur incompleta, quia licet sit ibi essentia omnium generum et differentiarum, tamen non sunt sufficienter intensae vel non habent plenum esse actuale seu perfecte intensum vel quia sunt ibi solum in potentia seu secundum essentiam absque esse actuali; non enim video (b) quod pluribus modis possit hoc apparenter (c) accipi. Sed quocunque horum posito adhuc stant (d) omnia praedicta inconvenientia, cum omnino idem ponant quod positio principalis praeter aliquem gradum intensionis, unde adhuc erunt ibi actu infinitae essentiae, et sic de aliis inconvenientibus; quamvis plura inconvenientia sequantur, si propter hoc solum ponentur (e) esse incompletae, quia non est ibi earum (f) esse completum, licet alias nihil de essentia eis deficiat.

Praeterea, ille gradus intensionis qui aliquando deficit et advenit (g) aut est aliquid de essentia formae aut non. Si sic: ergo essentia educenda deficit et essentia, in quantum essentia, educitur, quia pars essentiae aliquam essentiam (h) secundum se habebit, et aeque difficile erit dicere de hoc quod educitur seu quod est per se terminus eductionis de quo fiat sicut et contrariae positioni (i); semper enim videtur quod fiat de nihilo. Si tamen dicatur quod de ipso incompleto cui advenit: contra, tunc enim oportebit quod (k) essentia ipsius incompleti convertatur in ipsum completum quod dicitur generari, et ita ipsum incompletum deficiet ibi esse. Impossibile est autem quod illud completum quod advenit possit ibi esse, si omnes partes priores essentiae ibi non remanent, cum sit naturaliter illis posterius et etiam quia illae (l) sunt partes essentiales ipsius formae, sicut et illud. Si etiam illae non remanent ibi, tunc istud non erit essentia

(a) B⁷ *alia.* (b) Al. m. (c) Sequitur ras. (d) Sequitur ras. (e) B⁷ *ponatur.* (f) Al. m. ex *eorum.* (g) B⁷ om. *e. a.* (h) Al. m. mg. (i) In ras. (k) B⁷ add. *fit.* (l) V B⁷ B⁶ *illa.*

formae completa, sed incompletissima. Postquam etiam illud incompletum erit conversum in ipsum completum, nihil poterit de illo fieri, nisi pro quolibet contrario et disparato et pro qualibet specie ponatur ibi suum proprium incompletum de quo fiet; et sic sequitur infinitas actualis cum multis aliis inconvenientibus. Tunc etiam oporteret quod quando albedo seu quaecunque alia forma quae prius actualiter inerat intenditur, quod converteretur in illud quod per motum intensionis seu alterationis intendentis generatur.

Praeterea, ostendo quod nullo modo per agens creatum et maxime [a] quod sit naturale et corporale possit una essentia converti in aliam, ita quod haec vere [b] fiat illa, quia aut illud quod convertitur movebitur ab agente aut non. Si sic: ergo erit subiectum motus; subiectum autem motus per motum cui subest non destruitur, sed solum aufert sibi formam aliquam actualem a qua sicut a termino a quo facit ipsum recedere et dat sibi alteram; alias ipsa essentia materiae super omnia posset converti in aliam [c] per motus agentium, cum sibi proprie et per se conveniat esse subiectum motuum. Si autem illud quod converti dicitur non movetur ab agente nec est subiectum actioni eius: tunc non potest competere sibi variatio [d] nisi sicut termino a quo, de quo non potest dici quod convertatur in terminum ad quem, quia agens non generat terminum [e] ad quem nisi faciendo continue recedere patiens a termino a quo et [f] movendo ad quem [g]; ad hoc autem quod terminus a quo converteretur in terminum [h] ad quem oporteret quod agens paulative faceret ipsum accedere ad terminum ad quem et sic quod vere moveret ipsum sicut quoddam mobile et sicut subiectum motus quod accedendo ad terminum aliquem non destruit nec in ipsum convertitur, sed potius ipsum recipit et sibi unitur et ipso perficitur. Unde nullo modo est invenire quomodo converti possit in illum, maxime cum illi qui dicunt quod forma fiat de aliqua essentia formali non intendant dicere quod le « de » dicat ibi habitudinem termini a quo, sed potius quasi materiae. — Praeterea, cum [i] terminus a quo sit contrarius termino ad quem: haec positio plane vellet quod illud quod converteretur non esset essentia formae educendae, sed potius essentia formae contrariae; et tunc

---

[a] Add. interl. [b] Al. m. corr., B[7] *vera*. [c] V B[7] *alia*. [d] B[7] *variatione*. [e] Al. m. mg. *ad... terminum*. [f] Add. interl. al. m. [g] B[7] om. *quia... quem*. [h] Al. m. corr. *i. t.* [i] Sequitur ras.

vera esset adhuc contraria positio quae vult quod essentia formae educendae non sit ibi realiter et quod essentia, in quantum est essentia, generetur. — Praeterea, si hoc esset verum, hoc idem esset in motu locali; unde quando terra movetur a sursum in deorsum, superius ubi a quo recedit converteretur in ubi centrale quod per motum acquirit: quod est valde absurdum. — Praeterea, quomodo sensitiva animalium poterit fieri ex aliqua forma contraria aut etiam ex disparata aut ex quacunque prius extensa non videtur posse dari.

Si autem aliquis ([a]) omnino velit fugam petere dicendo quod completum non educitur de incompleto per conversionem incompleti in ([b]) ipsum completum, sed potius per extractionem completi de ipso incompleto: contra hoc statim occurrit ratio, quia ista extractio necessario dicit ipsum motum eductionis formae et videtur principaliter dicere motum eius quod extrahitur, cum extrahere, si proprie et secundum vim verbi sumatur, non sit aliud quam quod est intra trahere ad extra; in tractu ([c]) autem id quod trahitur est ([d]) subiectum tractus seu ipsum mobile quod movetur motu tractus; et ita ipsum completum quod educi debet esset ibi prius ut mobile et ipsum esse quod traheretur ab interioribus ad extra; quod quantas absurditates in se implicet cuivis patere potest. Praeterea, ex quo essentia ipsius incompleti manet secundum se immota nec convertitur in aliud: quomodo ipsum completum sit potius ex ipso quam ex essentia materiae vel quam ex aliis essentiis, sive disparatis sive contrariis quae ibi praeexistere ponuntur, non bene apparet. Praeterea, terminus extractionis quod postea dicitur extractum aut erat ibi, in quantum talis et quantum ad illud secundum quod forma dicitur generata, aut non. Si sic: ergo illud quod ibi erat, in quantum tale, est de novo genitum, et etiam tunc ita vere et perfecte erat ibi ipsum completum quod dicitur terminus per se huius extractionis sicut et ipsum incompletum. Si vero non, sed illud, in quantum tale, aliquam essentiam dicit -- alias non posset advenire et recedere nec posset dici complementum essentiae et quod essentia illa quae educitur non erat ibi prius secundum rem —: et sic redit ([e]) adhuc positio contraria. Praeterea, illud quod extrahitur de ipso incompleto aut erat ibi

---

([a]) Ita B^7, V *aliquid*. ([b]) Add. interl. al. m. ([c]) Al. m. ex *tactu*. ([d]) Sequitur ras. ([e]) Ita B^7, V *reddit*.

secundum aliquem modum essendi in praeter illum vel consimilem quo ego dicor potentia esse in foro, quando sum alibi, aut non. Si sic: aut illud esse in est illud esse in potentia de quo satis dictum est prius aut est aliquod esse actuale; et breviter: si habet ibi aliquod esse [a] in reale, oportebit ibi ponere essentiam illius quod inesse dicitur praeter essentiam ipsius incompleti in quo dicitur esse. Si vero non est ibi aliquo modo essendi in, tunc semper verum est quod illud quod educitur secundum suam essentiam non est ibi nisi solum pro tanto quod ibi est materia eius. — Et si [b] diligenter consideres multa inconvenientia et absurditates quae hic videntur implicari: istas evasiones confingere videtur sola fugae petitio.

Sunt igitur ad minus hic duodecim genera inconvenientium tacta et etiam plura. Quorum unum est essentiae generatio et ita positionis destructio et contrariae assertio; secundum, essentiae praeexistentis actualitas plena quantum ad esse actuale; tertium, solius accidentis generatio et non substantiae seu entis simpliciter; quartum, quod omnia sunt in omnibus iuxta positionem latitationis formarum; quintum, quod forma corporalis humanitatis Christi non est producta a Deo nisi solum secundum esse aut quod duae essentiae humanitatis corporalis sunt [c] in Christo; sextum, quod vitiositas habitualis carnis et essentiae omnium habituum vitiosorum sunt a solo [d] Deo; septimum, quod vitia sunt simul cum virtútibus et cum gratia essentiae [e] habituum vitiosorum; octavum, infinitas actualis capacitatis materiae et infinitarum essentiarum formalium; nonum, quod contrariae essentiae et disparatae sunt simul absque diminutione suae essentiae et simul mixtae et non mixtae [f]; decimum, quod eadem essentia est simplex et extensa et quod essentia simplex manens et una est divisibilis et divisa; undecimum, quod vivens est non vivens et quod nulla forma determinat sibi materiam, etiam anima [g] sensitiva, et quod essentia formae facit se aliquando extra suam materiam, ita quod est in alia in qua aliquando non fuit nec ipsa nec eius seminarium; duodecimum, quod artificialia erunt naturalia et non violenta. — Ista autem non sunt ubique ordinate [h] posita et maxime priora, legenti tamen hinc inde occurrent.

---

[a] B[7] om. *actuale... esse.* [b] B[7] *ut.* [c] Sequitur ras. [d] B[7] om. [e] Al. m. mg. [f] B[7] *immixtae.* [g] Al. m. [h] B[7] om.

Sunt etiam hic tactae suis locis et per ordinem septem evasiones; contra quas arguendo satis tacti sunt omnes modi opinionis prioris spectantes [a] ad hunc articulum.

Sciendum est etiam quod praeter haec omnia in omnibus praedictis modis et evasionibus implicatur quod essentia formae educendae moveatur ab agente eo ipso quo ab eis ponitur quod forma fiat de huiusmodi essentia; non enim potest hoc fieri, si ipsa non moveatur. De quo quam inconveniens sit in sequenti articulo tangetur.

Secundus igitur articulus positionis praedictae non videtur etiam posse stare, hic scilicet, quod essentia formae moveatur ab agente extrinseco. Tria enim genera [b] inconvenientium videntur in hoc implicari: primo scilicet, quod forma quaecunque moveri possit; secundo, quod talis essentia formalis quae non habet esse actuale moveatur; tertio, quod ab eodem agente secundum eandem virtutem et eundem motum tam materia quam illa essentia moveantur.

Primum enim videtur simpliciter impossibile, scilicet quod forma quaecunque moveri possit. Sequitur enim quod forma secundum suam essentiam sit vere possibilis et in potentia ad actus et quod vere habeat in sua essentia potentiam passivam et receptivam et quod vere secundum suam essentiam sit subiectum tam motus quam contrariarum formarum et terminorum et quod per agens sit vere applicabilis et inclinabilis ad varios terminos motus per applicationes et inclinationes in ipsa ab agente factas et receptas et quod esset de se informis [c] et formabilis ab aliis formis et aliquando formata seu informata ab eis [d]. Quae omnia ita sunt essentialia materiae quod haec sunt [e] praecipua per quae tam ab Augustino quam a philosophis [1] probata est materia substantiis creatis [f] inesse et esse [g] principium per essentiam distinctum a forma. Unde ponere haec in forma secundum suam essentiam non videtur esse aliud quam po-

---

[a] B[7] *spectantis.* [b] Al. m. mg. [c] B[7] *informalis.* [d] Al. m. mg. *a. e.* [e] Sequitur ras. [f] B[7] *ceteris.* [g] B[7] *omne.*

[1] Cfr. notas positas in quaestione XVI pp. 305, 307, 319 et in hac ipsa quaestione pp. 513, 514.

nere eius essentiam esse essentiam materiae aut compositam secundum se ex materia et forma aut quod materia non sit distinctum principium a forma et ita quod materia non sit in aliqua substantia. Hoc autem, quia sufficienter pro viribus prosecutus sum in quaestione an materia sit in omnibus substantiis creatis cum evasionibus quae contra praedicta dantur aut dari possunt, utpote quomodo non valeat illud per quod quidam nituntur evadere, scilicet quod huiusmodi conditiones praedictae non insunt primo et per se formae, sed potius per materiam: idcirco ad praesens omitto; quamvis, etsi secundum se valeret, ad propositum tamen valere non videtur, quia principalius dicitur ab eis fieri forma de essentia formali quam de essentia materiae et magis per se, immo de essentia materiae fieri non multum bene concedunt.

Secundum etiam impossibile videtur. Si enim illa essentia potentialis et tamen formalis movetur, tunc necessario subest actu ipsi motui et alicui termino motus; sed impossibile est ista stabiliri et existere actu in aliquo, quin illud in quo existunt et stabiliuntur et quod perficiunt sit actu: ergo illa essentia formalis esset vere actu et potius quam essentia materiae suae. — Praeterea, omne quod movetur ab alio recipit prius similitudinem eius, agentia enim non movent nisi per impressionem suarum similitudinum seu specierum; ergo huiusmodi essentia vere reciperet in se similitudinem formae agentis et vere per hoc assimilaretur ei, sicut aer per illuminationem solis assimilatur luci solari; sed forma agentis secundum quam agit est eiusdem speciei cum essentia formali in quam agit; ergo essentia recipit super se similitudinem suae speciei et per eam assimilatur formae suae speciei, sicut si dicerem quod albedo Petri assimilatur albedini Pauli per similitudinem suam ab ea genitam.

Tertium etiam impossibile videtur. Omnis enim virtus activa appropriat sibi determinatam rationem potentiae passivae, sicut lux perspicuum, agentia enim non agunt nisi in proprio patiente et disposito; cum enim potentia et actus sint correlativa seu potentia passiva et activa: secundum quod variabitur in genere vel specie ratio similitudinis et virtutis activae eam generantis, oportet quod varietur [e] in genere vel specie potentia ipsius receptiva. Sed illa essentia formalis et essentia materiae suae et potentiae earum differunt plus quam secundum genus, cum nullo modo possint

[a] Ex *varientur*.

in aliquo univocari. Ergo virtutes agentes in utramque et species eis impressae different plus quam secundum genus et sic per consequens motus in eis ab agente facti. — Praeterea, impossibile est duo mobilia simul eodem motu secundum numerum moveri. Sed si essentia illa est mobilis et movetur ab agente, tunc ipsa et eius materia erunt duo mobilia; quamvis enim ratio mobilitatis inesset ei a materia, nihilominus tamen [a] alia numero esset mobilitas huius et illius, et subiectum mobile aliud esset secundum essentiam ab altero, sicut quamvis instrumentali agenti insit virtus activa ab agente principali, diversae tamen virtutes activae sunt in eis et diversae actiones immediatae, sicut et ipsae causae sunt diversae. Igitur quandocunque illa essentia formalis movebitur, alio motu secundum numerum et secundum speciem et genus movebitur materia eius. Sed motus diversi [b] numero habent necessario terminos diversos secundum numerum, et diversi motus specie vel genere habent necessario diversos terminos secundum speciem vel genus. Et tunc haec omnia erit assignare, quandocunque essentia formae movebitur ad formam; quod tamen subtilius intuenti [c] videtur non solum absurdum sed etiam impossibile.

Tertius etiam articulus, hic scilicet, quod essentia formae excitata ab agente extrinseco moveat se et materiam suam, videtur impossibilis et non minus quam duo praedicti [d]. Omne enim movens est necessario per essentiam distinctum a suo mobili. Et hoc non solum vult Aristoteles, VII *Physicorum* [1], sed et multipliciter per rationem potest probari. Si ergo essentia illa formalis movet se, necessario erit distincta per essentiam a se ipsa, in essentiam scilicet motoris et essentiam mobilis; quod est impossibilissimum. — Item, omne movens assimilat sibi patiens imprimendo sibi suam similitudinem; ergo si movet se, imprimet in se ipso [e] suam similitudinem et assimilaret se ipsum [f] sibi et ita sequeretur quod esset in potentia ad receptionem suae speciei et esset in actu ad generationem eius, cum nihil possit agere nec movere nec speciem suam gignere, nisi in quantum est actu; sequeretur etiam quod prius quam reci-

---

[a] B⁷ om. [b] Al. m. corr. [c] B⁷ om. [d] Al. m. mg. [e] V B⁷ *ipsa*. [f] V B⁷ *ipsam*.

---

[1] Cap. 1, 242a 15 sqq.

peret suam speciem, non esset sibi perfecte simile [a]; quae omnia valde videntur absurda. — Item, nulla forma [b] corporalis et extensa et materiae suae totaliter impressa potest movere suam materiam et maxime si est unigenea in partibus suis, sicut est forma ignis vel aquae; et si potest hoc, dum est potentialis et imperfecta, multo magis hoc poterit, quando est actualis et perfecta; ergo essentiae talium formarum non poterunt movere suam materiam et, si hoc possunt, multo magis poterunt movere tam se quam suam materiam, quando erunt perfectae; et sic omnes formae naturales moverent semper et transmutarent se et suas materias [c]. Quod autem nulla forma extensa et maxime quae est in partibus suis unigenea possit materiam suam movere non solum vult et probat Aristoteles [d], VIII *Physicorum* [1], et Commentator eius ibidem [2], sed etiam faciliter ratione ostendi potest: quia movere eam non potest nisi ad formam similem sibi et tunc educeret de ea et in ea formam aliam numero, eiusdem tamen speciei. Non etiam posset eam movere nisi imprimendo sibi suam similitudinem quae esset intimior et immediatior potentiae in qua reciperetur, in quantum talis, quam forma ipsam [e] generans et sic plus quam ipsamet [f] forma substantialis. Non etiam posset eam movere nisi faciendo eam recedere a termino contrario qui secundum speciem oporteret quod esset contrarius formae moventi; et tunc oporteret quod ibi simul essent actu formae contrariae. Non etiam posset eam movere, nisi virtus formae moventis esset prius conversa et directa et inclinata ad eam sicut ad suum obiectum et sicut ad subiectum patiens. Cum etiam forma materialis non agat per se solam, sed compositum agat per eam, tunc non posset agere totum in se totum, nisi ipsa materia haberet in se duas habitudines et potentialitates diversas respectu suae formae seu ad suam formam, unam scilicet sicut ad formam ipsam informantem et alteram sicut ad motorem ipsam moventem; et si tunc etiam totum ratione unius partis ageret in se totum ratione alterius partis, oporteret quod reflecteretur super se, sicut reflectuntur intellectus et voluntas. Unde etiam totum animal non movet se totum directe per sensitivam suam, sed per unam poten-

---

[a] V B[7] *similis*. [b] Sequitur ras. [c] B[7] *suam materiam* pro *s. m.* [d] B[7] om. [e] B[7] *ipsum*. [f] Al. m. in ras.

---

[1] Cap. 10, 266a 10sqq. [2] Averroes, *Phys.*, lib. VIII, summa 4 (vol. IV, f. 423ra sqq.).

tiam cum suo organo movet alteram et eius organum. Qui modus movendi in homogeneis non habet locum; de hoc autem alibi amplius.

Praeterea, posito quod haec essentia formalis posset movere suam materiam, alio tamen motu numero et specie moveret eam et secundum alios terminos, causis praedictis in secundo articulo. — Item, excitatio qua ista essentia ponitur excitari ab agente non potest esse aliud quam impressio similitudinis agentis; sed per hanc impressionem ipsa non redditur actualior secundum suam essentiam, nisi prius per illam impressionem educeretur in ea aliquid quod esset de sua essentia; ergo per huiusmodi excitationem non erit potens movere se. — Item, ea quae assumunt virtutem movendi per excitationem aliorum agentium non assumunt eam nisi solum secundum hoc quod applicantur [a] ab eis ad agendum, sicut cultellus applicatur ad scindendum a manu mea; talis autem applicatio videtur implicare in se motum localem aut motum conversionis potentiae ad obiectum, sicut convertit voluntas mea intellectum vel visum; neutrum autem horum potest poni in proposito, quia nec essentia potest localiter moveri ab agente exteriori nec converti ad se ipsam et ad materiam suam. — Item, quicquid essentia ageret per similitudinem ab agente impressam [b] potius esset actio ipsius agentis et suae speciei quam ipsius essentiae formalis nec praeter actionem ipsius speciei posset essentia habere aliam actionem, quia tunc posset etiam habere illam in absentia huius speciei et agentis extrinseci. — Item, ab eodem agente secundum speciem est tota essentia unius speciei et pars essentiae, et similiter [c] ab eodem secundum speciem est totum esse unius speciei et pars eius; ergo si est ab agente extrinseco, est pars essentiae formalis et tota, et similiter erit de ipso esse; sed si agens extrinsecum non aggenerat prius ipsi essentiae aliquam partem essentialem aut aliquod esse seu partem essendi, non potest reddi ipsa essentia actualior ad agendum seu movendum [d] quam prius per aliquam excitationem agentis; ergo nullo modo.

Quartus etiam articulus, hic scilicet, quod essentia formae moveat se ad sui [e] existentiam actualem seu ad generationem sui ipsius in esse, videtur esse impossibilis et non minus

---

[a] Ex *appicantur*. [b] B[7] *impressa*. [c] B[7] *sic*. [d] In ras. [e] Corr. in ras.

quam tres articuli praedicti. Augustinus enim, I *De Trinitate*, in principio [1], dicit quod « impossibile est quod aliqua res se ipsam gignat ut sit »; et Anselmus dicit [2] quod « nec natura permittit nec intellectus capit quod aliqua res se ipsam gignat ut sit ». Hic autem nihil aliud ponitur nisi quod [a] aliqua essentia se ipsam gignat ut sit seu se ipsam gignat [b] in esse. — Item, causa non est minus actualis quam suus effectus et ad minus actualissimi effectus actualissima est causa; ergo essentia generans actualissimum esse formarum naturalium erit actualissima. — Item, omnis effectus assimilatur suae causae et, si est generatio univoca, assimilatur ei in specie; sed quando formae [c] generantur a seminario suae essentiae, respectu illius essentiae est generatio formae valde univoca; ergo ipsum esse quod est per se terminus generationis est simile in specie essentiae producenti vel saltem suo esse quod habebat, in quantum producens. — Item, omnis effectus necessario semper durat, quamdiu habet praesentiam suae causae sufficientis; et si causa huiusmodi est incorporalis, et effectus erit incorporalis. Si ergo esse formae est a sua essentia et ipsa est secundum naturam incorporalis et, quantum est de se, semper praesentissima suo esse et est sufficiens ad conservandum ipsum — non enim conservabitur ab alio, quando durat in absentia agentis extrinseci --: ergo esse omnis formae naturalis et omnis talis essentiae erit secundum naturam incorporale. — Item, de se ipsa non potest ipsa educere suum esse, nisi convertat se in suum esse, et sic non, nisi destruat se.

Quod etiam sententia Augustini de rationibus seminalibus non intendat dicere quod ipsae rationes seminales sint essentia formarum educendarum videtur [3].

Primo quidem, quia dicit [4] rationem seminalem totius formae et totius quantitatis unius arboris magnae, immo et innumerabilium arborum esse in uno solo grano, utpote in primo, ex quo omnes arbores sequentes et sequentia semina originaliter exierunt. Unde dicit, in libro *De vera religione* [5],

---

[a] Sequitur ras. [b] Al. m. mg. *ut... gignat.* [c] B^7 *causae.*

---

[1] Cap. 1 (PL 42, 820). [2] *De process. S. Spiritus*, cap. 3 (PL 158, 289); cfr. *Monol.*, cap. 43 (PL 158, 195). [3] Superfluum videtur annotare quantopere explicatio auctoris genuinam doctrinam Augustini de rationibus seminalibus detorqueat, ita ut verum sensum plane evacuet. [4] *De Gen. ad lit.*, V 23 (PL 34, 337sq.). [5] Cap. 42 (PL 34, 158).

quod tantillum [a] unum semen vim habet sui cuiusque generis innumerabilem [b]; de uno quippe possunt secundum suam naturam vel segetes segetum vel populi populorum per saecula propagari, ut nullum folium sit vel nullus pilus per totam numerosam successionem cuius non ratio in illo primo et uno semine fuerit. Et, V libro *Super Genesim*, capitulo ultimo [1], dicit fere idem. Sed certum est etiam secundum eos quod essentiae omnium formarum et partium formalium arborum et populorum quae ex uno semine per successionem oriri potuerunt non potuerunt [c] esse in illo uno semine, quia tunc multae essentiae formales essent extra suas proprias materias et aliquae earum essent aliquando totaliter in una sola parte suae materiae nec possent de illo grano pervenire ad alias partes materiales arborum et populorum nisi quasi per mutationem de loco in locum et de uno subiecto in aliud subiectum.

Secundo, quia vult quod formarum extensarum ratio seminalis sit in [d] semine incorporaliter sine extensione. Unde, V *Super Genesim*, capitulo ultimo, loquens de tota forma et pulchritudine arboris et de omnibus ramis et fructibus eius dicit [2]: « In semine ergo illa omnia primitus fuerunt, non mole corporeae magnitudinis, sed vi potentiaque causali ». Et, libro IV, capitulo ultimo [3], dicit eas incorporaliter corporeis rebus intextas. Et, libro *De vera religione* [4], dicit quod si numeri seminum sicut ipsa semina tumerent, de dimidio grano fici arbor dimidia nasceretur [e] neque de animalium seminibus, etiam non totis, animalia tota et integra gignerentur. Impossibile autem est quod essentiae formarum extensarum fuerint prius in materia corporali, extensa, divisibili et aliquando actu divisa incorporaliter et inextense.

Tertio, quia vult quod ratio eorum quae fiunt per solum influxum, sicut sunt dies et consimilia, sit in suis causis, sicut et de aliis. Unde, IV *Super Genesim*, capitulo ultimo [5], postquam dixerat quod « hoc quod nunc videmus temporalibus [f] intervallis res moveri ad peragenda quae suo cuique generi competunt ex illis insitis rationibus venit quas tan-

---

[a] B^7 add. *et*. [b] Al. m. corr. [c] Al. m. mg. *n. p.* [d] Add. interl. al. m. [e] Ex *nascerentur*. [f] B^7 *temporibus*.

---

[1] *De Gen. ad lit.*, V, 23 (PL 34, 337). [2] L. c. [3] Cap. 33 (PL 34, 318). [4] Cap. 42 (PL 34, 158). [5] *De Gen. ad lit.*, IV, 33 (PL 34, 318).

quam seminaliter sparsit Deus in ictu condendi », exemplificat de spatiis dierum et volatu avium et de transcursu saeculorum et motionum (a) naturalium.

Quarto, quia vult aliquas huiusmodi rationum esse alicubi ubi nullo modo potest esse id quod per hanc rationem dicitur fieri. Unde, libro *De vera religione* (1), postquam dixerat « quomodo segetes segetum sunt in illo uno primo semine et quomodo ratio omnium est ibi », immediate subiungit quod « aviculae anima non, cum liberet, fabricaret suaves et numerosas pulchritudines sonorum et cantuum, nisi in tali motu incorporaliter haberet impressas »; et idem dicit esse in ceteris animantibus. Libro etiam III *De Trinitate*, capitulo 7, loquens de istis rationibus seminalibus dicit quod (2) « ut ex semetipsis afficiantur anima ex corpore et corpus ex anima, congruae rationes id faciunt ». Et post dicit quod « ut de vario colore virgarum foetus ovium colorem traherent, fecit hoc anima matris per (b) oculos affecta forinsecus et interius pro suo modulo secum formandi regulam trahens quam de intima potentia creatoris accepit »; et propter hoc vult quod non possunt dici creatrices. Certum est autem quod in anima aviculae non potuit esse essentia corporalium cantuum nec in anima ovis essentia corporalium colorum suorum foetuum. Praeterea, eodem capitulo dicit quod « apes semina filiorum non coeundo concipiunt, sed tanquam sparsa per terras ore colligunt ». Et in eodem post dicit (3) quod « angeli, quando subito faciunt aliqua nobis mira, per congruas temperationes elementorum latenter semina spargunt atque ita et gignendarum (c) rerum et accelerandorum incrementorum praebent occasiones ». Sed impossibile est quod in seminibus sparsis et loco divisis possit esse una et eadem essentia animae apis vel consimilium.

Quinto, quia vult, VI *Super Genesim*, bene post medium (4), quod ratio primi hominis unde fieri posset erat in limo, etsi non unde fieri necesse esset, aliorum vero ratio super quae creatura est potens ibi erat non solum unde fieri possent, sed etiam unde fieri necesse esset. Et ante posuit (5) quod « in illa prima conditione mundi, cum Deus creavit omnia

---

(a) B7 *motuum*. (b) B7 *post*. (c) B7 *signatarum*.

---

(1) Cap. 42 (PL 34, 158). (2) Cap. 8 (PL 42, 877). (3) L. c. (PL 42, 876). (4) *De Gen. ad lit.*, VI, 15, 18 (PL 34, 349 sqq.). (5) Cap. 9 (PL 34, 346).

simul, homo factus est qui esset ratio creandi hominis, non actio creati »; vult enim ibi fuisse hominem in ratione quadam, priusquam esset actu. Et immediate post (1) quod « hoc aliter est in Verbo Dei, aliter in elementis mundi ubi omnia simul facta futura (a) sunt, aliter in rebus quae ex elementis postmodum prodeunt, aliter in seminibus in quibus rursus quasi primordiales causae repetuntur ». Sed certum est quod essentia formae corporalis et humanae non erat in limo nec essentia (b) corporis Evae in costa. Certum etiam est quod formae educendae ex essentia sua prius in materia existente non possent habere necessitatem prodeundi in actum essendi seu fiendi, sed potius ex sufficienti concursu causarum agentium et patientium; quas ipse videtur vocare nomine rationum seminalium, sicut infra (c) tangetur.

Sexto, quia vult quod huiusmodi ratio agat in alienam et extrinsecam materiam convertendo eam in suam formam. Unde ait, libro V *Super Genesim*, capitulo ultimo, postquam dixerat quod « omnia sunt in semine vi potentiaque causali », « illa », inquit (2), « in exiguo grano mirabilior praestantiorque vis est qua valuit adiacens humor commixtus terrae verti in ligni illius qualitatem, in ramorum diffusionem et viriditatem et figuram, in fructuum formas et in omnium ordinatissimam distinctionem ». Sed certum est quod virtus quae sic potest agere in extrinsecam materiam habet rationem agentis extrinseci et non solum intrinseci et existit vere actu et non solum in potentia.

Septimo hoc apparet ex causa propter quam de istis loquebatur; intentio enim dictorum secundum Hilarium (3) ex causis est assumenda dicendi. Tribus enim ex causis loquitur de eis in diversis locis. — Quarum una est quam tangit III *De Trinitate* (4), « ne agentes creati credantur esse creatores ». Ad quod sibi suffecit quod agens creatum non possit agere sine materia patiente et nisi secundum exigentiam et possibilitatem materiae patientis nec nisi secundum determinationem suae virtutis activae prafixam a creatore ipsi agenti; alias anima esset creatrix affectionis quam resultando generat in corpore suo, sicut vult ibi de anima pe-

(a) B7 *factura*. (b) B7 om. (c) Al. m. in ras.

(1) Cap. 10 (PL 34, 346). (2) *De Gen. ad lit.*, V, 23 (PL. 34, 337 sq.). (3) *De Trin.*, IV, 14 (PL 10, 107); II, 31 (PL 10, 71). (4) August., *De Trin.*, III, 8 (PL 42, 876).

cudis et sicut vult, libro *Contra Iulianum* [1], quod concupiscentia seu vitiositas carnis transeat a patre in prolem non migrando sed afficiendo. Et hoc idem vult ibidem de coloribus virgarum in foetum pecudis, non quod color foetus sit ipsa affectio, sed quia per illam est eductus, et etiam alias omne agens esset creator suae similitudinis seu suae primae actionis. — Libro autem *Super Genesim* [2] loquitur de eis, ut [a] ostendat quomodo possit esse verum quod omnia creata sint simul in primis diebus. Ad quod sibi sufficiebat quod pro tanto dicerentur simul creata omnia, quia materia omnium et causae activae, sive omnes sive aliquae, tunc creatae fuerunt; et quidem quod hoc intendat sufficienter patere potest intuenti diligenter dicta eius ibidem. Et certe, nullo modo aliter potuit salvare verbum praedictum, quia animae rationales nec corpus Adae vel Evae nec agentium primae influentiae nec ipsum esse rerum educendarum ibi aliter potuit esse. — Tertia causa propter quam de eis loquitur, libro *De vera religione* [3], est, ut ostendat quomodo omnium corporalium in se numerosorum et distinctorum et extensorum ratio simplex et incorporalis possit cogitari et cerni esse in Deo, cum videamus rationem omnium quae ex semine prodeunt esse aliquo modo in virtute activa seminis et rationem omnium cantuum et harmoniae eorum esse in memoria avis seu in [b] vi formativa cantuum. Ad quod [c] sibi sufficiebat quod essent ibi, sicut in causa sunt effectus, et non per identitatem essentialem; quia nec isto modo sunt aut esse possunt in rationibus divinis seu in exemplari aeterno.

Ut autem videatur plenius intentio Augustini, sciendum quod secundum eum triplex est modus accipiendi nomen rationum seminalium. — Quorum unus est primus et principalis, quando sumitur pro virtute formativa quae est in semine animalium ab eis deciso. Et haec secundum veritatem est simplex et incorporea [d] et educta in semine per potentiam generativam generantis [e]. Et idem est de ea quae est in semine arborum forte [f]. — Secundus est, quando sumitur pro virtute formativa quae non est procreata ab aliquo animali vel planta, sed

---

[a] Sequitur ras. [b] Corr. interl. [c] Al. m. mg. [d] Al. m. *e. i.* [e] Al. m.; al. m. mg. *Et.* [f] Al. m.

---

[1] Lib. V, 14 (PL 44, 812 sq.). [2] *De Gen. ad lit.* IV, 33 (PL 34, 318); V, 23 (PL 34, 337 sq.). [3] Cap. 42 (PL 34, 158).

a virtute caelesti, sicut sunt virtutes formativae mineralium et animalium quae nascuntur ex putrefactione; quamvis Augustinus velit quod aliqua virtus transcendens virtutes elementares data sit elementis in primis diebus per quam possint ista formari. Unde, III *De Trinitate*, capitulo 7, dicit [1] quod « nisi talis aliqua vis esset in istis occulta, non plerumque nascerentur ex terra quae ibi seminata non essent nec animalia tam multa, nulla marium feminarumque commixtione praecedente ». — Tertius est, quando sumitur pro tota multitudine causarum agentium et passivarum [a] ex quarum concursu possunt res naturales produci in esse. Et sic accipit, III *De Trinitate*, capitulo 8: « Ista », inquit [2], « originaliter et primordialiter in quadam textura elementorum cuncta iam creata sunt, sed acceptis opportunitatibus prodeunt; nam sicut matres gravidae sunt foetibus, sic mundus ille gravidus est causis nascentium ». Ecce quod non dixit quod sit gravidus essentiis nascentium, sed causis; et certe, nec una essentia formalis potest esse in textura elementorum. Propter quod nusquam invenies, quod sciam, eum dixisse quod illa ratio seminalis sit essentia formarum vel rerum educendarum, sed solum quod sit causa earum vel vis potentiaque causalis vel ratio causalis seu seminalis et consimilia. Et tamen ubicunque loquitur de productione rerum, sicut facit XII et XIII *Confessionum* [3], semper dicit simpliciter formas generari et nusquam, quod sciam, dicit ipsas generari solum secundum suum esse.

Quod etiam Aristoteles hoc non senserit videtur, licet eius auctoritas mihi valde displiceat. Vult enim, I *Physicorum* [4], quod privatio non differat a materia secundum rem, sed solum secundum rationem; et tamen, si privatio diceret essentiam formae educendae, magis deberet dicere quod non differat a forma nisi secundum rationem. Nec potest dici quod velit dicere hoc pro tanto, quia est idem cum materia numero et subiecto, quia eodem modo posset dicere quod forma et materia non sint duo principia secundum rem. Praeterea, ibidem vult [5] quod privatio non sit principium fiendorum nisi per accidens; si autem diceret aliquam

---

[a] Al. m. corr., ras.

---

[1] Cap. 8 (PL 42, 876). [2] Cap. 9 (PL 42, 877). [3] Lib. XII, 6, 11 (PL 32, 828 sqq.); XIII, 21, 33 (PL 32, 857 sqq.). [4] Cap. 7, 190 b 23 sqq. [5] L. c., 190 b 27.

essentiam formalem, potius esset principium per se fiendorum quam materia. Nec unquam dicit quod privatio huiusmodi dicat aliquid nisi [a] non ens aut quod aliquo modo sit principium fiendorum nisi sicut terminus a quo et hoc per accidens, immo dicit [1] quod semper machinatur ad maleficium. Praeterea, in fine eiusdem primi dicit [2] quod forma sui praesentia et absentia facit generationem et corruptionem; si autem intenderet ipsam secundum suam essentiam semper praesentem esse in materia, non esset hoc verum nec deberet hoc dicere de ea, sed potius de suo esse. Praeterea, ubique vult quod motus, maxime generationis et alterationis, terminentur ad formas, et de motu generationis vult quod vere terminetur ad substantiam seu ad ens simpliciter et non ad aliquod esse accidentale et de motu augmenti quod terminetur ad quantitatem et non ad esse aliud. Vult etiam quod qualitates secundum motum intensionis et remissionis recipiant secundum suam essentiam magis et minus; secundum autem hanc positionem ipsae non reciperent magis et minus, sed solum eorum esse. Praeterea, II *Physicorum* [3], vult quod forma et [b] finis coincidunt in idem numero, forma autem et eius efficiens in idem specie solum; secundum hoc autem coinciderent in idem numero. Praeterea, libro *De generatione*, videtur velle [4] quod forma corrupta non possit per naturam eadem numero reparari; et hoc idem videtur posse trahi ex V *Physicorum* [5], ubi vult quod diversi motus numero habeant terminos intrinsecos diversos numero. Motus autem quo forma corrupta fuit genita et quo postmodum fuit secundum speciem reparata sunt necessario diversi numero. Sed secundum hanc positionem forma corrupta et reparata necessario esset eadem numero. Si enim secundum eum eadem materia numero est contrariorum et eadem numero est sub diversis formis, quamvis aliud et aliud esse habeat sub diversis: ergo multo magis eadem essentia formae semper erit eadem forma numero, quamvis habeat esse diversa; alias corpus Christi non esset plene idem numero manens sub esse passibili et glorioso et sub

---

[a] B^7 om. [b] Al. m. ex *in*.

---

[1] *Metaph.*, VIII, 5, 1044 b 33 sq. [2] *Phys.*, I, 7, 191 a 6 sqq. [3] Cap. 7, 198 a 25 sq. [4] Verbo tenus non inveni, erui potest ex iis quae dicit *De gener. et corrupt.*, I, 3, 317 b 11 sqq., 318 a 13 sqq., 319 a 20 sqq. [5] Cap. 4, 228 a 3 sqq.; cfr. *Phys.*, VI, 7, 238 a 19.

esse vitae et mortis. Praeterea, libro *De animalibus* [1], vult quod virtus formativa quae est in semine non est anima educenda, sed solum causa eius. Unde, II *De anima*, in principio, dicit [2] quod in semine non est anima nisi in potentia quae non est coniuncta actui, sicut est potentia corporis organici, potentia vitam habentis. Et ibidem [3] expresse vult quod anima non est actus nisi talis corporis. Et VII *Metaphysicae* [4] et etiam ubique vult quod forma non potest esse nisi in propria materia. Secundum autem hanc positionem haec omnia essent falsa.

Praeterea, Commentator eius dicit, super XI *Metaphysicae* [5], quod virtus quae est in semine animalium se habet ad animam educendam, sicut forma domus quae est in mente [a] artificis se habet ad domum in exteriori materia educendam [b]; unde dicit quod sicut illa dicitur domus in potentia, sic et ista est anima potentia. Certum est autem quod domus quae est in mente artificis non est essentia domus exterioris nec est in potentia passiva ad ipsam, sed solum in potentia activa. Unde quando Commentator ibidem frequenter dicit quod illa virtus est potentia anima, sicut diligenter intuenti evidenter patere potest: non hoc intendit de potentia passiva, quasi ipsa possit esse postea anima in actu, sed solum de activa, eo modo quo iuxta eius exemplum forma artificis est potentia domus; vult enim tam ipse quam Aristoteles quod virtus seminalis operetur quasi per modum intellectus artificis. Praeterea, idem Commentator vult, super II *Physicorum* [6], exponens definitionem Aristotelis [7] de natura, quod in transmutatione [c] elementorum simplicium non sit principium intrinsecum nisi solum passivum, scilicet sola materia eorum. Unde ait: « Illud principium quod est in alterato simplici et transmutabili simplici est aliud a principio quod est in mobili localiter et in augmento et in generabilibus et alterabilibus [d] compo-

---

[a] Ita B[7], V om. [b] B[7] *educenda*. [c] Sequitur ras. [d] Al. m. mg. *e. a.*

---

[1] *De gener. an.*, I, 21, 729 b 1 sqq.; II, 5, 741 a 13 sqq.; II, 1, 732 a 3 sqq. [2] Cap. 1, 412 b 27 sqq. [3] L. c., 412 a 19 sqq. [4] Cap. 7, 1032 a 20 sqq.; VII, 8, 1033 b 2 sqq.; VII, 9. 1034 a 9 sqq.; VIII. 4, 1044 b 15 sqq.; *Phys.*, III, 1, 201 a 35 sq.; III, 5, 229 a 11 sqq.; *De gener. et corrupt.*, I, 7, 324 b sqq.; II, 4, 331 a 2 sqq. [5] Averroes, *Metaph.*, lib. XII, summa 1, cap. 3 (vol. VIII, f. 301 va sqq.). [6] *Summa* 1, cap. 1, (vol. IV, f. 48 rb). [7] *Phys.* II, 1, 192 b 20 sq.

sitis; quoniam illud principium quod est in compositis est secundum formam et in simplicibus est secundum materiam. Sed hoc nomen « principium » usitatur etiam hic aequivoce pro materia et forma; et hoc est ita, quoniam non invenitur corpus simplex quod alteretur ex se aut quod generatur ex se, sicut invenitur animal quod transfertur in loco ex se ». — Multae etiam aliae viae sunt quibus ex Aristotele et eius Commentatore posset trahi propositum; sed omitto tam ratione brevitatis quam horrore suae auctoritatis.

Positionem igitur aliam tenendam ad praesens censeo; tum quia praedicta inconvenientia eam in nullo tangunt, quin potius sunt ad confirmationem ipsius; tum etiam quia omnes notabiles difficultates quae contra istam adduci possunt ita perfecte sunt contra aliam sicut contra ipsam, sicut in responsione argumentorum patebit. Difficultates autem huiusmodi et modum eius causa brevitatis, prout in articulis se offerent, solum tangam.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum igitur dicendum quod aliquid educi de nihilo potest ad praesens tripliciter accipi: uno modo, quando praeter virtutem agentis nihil aliud ad eius productionem praeexigitur. Et hoc modo accipitur simpliciter et proprie et sic est idem quod creare et sic etiam non potest esse nisi potentiae infinitae et divinae, sicut in quaestione an angeli possint creare et [a] in quaestione an Deum esse sit demonstrabile pro viribus est ostensum. Sicut enim in eis monstratum est, posse operari sine praeexistentia patientis vel obiecti est potentiae omnia operantis absque aliqua determinatione seu applicatione et conversione et inclinatione sui ad aliquod patiens vel obiectum. Hoc [b] autem non potest esse nisi virtutis absolutissimae et simplicissimae et independentissimae et illimitatissimae et intellectualissimae et liberrimae et attingentis totum ambitum entis non solum actualis sed etiam possibilis. — Secundo modo accipitur, quando, licet praeexigatur patiens vel obiectum, tamen non est dare aliquid de quo fiat, sed solum in quo; sicut communiter conceditur [c] de primis influentiis agentium et sicut de eis in

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Al. m. mg. [c] Al. m. ex *coneedetur*.

suis materiis est probatum et sicut etiam secundum fidem concedi oportet de actibus voluntatis nostrae exeuntibus ab ea libere, saltem de actibus culpabilibus, sicut suo loco pro viribus est ostensum. — Tertio modo accipitur, quando praeter patiens et obiectum praeexigitur mobilitas et motio patientis; si enim materia naturalis non haberet mobilitatem ad formas varias a Deo sibi datam, sive sit eadem in essentia cum ea sive non, a nullo agente creato posset moveri ad formas naturales vel etiam artificiales, quae etiam a nullo agente creato sine motu educi possunt. Isto autem modo omnino improprie et valde secundum quid dicuntur huiusmodi fieri de nihilo, quia non solum praeexigitur patiens, sed etiam vere dicitur et dici potest quod res genitae de sua materia fiunt; tum quia ipsa materia est aliquo modo pars eius quod fit, ad minus in substantiis, et etiam pro tanto in accidentibus, quia ipsae formae non fiunt in materia quasi per simplicem influxum, sed potius ipsum compositum seu congregatum dicitur fieri per motum, hoc est dictu [a], non forma influitur seu imprimitur materiae, sed potius materia per motum fit formata seu habens formam. Dicuntur etiam de materia fieri, quia materia in factione eorum non solum se habet ad agentem ut recipiens, sed etiam substernitur agenti ut transmutabilis et transmutationi eius. Pro tanto tamen omnes formae dicuntur fieri de nihilo, quia essentia earum [b] secundum se prius non erat. Et hoc quidem oportet ponere in omni factione secundum omnem positionem, quia terminus factionis qui per se fieri dicitur, in quantum talis, aliquam quidditatem et essentiam dicit et aliquid non solum relatum sed etiam absolutum, cum nulla factio vel motus possit terminari primo et per se ad meram relationem; terminus autem factionis vel motus, in quantum talis, non erat prius, alias nihil de novo per ea fieret. — Istis autem duobus modis ultimis aliquid facere de nihilo non est potentiae infinitae, immo potius finitae, cum talis potentia sit determinata et limitata ad certum patiens et obiectum nec possit operari sine determinata conversione et applicatione et inclinatione sui ad patiens. Et multo minus iste tertius modus est potentiae infinitae, cum hic non solum exigatur patiens et determinata conversio potentiae agentis, sed etiam determinata mobilitas et motio materiae. — Quod autem additur quod inter non ens et ens est infinita distantia, etsi hoc verum esset de non ente quod negat omne

---

[a] Sequitur ras. [b] Ita B^7, V *eorum*.

ens, non tamen in proposito ubi non ponitur totalis negatio entis, quamvis nec illud omnino secundum rem sit verum, sicut alibi est ostensum.

Ad secundum dicendum quod haec ratio non plus est contra eos qui ponunt essentiam et esse produci quam contra eos qui ponunt solum esse produci, quia idem omnino potest argui de ipso esse. Dicendum igitur quod quando dicitur quod causae agentes per motum non sunt causae nisi secundum fieri, non sic est intelligendum quod ipsum fieri solum sit a talibus agentibus et non ipsum esse et essentia eius quod fit; sed hoc pro tanto dicitur, quia nec esse nec essentia eius quod fit est immediate et per simplicem influxum ab ipso agente, sed solum per motum, moveri enim materiam ad talem formam est continuum fieri ipsius formae. Causa autem quare formae sic eductae et earum esse possunt conservari sine praesentia agentis est, prout credo, quia haec est conditio materiae sibi a creatore data quod ad solam impressionem agentis moveatur ad terminum stabilem et eius stabilitivum, et hoc est quod dicimus mobilitatem sibi a creatione datam; non enim est aliud esse mobile ab aliquo quam quod ad illius impressionem moveatur seu possit moveri. Stabilitas igitur formae non est ab agente nisi sicut a motore, a creatore [a] autem praeter hoc est propter talem naturam mobilitatis ad talem terminum datam materiae; unde termini formales quodam modo creati sunt in materia, pro quanto ipsa est mobilis. Cum enim mobilitas habeat relationem ad terminum et sic sit [b] accessibilis ad ipsum: aliqualiter terminus factus est, quando mobile factum est. Et hoc modo sunt omnes formae et earum esse creatae in materia; unde sunt ibi non per aliam essentiam ab essentia materiae, sed quia hoc est de essentia omnis informis et mobilis et terminabilis, in quantum talis, quod intra suam essentiam et rationem secundum quid et indistincte includatur ratio suae formationis et terminationis. Et ideo bene Augustinus vocat ipsam materiam quae subiacet omnibus formis inchoationem formae, in fine II *De libero arbitrio* [1]; et, sicut ibidem patet, loquitur de materia quae intelligitur ut denudata penitus omni forma [c]. Dicuntur igitur [d] esse

---

[a] Al. m. corr. [b] Ita B[7], V om. [c] B[7] om. *Et ideo... forma.* [d] B[7] *unde.*

---

[1] Cap. 20 (PL 32, 1270).

ibi in potentia, non quia ibi sunt secundum suam propriam essentiam, sed quia, ut ita dicam, multum de ipsis formis factum est, quando posse moveri ad eas factum est. Hoc autem non est dare in simplicibus influentiis agentium, ita plane, immo absolute et immediate trahunt essentiam suam ab eis; quamvis etiam, quando factum fuit quod possent [a] recipere tales influentias, aliquid fuit factum de eo quod spectabat ad existentiam earum. Si cui autem hoc non placet, excogitet melius, quia hoc ita bene tangit esse formarum sicut et essentiam. Posset etiam dici probabiliter, licet forte [b] non ita vere, quod sicut per motum agentium sunt eductae, ita per motum aequivalentem agentium, etsi non eorundem, conservantur in esse, utpote per motus et influentias corporum caelestium et corporum locantium.

Quod autem additur quod in terminis motuum idem est fieri et factum esse: sciendum est quod terminus intrinsecus non est aliud quam terminus ipsius fieri; motus enim huiusmodi non sunt aliud quam quoddam fieri continuum, cuius fieri terminus non est [c] quiddam quod sit aliquid extra lineam quasi situaliter a partibus lineae distinctum, sicut probat Avicenna, in libro suo *Physicorum* [1], sed solum est ultimum ipsius fieri seu finitio eius. Forma autem et suum fieri non sunt omnino idem, cum forma remaneat post suum fieri, fieri autem ipsius formae est tam ipse motus quam terminale fieri ipsius motus; quamdiu enim motus [d] est, continue fit forma et non solum in ultimo termino ipsius motus. Quomodo autem motus cum suis terminis intrinsecis differat a forma per ipsum educta seu quomodo continuum fieri ipsius formae [e] cum suis terminis intrinsecis differat ab ipsa forma alibi habet tradi, quia propter sui difficultatem exigit sermonem prolixum. Negatur igitur illa ab aliquibus quae dicit quod formae sunt termini motuum, sumendo terminum motus intrinsecum; quin potius secundum quosdam forma secundum suum fieri non est aliud quam ipse motus, ita quod motus super essentiam formae non addit secundum eos nisi solam successionem partium simpliciter, ita quod una deficiat et altera succedat, sed solum est ibi successio respectu prioritatis existendi. Et sic etiam dicunt

---

[a] V B^{7} *posset.* [b] Al. m. corr. [c] Al. m. mg. [d] Al. m. mg. [e] Sequitur ras.

---

[1] *Sufficientia,* II, 5 (f. 27^{7}v); II, 9 (f. 31r sqq.).

quod fieri ipsius formae non differt ab ipso esse et a tota sequenti continuatione essendi, ita tamen quod ultra hoc superaddit actualem relationem ad exterius agens tanquam ad actu agens. Nec est contra hoc quod supra in arguendo contra positionem aliam dictum est quod omnis motus terminatur ad formam, quia hic accipitur forma non qualitercunque, sed pro forma in aliquo termino seu terminali completo (a) suae essentiae existens. Huius autem et praedictorum exemplum nituntur dare in motu locali qui super omnes est nostro sensui manifestus; non enim motus localis videtur esse aliud quam successivum ubi ipsius mobilis. Ponatur autem quod una pars totius illius (b) ubi non tolleretur per acquisitionem sequentis, sicut in acquisitione continua formae accidentalis in motu alterationis ponimus: tunc totus motus non differret a toto ubi remanente post ipsum nisi solum secundum modum dictum de forma et motu et de forma et suo fieri. Et tamen tunc motus diceretur terminari ad ubi, non tamen ad qualitercunque acceptum, sed ad ubi in certo puncto terminatum seu in certo mutato esse. Et etiam propter hoc diceretur terminari ad ubi, quia ipsa successione illorum partialium ubi finita, quae est in recto magis conveniens motui quam ipsa ubi, remaneret quietissimum et perfectissimum ubi et totum simul existens. Et isti etiam dicunt quod pro tanto forma dicitur fieri per motum, non quia motus se habeat ad ipsam sicut instrumentale efficiens ad effectum, sed quia forma non habet relationem ad agens in ratione effectus, nisi prout habet in se rationem successionis ipsius motus, et etiam quia ipsa successio ad formam ut post successionem remanentem se habet secundum aliquem ordinem causalem aut quasi causalem. Quid tamen de hoc sit verum alibi habet locum.

Ad tertium dicendum quod qualitates elementares, cum sint quaedam emanationes et quasi similitudines seu resultationes formarum substantialium, sunt secundum suam essentiam instrumenta earum, sicut species virtutis activae impressa in patiens est instrumentum virtutis ipsius agentis. Videmus autem quod species impressa non educit de materia speciem sibi univocam (c), sed potius formam similem qualitati seu virtuti agentis; unde nec proprie dicimus quod species impressa moveat materiam, sed potius quod agens movet eam per speciem suam. Et sic est in proposito. Et

(a) B^7 *complemento.* (b) Al. m. corr. (c) Al. m. ex *unicam.*

ideo non sequitur hic quod effectus sit nobilior agente principali ([a]), sed solum instrumentali; et de isto non est inconveniens quod effectus sit eo nobilior in iis quae fiunt per motum, quamvis hoc esset inconveniens in iis quae fiunt per modum simplicium emanationum. — Si autem dicatur quod actio agentis instrumentalis est alia ab actione immediata principalis agentis: dicendum quod hoc non est verum in iis quae per essentiam suam sunt instrumentalia, sed solum in iis quae sumunt rationem agendi per applicationem et motionem in eis factam ab agente principali. Tunc enim ipsa applicatio est quaedam agentis actio, praeter quam ipsum instrumentum habet postea aliam actionem; quamvis, in quantum ipsae qualitates elementares vel species agentium sunt quaedam immediatae emanationes principalium agentium, ipse exitus earum a principalibus agentibus est immediata actio ipsorum principalium, praeter quam consequitur ad eas alia actio, scilicet motio patientis. Secundum hoc autem non oportet quod ([b]) huiusmodi qualitates prius educant de materia qualitates sibi similes quam formas substantiales principali agenti similes. Sciendum etiam quod si solum esse educitur, ita parum educetur esse substantiale per formam accidentalem, sed solum esse accidentale; quia secundum illam positionem formae ([c]) agentium non poterunt producere nec producent esse formarum educendarum nisi per ([d]) sua esse, cum termini eductionum sint per se similes causis per se activis aut quia saltem non competet eis ipsum esse educere, nisi prout sunt in suo proprio esse ([e]).

Ad quartum dicendum quod in formis quae fiunt per alterationem nullus negat communiter hanc multitudinem partium, cum omnes concedant ([f]) ipsas successive generari, etiam super ([g]) eandem partem mobilis. Propter quod in eis ponitur duplex quantitas: quantitas scilicet extensionis secundum quam dicuntur maiores ([h]) vel minores et quantitas intensionis secundum quam dicuntur magis vel minus, quamvis hic motus quantitatis non ponatur ab Aristotele ([1]) in praedicamento quantitatis, sed in eodem in quo et ipsa forma. — Quod autem dicitur quod tunc secundum hunc modum quantitatis oportebit in ea dare aliquid formale quod per

([a]) Ita B^7, V *principalii.* ([b]) Al. m. mg. ([c]) In ras. ([d]) B^7 om. ([e]) B^7 om. ([f]) Ex *concediant.* ([g]) In ras. ([h]) Al. m. corr.

([1]) *Cat.*, cap. 6, 4 b 20 sqq.; cap. 8, 10 b 26 sqq.

modum puncti sit simplex et aliquid quod sit divisibile per modum partium lineae: dicendum quod sicut punctus et huiusmodi termini quantitatum non dicunt aliquid extra partes divisibiles quarum sunt termini quas terminant, prout Avicenna(1) dicit et prout alibi est probatum nec huiusmodi termini dicuntur proprie partes quantitatum quarum sunt termini nec recipiunt univoce nomen speciei earum — non enim punctus est (a) linea, sicut pars lineae est linea —: sic in proposito est fortassis quod terminatio partium divisibilium ipsarum formarum non est proprie pars formae nec aliquid extra partes formae; nec ipsum secundum se, prout dicit rationem quandam distinctam a ratione partium, debet proprie dici forma, sed solum terminatio formae; et si dicatur forma, non erit tamen univoce forma cum ipsis partibus formae illius cuius est terminus nec cum formato tali. Et tunc secundum illos qui volunt quod formae substantiales successive generentur idem erit de eis; secundum illos autem qui ponunt eas in instanti educi non oportebit hoc, saltem ex vi praedicti argumenti. Sciendum etiam quod secundum aliam (b) positionem idem oportebit dicere de esse quod per motum successive generatur; oportebit enim quod aut habeat partes infinitas in actu et inter se quasi non unitas aut quod habeat in se et suis partibus unitatem quasi consimilem unitati continuationis.

Ad quintum dicendum quod quidam, etiam magni, concedunt simpliciter aliquas formas substantiales esse sibi contrarias, licet non ipsas substantias compositas nisi forte solum ratione suarum formarum. Et isti concedunt rationem praedictam quam et ego (c) ad praesens concedo causa brevitatis et quia omnibus pensatis, ut credo, est verior; loquor tamen de formis quae sunt termini motuum contrariorum simpliciter, quia nec de aliis concluditur. Sunt enim quidam motus contrarii secundum quid, utpote motus intensionis et remissionis eiusdem formae; quos (d) pro tanto dico secundum quid contrarios, quia non habent contrarios terminos nisi secundum quid; et idem est de motu (e) qui est a forma substantiali imperfecta ad perfectiorem et e contrario. Et in talibus

---

(a) Al. m. (b) In ras. (c) In ras. (d) Ita B^7, V *quod*. (e) Al. m. corr.

---

(1) *Sufficientia*, II, 5 (f. 27v); II, 9 (f. 31rsqq.).

non oportet quod sit contrarietas [a] nisi incontingentiae et secundum solas rationes perfecti et imperfecti. Sciendum autem quod per hanc rationem et consimiles nulla contrarietas concludi potest de essentiis formarum substantialium, quin secundum aliam positionem concludatur de esse earum.

Ad sextum dicendum quod secundum quod supra ex verbis Commentatoris [b 1] hanc definitionem exponentis est [c] ostensum, principium non sumitur ibi tantum pro principio activo et formali, sed etiam pro principio passivo et materiali. Et quod etiam ita exponi oporteat ex ipso textu Aristotelis [2] probo: quia cum prius definiat naturam quam eam dividat in materiam et formam, oportet quod definitio data sit utrique communis, alias data esset in aequivoco nec secundum artem deberet dari nisi post divisionem praeassignatam.

Ad septimum dicendum quod generatio formarum naturalium dicitur naturalis et non violenta nec artificialis tam ratione efficientis qui est agens per naturam propriam et modo naturali quam ratione termini qui [d] est forma naturalis quam ratione materiae patientis quae est naturaliter mobilis ad talem formam tanquam ad naturalem perfectionem suam et naturaliter mobilis a tali agente magis quam sit ab agente artificiali. Alia etiam causa est, quia agens movendo [e] eam dat sibi continue naturalem inclinationem et corrumpit simul tantum de contraria inclinatione et de forma contraria; agens autem violentum vel artificiale nullum habet horum, nisi forte pro quanto naturale est materiae esse mobilem ab eo, immo semper [f] remanet, dum agit in eam, plena inclinatio ad contrarium, pro eo quod forma inclinans ad contrarium per eius actionem in nullo [g] minuitur, et pro tanto in actione violenta patiens non dicitur cooperari agenti, quin potius per formam contrariam totis viribus contra operatur; quamvis generatio naturalis respectu formae contrariae posset dici secundum [h] quid violenta, sicut et actio violenta respectu mobilitatis materiae potest dici secundum quid naturalis.

---

[a] B^7 om. [b] Al. m. mg., del. *comment.* [c] Al. m. mg. [d] Ita B^7, V *quae.* [e] Al. m. corr. in ras. [f] Al. m. mg. [g] Ita B^7, V *illo.* [h] Al. m. mg.

---

[1] Averroes, *Phys.*, lib. II, summa 1, cap. 1 (vol. IV, f. 48rb).
[2] *Phys.*, II, 1, 193b 19sqq., 34sqq.

Ad octavum dicendum quod Aristoteles, quandocunque dicit aliquid esse in potentia materiae, semper sumit potentiam, sicut ratio materiae innuit et exigit; quod, sicut dixi superius, non potest esse nisi duobus modis, scilicet sicut in potentia receptiva et sicut in potentia mobili. — Quod autem dicit ea extrahi vel educi de potentia materiae, non intendit accipere verbum proprie, sed similitudinarie; derisibile enim esset accipere ea proprie, sicut supra ostensum fuit. Dicuntur autem [a] extrahi, quia per motum ad eas pervenitur et quia erant in potentia mobilitatis modo supradicto. — Quando autem dicit quod idem quod prius erat in potentia est postmodum in actu: potest sane intelligi tam a parte materiae quam a parte formae; eadem enim materia quae prius erat in potentia ad talem formam est postmodum in actu per eam, et eadem forma quae prius erat in potentia materiae absque hoc quod ibi esset aliquid suae essentiae secundum se est postmodum in actu eam perficiens.

Ad nonum dicendum quod non ens bene potest esse principium aliorum [b] per accidens, quamvis non per se; privatio [c] autem non ponitur ab Aristotele esse principium per se, sed solum per accidens; et hoc magis facit ad propositum nostrum quam ad oppositum.

Ad decimum dicendum quod sicut Commentator dicit, II *Physicorum* [1], exponens nomen principii positi in definitione naturae, quaedam sunt mobilia secundum locum et secundum augmentum et secundum alterationem quae habent [d] aliquod principium activum quo [e] moveri possunt; illud autem principium [f] nunquam est illud quod per ipsum educitur, virtus enim motiva animalis secundum locum aut secundum augmentum non est ipse motus localis, nec ipsa quantitas additur per augmentum, et sic nec virtus cordis [g] seu cuiuscunque membri sani alterans et movens alias partes ad sanitatem non est illa pars sanitatis quae per eam in illis partibus educitur. Aristoteles autem non vult aliud ibi dicere nisi quod calefactio cordis introducta per motum casualem aut medicinalem est pars quaedam sanitatis aut causa alicuius alterius partis, nunquam tamen sui; potest

---

[a] Al. m. in ras. [b] B^{7} *alicuius*. [c] Al. m. in ras. [d] B^{7} *dicunt*. [e] V B^{7}, B^{6} *quibus*. [f] B^{7} om. *activum... principium*. [g] B^{7} *corporis*.

---

[1] Averroes, *Phys.*, lib. II, *Summa* 1, cap. 1 (vol. IV, f. 48ra sqq.).

etiam contingere secundum eum ibidem quod sic sit causa sanitatis quod tamen nulla pars eius. Et ideo istud nihil facit ad propositum.

Ad undecimum dicendum quod Aristoteles loquitur ibi de artificialibus et de illis dicit quod aliqua possunt introduci per artem, utpote per artem [a] medicinae quae habent principium activum intra, sicut est virtus cordis in animali, et de talibus vult quod possint aliquando educi praeter operationem [b] artis; alia vero sunt quae non habent huiusmodi principium activum intra se, et de istis dicit quod non possunt fieri nisi per artem, et sic se habent lapides ad formam domus. Quod autem sic intendat loqui apparet per hoc quod ipse ibidem dat simile in naturalibus; unde materiam ignis comparat materiei domus in hoc quod utraque movetur ad formam a principio extrinseco. Et sic exponunt ipsum ibi qui bene noverunt mentem eius et bene noverunt translationem ipsius [c].

Ad duodecimum dicendum quod Aristoteles sumit ibi nomine privationis formam contrariam quae magis degenerat in imperfectionem, sicut et accipit, X *Metaphysicae* [1]. Et ita eum exponit Commentator ibidem [2]. Verba enim Commentatoris in articulo posita sunt truncate; postquam enim dixit quod « forma dicitur de formis perfectis cum quibus non coniungitur privatio et [d] de diminutis cum quibus coniungitur », statim subiungit exemplum: « ut », inquit, « de nigredine et albedine; albedo enim est forma cum qua non coniungitur privatio omnino, nigredo vero est forma cum qua coniungitur privatio albedinis. Et similiter [e] videtur in omnibus contrariis. Contrarium igitur cum quo coniungitur privatio est unum eorum de quibus dicitur forma ». Et idem [f] dicit infra post illa verba praedicta, ubi dicit quod « privatio non est privatio simplex, immo est sicut forma materiae »; immediate enim dicit « hoc esse manifestum in contrariis quae sunt in qualitate ».

Ad decimum tertium patet per [g] supradicta; non enim vult esse animam in semine nisi in potentia activa,

---

[a] Al. m. mg. *u. p. a.* [b] B[7] *appositionem.* [c] B[7] *ipsam.* [d] B[7] *ut.* [e] Al. m. in ras. [f] B[7] *ibidem.* [g] Ita B[7], V *quod.*

---

[1] Cap. 10, 1058 b 26 sqq.; IX, 1, 1046 a 29 sq. [2] Averroes, *Phys.*, lib. II, summa 1, cap. 7 (vol. IV, f. 53 va).

quia nec aliter est forma domus in [a] artifice, abstractionem enim accipit modo superius dicto.

Ad decimum quartum dicendum quod sicut ex II *Physicorum* [1] patet, non intendit quod efficiens sit idem numero cum forma facta, sed solum idem specie, nec de anima ipse vult hoc aliter, sicut ex praedictis apparet.

Ad decimum quintum dicendum quod verba illa *secundum faciem terrae* [b] non videntur [c] aliud sonare quam quod Deus suo imperio plantas de terra producendo in earum productione dedit eis virtutem producendi semina ex quibus sicut ex causis sufficientibus possent surgere aliae plantae. Haec autem positio concedit cum Augustino et Scriptura Sacra rationes seminales, et maxime respectu plantarum et animalium, sed non hoc modo quo [d] sint essentiae formarum educendarum. Potest etiam ultra hoc convenienter [e] ibi intelligi quod tunc Deus indiderit terrae aliquas virtutes transcendentes qualitates elementares sine quibus non possent virtutes caelestes absque seminibus decisis ab animalibus vel plantis plantas vel animalia procreare et sine quibus non possent forte in productione mineralium. Qualitates enim elementares secundum nudas proprietates elementorum acceptae non sunt sufficientia instrumenta virtutis caelestis ad praedictorum productionem. Si autem tunc non sunt inditae, saltem per virtutes caelestes, virtutes huiusmodi inferius producuntur ante praedictorum productionem, virtutes tamen huiusmodi formativae mineralium et animalium [f] et plantarum quae non sunt ex semine non sunt essentiae formales mineralium nec animalium nec plantarum.

Ad sequentia quatuor patet per ea quae supra ostensa sunt de intentione [g] Augustini super positione rationum seminalium; ibi enim dictum est pro quanto omnia simul sunt creata et etiam qualiter omnia dicantur esse ab Augustino in rationibus seminalibus. — Quod autem in duodevicesimo argumento ponitur quod rationes seminales sunt incorporaliter corporeis rebus intextae: quantum ad rationes seminales quae sunt in seminibus animalium et forte

---

[a] Ita B^6, V add. *in*, B^7 *sine*. [b] B^7 *litterae*. [c] Al. m. mg., del. *videtur*. [d] B^7 *quod*. [e] Al. m. mg., del. *communiter*. [f] Al. m. mg. *m. e. a.*, del. *numeralium*. [g] Ita B^7, V *insentione*.

---

[1] Aristoteles, *Phys.* II, 7, 198a 25 sq.

plantarum simpliciter verum est. De aliis vero sic intelligendum est quod sint in rebus corporeis incorporaliter, quia ipsae res quarum sunt rationes non sunt in eis distincte nec extense, sed potius intelligibiliter, sicut scilicet effectus in causis. Non enim ignis producendus [a] vel consimilia erat in suis causis activis et passivis secundum eam distensionem et extensionem corporalem quam habet, quando est eductus. Et ille est sensus eius in illis verbis, prout credo.

Ad vicesimum dicendum quod posito quod terminare et unire et perficere sint actus orientes a formis et ita quod sint realiter distincti ab eis, sic verum erit quod forma prius erit naturaliter non solum secundum essentiam, sed etiam secundum esse actuale quam praedicti actus; si autem non dicunt quid distinctum ab essentia eius, tunc prima propositio non est vera nisi secundum modum intelligendi. Secundum illos etiam qui ponunt quod esse differat ab essentia non erit verum quod quicquid est prius natura aliquo sit prius eo secundum esse; nec tamen secundum istos ipsa essentia quae ponitur prior [b] natura quam suum esse erit prius essentia quam habeat esse. De hoc tamen alibi plus quam hic, quia hoc argumentum non plus tangit istam positionem quam aliam. Ipsum enim esse actuale formarum [c] erit terminans motum per quem educitur et essentiam materiae et formae suae, quia sine hoc non erunt in termino suae actualitatis; et ita eodem modo oporteret quod prius esset ipsum esse formarum quam quod esset terminans et ita quod prius esset quam esset.

Ad vicesimum primum dicendum quod hoc argumentum ita tangit positionem aliam sicut istam, quia idem poterit argui de ipso esse, si est per se et solum terminus motus, sicut hic arguitur de essentia. Dicendum igitur quod primae propositiones verae sunt de termino [d] extrinseco ad quem mobile dirigitur a motore; de termino autem motus intrinseco non sunt secundum omnem modum verae, terminus enim motus se habet ad motum sicut futurum ad praesens, quamdiu motus est [e], cuius ipse debet esse terminus. Pro tanto tamen verae sunt, quia sicut motus et omnes partes eius naturaliter ordinantur ad futurum terminum, sic materia mota seu, prout est sub motu, est per ipsum formaliter ordinata in terminum motus futurum. Et sic etiam

---

[a] B[7] om. [b] B[7] *priore*. [c] Al. m. ex *forma*. [d] Al. m. mg. *d. t.* [e] Al. m.; in ras. *cuius*.

tam aspectus agentis tam inclinatio mobilis ab ipso causata habent naturalem ordinem ad terminum motus futurum. Si igitur nihil posset ordinari ad aliquid ut fiendum et ut futurum, tunc praedictae propositiones secundum omnem modum essent verae.

Ad vicesimum secundum dicendum quod ista ratio non est plus contra istam positionem quam contra aliam, quia eadem difficultas manet penitus quomodo possint produci secundum esse spirituale et simplex et vivens et sentiens a forma agente secundum esse corporale quod non est idem quod vivere vel sentire. Aut quomodo diversae partes sensitivae secundum sua esse distincta et ordinate orientia in suis propriis materiis et diversa inter se non solum numero sed etiam secundum speciem possint produci distincte et ordinate, non solum secundum naturam, sed etiam secundum tempus ab una virtute, non solum simplici in essentia, sed etiam habenti esse simplex et operanti naturaliter: non minus apparet difficile quam de productione distincta et ordinata diversarum partium essentialium seu potentiarum animae sensitivae. Quomodo etiam esse animae sensitivae possit per motum successivum [a] et quasi successive fieri, sicut oportebit, si est [b] per se et primo terminus motus illius per quem fit, non minus est difficile videre et sustinere quam quomodo essentia simplex animae sensitivae possit per talem motum fieri; si enim illud potest poni fieri in instanti, per eandem viam poterit poni de ipsa essentia. In tantum autem omnis modus [c] generationis sensitivae, sive secundum essentiam sive secundum esse, est difficilis quod quidam magni propter hoc voluerunt dicere quod non producebatur nisi per creationem.

Licet igitur quod dictum est sufficere posset ad propositum, ne tamen difficultas haec omnino intacta remaneat, aliud succincte dicendum. Est enim hic aliquid attendendum ex parte virtutis formativae et aliquid ex parte sensitivae et etiam [d] organizationis corporis eius. Nam virtus formativa non agit nisi sicut virtus instrumentalis alicuius principalis agentis, sicut suo modo impulsus seu inclinationes datae proiectis a proiectoribus movent ipsa proiecta etiam in absentia proicientium; agentia autem instrumentalia non oportet quod assimilent sibi ea quae educuntur per ipsa, sed potius principali agenti. Nec etiam omne principale agens in

---

(a) B⁷ om. (b) Al. m. mg. (c) Al. m. ex *motus*. (d) B⁷ *esse*.

iis quae per motum educit semper assimilat sibi univoce, saltem sicut quando per motum lapidum excutitur ignis. Et causa huius [a] est, quia plus fecit etiam in productione formae, sive sensitivae sive aliarum [b], qui creavit mobilitatem materiae qua potest moveri ab hoc vel ab illo agente ad talem formam quam faciat ipse motor naturalis seu creatus. Ex quo enim materia est mobilis ad aliquem terminum, non oportet quod in motore sit aliud quam virtus aliqua qua possit eam impellere ad talem terminum; ad quod non requiritur nisi quod virtus impellens habeat inclinationem seu directionem et [c] aspectum virtualem ordinatum [d] efficaciter ad talem terminum, et hoc per modum moventis seu impellentis seu potius per modum potentis movere et impellere. Et ideo quando dicitur [e] quod omnis causa nobilior est [f] suo effectu, non est verum nisi solum secundum quid, praeterquam in effectibus totaliter exeuntibus et immediate dependentibus a sua causa, sicut exeunt et dependent primae influentiae a suis agentibus. Quod autem cum hoc dicitur quod omne agens est praestantius patiente, licet hoc sit magis verum quam primum, quia patiens, in quantum patiens, non dicit nisi potentiam passivam actioni agentium subiectam: non tamen est verum quod patiens simpliciter sit ignobilius [g] agente, sed solum secundum hoc secundum quod per se et directe est patiens; virtus autem formativa non agit in sensitivam sicut in patiens nec etiam in alias formas, sed solum in materiam tendentem seu possibilem ad ipsas.

Non autem est omnino verum quod virtus formativa sit forma corporalis et extensa, immo forte magis est forma simplex; quamvis non sit proprie forma materiam suam absolute et quiete perficiens, sed solum in relatione ad terminum. Non est etiam credendum quin sit composita ex pluribus virtutibus formativis, ordinate inter se suo modo se habentibus, sicut suo modo se habent distincte et ordinate partes sensitivae et aliarum formarum quae per ipsam virtutem seminalem educuntur. Et quamvis agant naturaliter et necessario, non tamen oportet quod semper simul agant aut semper uniformiter, quia non oportet quod agant nisi in materiam dispositam ad suscipiendam suam actionem. Sicut autem sensus communis non potest agere, nisi prius fuerit actio sensus particularis, nec voluntas, nisi praeces-

---

[a] Ex *huiusmodi*. [b] B^{7} *aliorum*. [c] B^{7} *ad*.. [d] Al. m. mg. *v. o.* [e] *Q. d.* ex *dicitur quando*. [f] V B^{7} B^{8} om. [g] Sequitur ras.

serit actio intellectus: sic et una potentia virtutis formativae non oportet quod possit agere, nisi praecesserit actio alicuius alterius potentiae suae per quam materia disponatur ad suscipiendum actionem alterius. Sicut etiam virtus solis non liquefacit, nisi prius calefecerit, quia liquefactio non potest fieri a virtute solis nisi mediante calefactione: sic potest esse quod eadem potentia virtutis formativae non possit in aliquas ulteriores operationes nisi mediantibus aliquibus quas oportet praecedere. Tales autem effectus sic ordinati, licet sint specie diversi, bene possunt esse ab eadem virtute secundum speciem. Et his duabus viis possunt multiplicationes naturarum formalium quae reperiuntur in animali et in corpore eius esse a virtute seminali.

Si autem adhuc dicatur quod virtus seminalis non potest in se huiusmodi diversitatem et spiritualitatem et (a) simplicitatem habere, quia virtus generativa animalium est una potentia unius determinatae speciei nec est potentia (b) animae sensitivae sed vegetativae, in aliis autem quae non fiunt a generativa animalium sed solum per virtutes caelestes non poterit esse spiritualis et simplex, cum virtutes caelestium corporum non videantur esse tales: dicendum quod virtus generativa non producit virtutem seminalem nisi in virtute totius animae sensitivae et virium eius; immo ipsa generativa est potentia quae de se et per suam essentiam dependet ab omnibus, acsi esset instrumentum omnium in unum (c) concurrentium; sicut in machina vel ballista omnes virtutes cordarum et lignorum concurrunt ad unum locum a quo debet fieri proiectio lapidis vel sagittae. Et ideo per generativam hoc modo acceptam bene potest virtus multiformis in materia seminali educi. Licet autem virtutes caelestes per quas educuntur virtutes seminales in terra et aqua fortassis non sint simplices et ad minus non sint vitales, possunt tamen educere per modum supradictum (d) aliquid sibi dissimile tam in simplicitate quam in aliis quantum ad similitudinem univocationis.

Ex parte vero sensitivae duae restant difficultates, videlicet an successive et (e) per motum successivum possit educi, et maxime cum motus sit a contrario termino in contrarium (f), sensitiva autem contrarium non videatur posse habere. Secunda vero est, quomodo post eius eductionem

---

(a) B7 *spiritualem* pro *s. e.* (b) B7 om. (c) In mg. *i. u.* (d) B7 om. (e) Add. interl. al. m. (f) B7 add. *terminum.*

possit fieri in partibus quae postea formantur aut per quid partes illae sequentes formantur, cum virtus seminalis tunc videatur desiisse [a].

Licet autem omnia ista per se requirerent [b] magnos tractatus, tamen dicendum breviter quod si generatio sit motus, non est sic intelligendum formam quae per motum educitur posse habere nomen formae secundum speciem suam aut proprietates et operationes plenarie iuxta exigentiam suae speciei, nisi quando est in certo termino et in certo gradu; unde antequam pervenerit ad illum, non debet nominari nomine illius speciei nisi secundum quid. Et istorum aliqui nolunt quod aliquid de natura sensitivae educatur per motum et successive, antequam perveniat ad illum gradum et terminum in quo possit dici sensitiva; et antequam pervenerit ad illum terminum, nolunt quod possit habere actus illos sensitivae qui dicuntur sentire et appetere, etiam secundum quid, quia isti requirunt in potentia a qua exeunt ad hoc quod etiam semiplene exire possint non solum certum gradum essentiae et virtutis, sed etiam certum et determinatum [c] aspectum ad sua obiecta et certum gradum dispositionis in suo organo; ad illum autem terminum pervenitur in instanti eo modo quo et ad terminum motus localis, omnis enim terminus motus fit in nunc. Isti etiam volunt quod postquam perducta est ad illum terminum in quo potest dici sensitiva successive perducatur [d] ad suum totale completum; unde nolunt quod virtus seminalis totaliter deficiat, usquequo ipsa cum suis organis et membris totaliter iuxta possibilitatem materiae sit completa, nisi forte ipsa anima sensitiva habeat virtutem formandi aliqua membra sui corporis, sicut habet virtutem augmentativam et nutritivam et sicut vegetativa videtur habere in plantis virtutem formandi ramos et consimilia. Nec tamen tunc producens [e] esset productum, sed ipsum animal per unam partem sui formalem produceret [f] in alia parte materiae aliam. Simplicitas autem animae sensitivae non repugnat quantitati intensionis et graduum formalium secundum quam potest dici perfecta vel imperfecta, sed solum quantitati extensivae secundum quam posset [g] dici longa vel lata. Isti etiam [h] volunt quod propter hoc non oportet quod habeat contrarium omnino eodem modo quo est con-

---

[a] B[7] *defuisse.* [b] B[7] *requirant.* [c] B[7] *declaratum.* [d] B[7] *per ducitur.* [e] Ita B[7], V *perducens.* [f] Ita B[7], V *perduceret.* [g] B[7] *potest.* [h] B[7] *enim.*

trarietas in qualitate et in uno genere, sed sufficit quod ibi sit contrarietas incontingentiae, quod scilicet terminus a quo incipit generatio sensitivae non possit simul esse cum ea, in quantum erat terminus a quo. Videmus enim quod motus intensionis caloris potest inchoari a minus calido et non solum a frigido, et minus calidum dicitur habere rationem contrarietatis respectu magis calidi, in quantum in suo intellectu implicat privationem magis calidi. In generatione autem sensitivae et organizationis corporis sui et complexionis eius magis videtur esse motus a formis imperfectis ad perfectas secundum suam naturam inter se ordinem et consequentiam habentes quam a formis contrariis ad contrarias; unde motus organizationis aut ille quo educitur complexio non videter incipere a (a) contraria organizatione aut a contraria complexione, sed potius a quadam forma et dispositione corporis imperfecta respectu organizationis et complexionis. Et sic eodem modo est in generatione figurarum, quod scilicet non oportet quod sit ibi motus a contraria figura ad contrariam, cum in figuris non sit proprie contrarietas nisi solum incontingentiae.

Quomodo autem anima possit post sui eductionem in aliis partibus fieri (b): sciendum quod hoc potest fieri per virtutem augmentativam et nutritivam et per virtutem aliquarum partium corporis formativam. Nusquam autem fit per hoc quod (c) ipsa anima prius existens de partibus ad partes transferatur, acsi localiter moveretur, sed solum fit per novam unionem materiae nutrimentalis vel alterius ad ipsam et ad partes corporis sui in quibus ipsa prius existebat; unde in augmento et nutritione partes nutrimentales prius trahuntur ad ipsam et uniuntur ei ut formae suae (d) et postmodum ipsa cum omnibus dilatatur, corpus quidem extensive, ipsa vero virtualiter et per quandam ampliationem applicationis (e) et communicationis suae essentiae. Quomodo autem hoc possit singulariter fieri in anima in quaestionibus de veritate augmenti et enutritionis corporis humani est tactum. Secundum praedictos autem, quando formantur aliquae partes corporis sequentes generationem animalis, non solam fit modo praedicto, sed etiam per hoc quod per eandem virtutem educitur aliquod complementum essentiale animae sensitivae et potentiarum eius

---

(a) Add. interl. al. m. (b) Al. m. mg. (c) Al. m. in ras. (d) B^7 *substantiae.* (e) Ex *amplicationis.*

aut omnium aut aliquarum. Cui autem haec non placent [a], potest faciliter evadere dicendo quod generatio non est motus sed mutatio, et ideo non oportet quod generatio sensitivae sit successiva.

Ad vicesimum tertium dicendum quod haec ratio non plus tangit positionem istam quam aliam, quia quando annulosum est unum, ita parum ponitur ab eis in eo esse essentia [b] animae nisi una [c] sicut et ab istis; in toto enim corpore et partibus eius non ponuntur plures animae nec plures essentiae animarum, saltem animarum in actu. Et praeterea, eadem difficultas remanet eis, quomodo scilicet unum esse animae multiplicatur in duo esse et unde [d] et per quam virtutem illa esse diversa et diversarum [e] animarum causantur in partibus divisis [f]; ita enim est hoc difficile sicut et de plurificatione et generatione essentiarum animae. In tantum autem fuit hoc difficile Augustino quod sicut dicit, libro *De quantitate animae* [1], aliquando credidit quod motus huiusmodi partium non esset ex anima, sed solum ex dissolutione elementorum causata ex defectu animae; postmodum autem videns quod sentiebant et currebant et opera faciebant quae non poterant esse nisi animae, fere credidit quod sensitiva esset extensa secundum extensionem sui corporis et ita quod posset dividi secundum divisionem eius, sicut [g] et ceterae formae extensae; postmodum tamen non solvit quomodo hoc fieri possit nisi solum per similitudinem significati dictionis compositae, quod cum [h] sit unum, potest dividi in duo significata vocum componentium. Quidam etiam magni per aliud simile credunt evadere, dicentes quod una simplex anima dividitur in duas, sicut unus simplex punctus in duo puncta, quamvis in exemplo isto sit manifesta falsitas; punctus enim ante divisionem continui non est actu in continuo in loco illo ubi postea fit divisio, unde ipsa puncta non fiunt ex uno puncto, sed potius per divisionem educuntur de novo. Nec etiam ipsi satisfaciunt difficultati, sed potius eam augent, quomodo scilicet una essentia simplex, sive puncti sive animae, possit dividi in plura et maxime in talia quae retineant nomen et

---

[a] Ex *implacent*. [b] B^{7} *essentiae*. [c] Al. m. mg. [d] B^{7} *unum*. [e] Al. m. mg. *e. d.* [f] Al. m. corr. [g] Al. m. in ras. [h] Al. m. in ras.

---

[1] Cap. 31, 32 (PL 32, 1069sqq.).

speciem et virtutem et operationem ipsius divisibilis, cum nihil possit dividi nisi in partes ex quibus est compositum et nulla pars constituens aliquod totum communiter retineat speciem et operationem sui totius.

Ad hoc igitur dixerunt aliqui quod in simplicitate spiritualium est gradus valde multiplex et diversus; multum enim distat simplicitas animae sensitivae a simplicitate animae rationalis vel angeli multumque simplicitas sensus communis a simplicitate sensuum particularium multumque simplicitas animae animalium perfectorum a simplicitate animae animalium imperfectorum multumque simplicitas sensitivae a simplicitate vegetativae quae est in plantis. Isti igitur dicunt quod sic anima [a] annulosorum actu est simplex per carentiam extensionis et [b] partium extensarum quod [c] nihilominus vere habet intra se partes secundum quas respicit [d] diversas partes corporis sui extensi; unde, ut dicunt, nos videmus etiam in animalibus perfectis quod anima sensitiva aliam partem corporis informat per potentiam auditivam, aliam per visivam et sic de aliis [e], et tactus ipse non secundum eandem applicationem applicatur diversis partibus corporis, utpote ambabus manibus, quia [f] nec etiam angelus diversis partibus loci. In hoc tamen est differentia animalium annulosorum et eorum quorum partes vivunt [g] divisae ab iis quorum partes divisae vivere non possunt quod in istis omnes partes corporis continuantur virtualiter ad unam sine cuius influentia animam participare non possunt. Et in illa una parte est virtus [h] in tali altitudine simplicitatis et unitatis quod, si pars illa dividatur, statim corrumpitur, pro eo quod [i] totaliter deficit a suo vigore. In illis vero aliis partes [k] animae et partes corporis eius non habent tantam unitatem nec tantam colligationem ad aliquam unam partem corporis et animae, immo est ibi dare aliquas partes tam animae quam corporis quae divisae a suo toto possunt aliqualiter manere, licet non secundum illam perfectionem secundum quam erant in suo toto, unde nec plene retinent speciem et virtutem sui totius nec etiam [l] operationem. Quando autem partes corporis dividuntur, illa pars animae remanet in illa parte corporis secundum quam in

---

[a] Al. m. mg., del. *autem.* [b] Add. interl. al. m., del. *ex.*
[c] B[7] add. *tamen.* [d] Al. m. in ras. [e] Ita B[7], V *alis.* [f] B[7] om.
[g] Al. m. mg. [h] B[7] *ruptus.* [i] Al. m. mg.; al. m. corr. *totaliter.*
[k] B[7] add. *illius.* [l] B[7] *eius.*

ea directe et immediate radicabatur; unde videmus quod ablata cauda ab aliquo tali animali remanebit visus in alia ubi prius erat.

Cui autem hoc non placet, potest cum aliis dicere quod anima totius totaliter destruitur et in partibus novae animae generantur; quamvis hoc non ita sit consonum dicto Augustini et exemplo eius nec exemplo et dicto aliorum praedictorum sapientium sicut est primum; et praeterea, hic non est dare generans nec motum praecedentem terminum generationis, nec in partibus divisis videntur aliquo modo destructae esse potentiae animae quae prius ibi erant, immo dum visus in suo actu continuabitur vel pes [a] in suo motu, abscindetur una alia [b] pars, utpote cauda vel aliqua alia.

---

[a] Ex *spes*. [b] Ex *aliala*.

Deinde de angelis communiter quaeruntur sex.

QUAESTIO XXXII.

Primo quaeritur an substantia angeli sit in loco corporali.

Quidam[a] enim dicunt quod angeli non sunt in loco nisi solum ratione suae operationis quam faciunt et imprimunt in corporibus mundi, quod est dicere, quod ipsi secundum se non sunt in loco, sed solum operatio ab eis egrediens[b] et in corporibus recepta et manens.

Alii vero dicunt quod ipsi secundum se sunt in loco, non tamen dimensionaliter, quia non habent quantitatem corporalem secundum quam possint se commetiri quantitati loci. — Horum tamen quidam moventur ad hoc quibusdam rationibus quae aliis eiusdem positionis defensoribus non placent. Quidam enim ponunt quatuor rationes huius[c]. — Quarum prima est, ut maneat distinctio angelorum inter se, quia, nisi essent in distinctis locis, viderentur esse omnes unus aut[d] sibi illapsi. — Secunda est[e] virtus continendi omnia; quae videtur esse appropriata supremo caelo seu universo corporali. — Tertia est ornatus caelorum; sicut enim stellae sunt in ornatum[f] caeli, sic quodam modo et angeli. — Quarta est dependentia rerum a loco; propter quam nulla videtur posse esse sine loco.

Istae autem rationes multis videntur ridiculosae, quia angeli per suas proprias essentias et per suas proprietates intellectuales sufficienter sunt distincti, unitas autem loci corporalis non tollit hanc distinctionem nec eam facit diversitas locorum; secundum hoc etiam cor-

---

(a) B⁴ *Circa hoc enim diversi diversimode sentiunt quidam.* (b) B⁴ *eorum.;* add. interl. al. m. *et.* (c) B⁴ om. *q. e. p. q. r. h.* (d) B⁴ *ut.* (e) Add. interl. al. m. (f) B⁴ *ornatu.*

pus gloriosum non posset esse cum altero corpore in eodem loco nec angelus cum corpore, quia si unitas loci necessario infert indistinctionem aut illapsum coexistentium in illo, tunc corpus et spiritus essent idem aut essent sibi mutuo illapsi. — Quod etiam caelum aut quodcunque corpus habeat virtutem contentivam spiritus potius quam e contrario est absurdum, quia quanto aliqua sunt formaliora et superiora ([a]), tanto magis competit eis virtus continendi et regendi inferiora. — Quod etiam ([b]) angeli sint ordinati ad ornandum caelum, acsi ipse ornatus caelorum sit finis eorum, absurdum est, quia caeli et omnia corpora potius sunt ordinata ad intellectualia tanquam ad finem suum. — Non minus etiam absurdum est dicere quod substantiae intellectuales dependeant a rebus vel locis corporalibus, cum omnis ([c]) dependentia reducatur ad aliquem respectum causalem, ita quod illud a quo alterum dependet habet aliquam causalitatem in id ([d]) quod ab eo dependet, nisi forte sit dependentia solius mutuae colligantiae secundum quem modum duae partes homogeneae ab invicem dependent; sed secundum hoc locus sequeretur continue angelum et e contrario, sicut pars lapidis sequitur alteram partem.

Istis igitur rationibus exclusis alii moventur propter alias rationes et([e]) ultra hoc propter auctoritatem fidei catholicae([f]) et Scripturae Sacrae — Rationes autem sumunt ex triplici respectu seu ordine qui necessario est in angelis. — Primus est ordo existendi seu assistendi. — Secundus est ordo agendi aut influendo([g]) in extrinsecum patiens aut apprehendendo et ([h]) volendo obiectum extrinsecus existens. — Tertius est ordo movendi se ipsum.

Ex primo arguitur sic: datis quibuscunque duobus actu existentibus, aut ipsa sunt ([i]) sibi immediate praesentia aut sunt ab invicem distantia; ergo dato spiritu et corpore oportet quod vel sibi immediate coassistant aut quod ab invicem distent. Si coassistunt([k]), habeo propositum; si distant, ergo aut per intermediam corporalem quantitatem, et tunc oportebit spiritum esse praesentialiter in termino distantiae per quam distat, et sic iterum habeo propositum; aut distabit

---

([a]) Al. m. mg. *e. s.* ([b]) B[4] *autem.* ([c]) Al. m. ex *omni.* ([d]) Al. m. ([e]) B[4] *etiam.* ([f]) B[4] om. ([g]) B[4] *influendi.* ([h]) B[4] *aut.* ([i]) B[4] om. ([k]) B[4] *coassistant.*

per solum intermedium spiritum, ex quo iterum duo sequuntur ex quibus habetur propositum; primum est quod saltem spiritus intermedius erit praesens illi corpori; secundum est quod illud quod distat ab altero per solam intermediationem spiritus non distat localiter ab illo, immo [a] est praesens loco eius.

Forte dicetur quod non oportet quod sint sibi praesentia aut distantia, quia haec divisio non est per immediata nisi solum respectu corporum in quibus solis videtur eadem distantia localis. — Sed contra hoc arguitur [b]: Primo, quia absque dubio ista videntur esse omnino immediata; unde dicere quod aliqua actu existentia non distant ab invicem videtur idem quod dicere quod sunt sibi immediate praesentia, et eodem modo dicere quod non sunt sibi praesentia videtur idem quod dicere quod ab invicem distant. — Secundo, quia non videtur maior ratio hoc ponere in corporibus inter se quam in aliis entibus, quia distantia intermedia ita parum spectat ad corpora ab invicem distantia sicut et ad alia entia. — Tertio, quia omnia entia creata sunt partes totius universi; ex quo oportet quod habeant ordinem et connexionem ad totum universum et ad omnes partes eius et hoc non sicut quoddam totum omnia in se comprehendens, sicut facit Deus, sed sicut quaedam pars partialiter et particulariter respiciens illa, quamvis superiora habeant quandam totalitatem respectu inferiorum; ergo oportet omnia entia creata habere modum existendi non omnino abstractum et absolutum ab omni respectu et connexione ad cetera entia; sed si angeli habent existentiam omnino abstractam ab omni respectu distantiae et praesentiae ad omnia corpora mundi et e contrario, tunc non videntur inter se habere [c] ordinem et connexionem tanquam partes eiusdem universi. — Quarto, quia existentia Dei est in infinitum abstractior et intellectualior omni existentia angelorum; et tamen Deus secundum suam substantiam est praesens rebus, et certe, si non esset praesens, diceremus quod esset distans. — Quinto, quia in tempore seu [d] in duratione videmus quod est divisio per immediata, scilicet quod aut [e] res sunt simul duratione seu sunt [f] sibi praesentes aut distantes secundum prius et posterius; ergo a simili videtur hic esse dicendum.

(a) B[4] *qui*. (b) B[4] om. *h. a.* (c) B[4] om. (d) B[4] *sive*. (e) B[4] om. (f) Al. m. mg.

Ex secundo autem, scilicet ex ordine agendi, arguitur sic: omne agens creatum prius naturaliter habet aspectum praesentialiter protensum et fixum super suum patiens vel super suum obiectum, antequam agat in illud aut antequam apprehendat illud; ergo antequam angelus agat in corporalia vel antequam apprehendat [a] ipsa, prout sunt in suis [b] locis propriis, oportet quod prius [c] aspectus eius sit praesentialiter protensus et fixus in illa; sed hoc est impossibile, nisi substantia in qua ille aspectus formaliter existit sit ibi praesens, ita quod quibusdam illorum assistat immediate, quibusdam vero mediate, aut omnibus immediate. — Item, si angelus secundum se non est praesens alicui corpori, nulla est ratio quare actio ab eo fluens plus fiat in hoc corpore quam in alio [d]. Si enim dicas quod hoc fit [e] a voluntate eius ordinante actionem [f] plus in hoc fieri quam in alio, hoc nihil est, quia suum velle vel nolle nihil facit ad hoc nisi applicando potentiam [g] activam ad patiens; sed applicare non potest, nisi illa potentia fiat praesens patienti. — Item, nulla potentia finita potest immediate et [h] indistanter super infinite [i] distantia, quia omne quod potest in extrema infinite distantia et in omnia [k] intermedia absque sui applicatione ad illa et [l] absque successiva peragratione illorum habet in se potentialem aspectum virtualiter [m] continentem totum ambitum illius distantiae infinitae; sed si substantia angeli absque omni praesentia sui ad loca mundi potest agere in quodcunque illorum: utique aget in illa indistanter et immediate, quia ipsa actio recepta in locis illis erit saltem immediate coniuncta suo efficienti immediato seu primo et proximo, et qua ratione potest hoc super loca [n] mundi, eadem [o] ratione est ex se potens in infinita loca; ergo potentia angeli haberet infinitum ambitum virtualiter [p] attingentem omnia [q] loca possibilia [r] Deo. Praeterea, potentia quae sic indistanter et immediate potest in omnia, scilicet in hoc vel in illud, est potentia absolutissima; quae soli competit Deo.

Si dicatur quod potentia angeli non potest simul agere in omnia, sed solum disiunctive in quodcunque illorum, ita

---

(a) B⁴ om. *illud... apprehendat.* (b) B⁴ om. (c) B⁴ ponit *prius* post *sit.* (d) Corr.; idem subinde. (e) Al. m. corr., B⁴ *fiat.* (f) B⁴ add. *eius.* (g) B⁴ add. *ad actum.* (h) B⁴ *vel.* (i) B⁴ *infinita.* (k) B⁴ *media.* (l) Add. interl. al. m. (m) B⁴ *universaliter.* (n) B⁴ *super haec loca* pro *h. s. l.* (o) Ita B⁴, V *ea de.* (p) B⁴ *universaliter.* (q) B⁴ om. (r) Al. m. ex *possi.*

quod, si agat in unum, non agit [a] in reliquum, contra hoc arguitur: Primo, quia non sufficit haec evasio, quia quamvis actio non fiat in omnibus simul, tamen potentia aequaliter aspicit omnia simul et est simul potens in omnia disiunctive sumpta, sicut dicimus quod voluntas potest simul in opposita. — Secundo, quia nulla est ratio quare non possit sequi actio in omnia simul, ex quo, quantum est ex se, aequaliter se habet ad omnia simul nec applicatur plus ad unum quam ad reliquum. — Tertio, quia aut ista potentia agit naturaliter aut secundum imperium voluntatis. Si naturaliter, ergo in omnia ad quae se habet aequaliter aget aequaliter [b]; si per imperium voluntatis: sed angelus potest ita faciliter velle agere simul in omnia sicut in solum unum illorum, ergo ita ageret in omnia sicut in unum illorum. — Quarto, quia locus in quem agit [c] non est punctalis, immo comprehendit in se plura loca. Quaero ergo quare [d] potest simul agere in omnes partes illius loci potius quam in [e] omnia, cum non plus uno aspectu feratur et applicetur ad illa quam ad [f] alia; et non videtur conveniens ratio posse dari. Item, quando angelus dicitur assumere corpus, falso dicetur assumere, cum illud corpus secundum hoc non plus applicetur substantiae angeli [g] quam alia corpora. Praeterea, si dicitur assumere illud propter hoc solum, quia agit in illud et quia movet ipsum: ergo eadem ratione dicetur assumere omnia corpora quae movet et in quae [h] agit.

Notandum autem quod quidam faciunt hic quoddam argumentum non bonum, dicentes: prius est esse quam operari; ergo prius est esse in loco quam operari in loco. Forma enim huius consequentiae [i] non est bona, quia non valet quod, si aliquid secundum se est prius aliquo altero, quod ipsum sub una circumstantia sumptum sit prius illo altero respectu eiusdem circumstantiae. Non enim valet: prius est caro cruda quam cocta, ergo prius est in ore comedentis caro cruda quam cocta. Sic etiam non valet: prius est esse quam operari, ergo prius est esse malum quam facere malum. Praeterea, ex praedicta consequentia, si est bona, sequitur quod prius sit res in hoc loco quam operetur in hoc loco [k], et ita nulla res poterit operari nisi solum in loco in quo est; quod

---

[a] B⁴ *agat.* [b] B⁴ om. [c] B⁴ *aget.* [d] B⁴ *qualiter.* [e] Add. interl. al. m. [f] Al. m. mg.; B⁴ *omnia* pro *alia.* [g] B⁴ add. *secundum hoc.* [h] Ita B⁴, V *qua.* [i] Ita B⁴, V *continentiae.* [k] B⁴ *eo* pro *h. l.*

est aperte falsum, quia sol potius [a] agit in loca sibi propinqua [b] quam in loco in quo est.

Ex tertio arguitur sic: in omni creatura intellectuali est magnae libertatis posse se movere ad varia mundi loca et posse se associare rebus et res sibi et iterum posse se elongare ab eis; sed [c] hoc est impossibile, nisi sit praesens alicui loco mundi. Quod probatur: primo, quia omne quod movetur ad aliquem terminum recedit a termino eiusdem generis; termini enim motus sunt sibi [d] oppositi sub aliqua una ratione generis [e], unde inter terminos disparatorum motuum non cadit motus, unde dealbatio non fit recedendo a magnitudine [f] aut a tali odore; ergo angelus non potest se movere ad aliquem locum nisi recedendo ab aliquo termino locali eiusdem generis. — Item, angelus non potest se movere ad locum, nisi primo impellat et inclinet se ipsum ad illum locum; sed impulsus mobilis et virtus impellens, in quantum talis [g], sunt prius virtualiter protensi in terminum motus, antequam sequatur motus vel mutatio; huiusmodi [h] autem protensio non est sine ordine praesentiae et distantiae ad terminos [i] motus. — Item, angelus non potest sibi dare praesentiam localem per simplicem influxum, influendo scilicet eam in se, sicut influit lux lucem, quia tunc ipsa praesentia localis esset quasi qualitas absoluta; ergo oportet quod hoc [k] fiat applicando suam substantiam [l] alteri; hoc autem aut fiet successive aut in instanti et aut per medium aut sine medio; si in instanti et sine medio: ergo res cui sic applicatur erat prius [m] sibi immediata aut fere immediata, alias non posset sibi immediate applicari; si autem successive et per [n] medium: ergo prius erat in loco qui [o] per spatium intermedium distabat ab altero loco. — Item, quando angelus dabit sibi praesentiam localem, tunc auferet sibi illum modum existendi per quem erat absolutus ab omni praesentia loci; et e contrario [p], quando auferet sibi omnem praesentiam loci [q], tunc eo ipso dabit sibi illum modum existendi absolutum et abstractum ab omni loco. Ex hoc autem [r] sequitur quod sua praesentia localis possit mutari in duo genera disparatissima seu in terminos diversorum generum,

---

([a]) Al. m. mg. *nisi... potius.* ([b]) B[4] *loco sibi propinquo* pro *l. s. p.* ([c]) Sequitur ras. ([d]) B[4] om. ([e]) B[4] om. ([f]) B[4] *amaro.* ([g]) B[4] *tales.* ([h]) B[4] *haec.* ([i]) B[4] om. *a. t.* ([k]) Al. m. ([l]) B[4] om. ([m]) Al. m. ex *pius.* ([n]) B[4] om. ([o]) Ita B[4], V *quod.* ([p]) B[4] *contra.* ([q]) Al. m. mg. *et ... loci.* ([r]) B[4] bis *autem.*

quia illa praesentia localis potest mutari in aliam eiusdem speciei, utpote eundo ad alium locum, et nihilominus potest mutari in illum modum existendi absolutum. Sequetur etiam [a] quod instans possit esse immediate post instans, quia dato quod in hoc instanti angelus sit in hoc loco, constat quod immediate potest facere quod non sit hic. Nec mirum: quia hoc possum [b] ego per motum, nam in toto tempore quod immediate sequitur post instans ego sum extra locum a quo coepi moveri; sed angelus non potest recessisse ab omni praesentia loci nisi [c] faciendo in se illum modum existendi absolutum quem utique faciet in instanti; ergo erit instans immediate post instans; quod licet quidam in angelicis mutationibus dicant esse possibile, tamen simpliciter et universaliter [d] est impossibile, sicut alibi est probatum, nisi forte uno solo modo quem in quaestione de conversione panis in corpus Christi recitavi et dictum ab aliis, prout potui, sustinui.

Praeter hoc autem arguitur ad principale ex [e] existentia animae nostrae in corpore quae non solum est in eo sicut forma in materia, sed etiam sicut substantia praesens substantiae corporis et loco eius; nulla enim forma potest esse praesens materiae suae, nisi sit praesens loco in [f] quo est sua materia. — Rursus, anima [g] cum corpore aspicit praesentialiter corpora mundi et loci [h], alias non videret praesentialiter loca et corpora mundi; sed initium sui aspectus est in loco ubi corpus suum existit; ergo est ibi localiter seu praesentialiter.

Ad hoc etiam facit auctoritas Scripturae et fidei [i]. Primo, quia ponit daemones et animas damnatas esse alligatas vel alligandas in igne infernali [1]. Secundo, quia animas sanctorum patrum ponit fuisse in loco qui dictus est sinus Abrahae in quo anima divitis in inferno sepulta vidit animam Lazari [2]. Tertio, quia animas fidelium defunctorum ponit purgari [k] in certis locis. Quarto, quia animam Christi dicit [l] descendisse ad inferos [3] et est unus articulus nostrae fidei. Quinto, quia secundum sententiam Petri et

---

[a] Al. m. in ras. *S. e.* [b] Sequitur ras. [c] B⁴ *non.* [d] B⁴ *ponere* pr. *e. u.* [e] Al. m. mg. [f] Add. interl. al. m. [g] Ita B⁴, V add. *licet.* [h] B⁴ om. *e. l.* [i] B⁴ *immo Dei* pro *et fidei;* B⁴ *Et primo* pro *Primo.* [k] B⁴ *purgare.* [l] Ita B⁴, V *dicunt.*

---

[1] Cfr. Iudas v. 6; 2 Petr. 2, 4; Matth. 22, 13. [2] Cfr. 1 Petr. 3, 19. 20; Luc. 16, 22. 23. [3] Cfr. 1 Petr. 3, 19; Eph. 4, 9.

Pauli [1], in epistolis suis, daemones usque ad diem iudicii sunt detrusi in hoc [a] aere caliginoso. Sexto, quia angelos dicunt de caelis ad nos descendere et a nobis ad caelos [b] ascendere [2]. Septimo, quia Christus dicit [3] quod *angeli in caelis semper vident faciem Patris sui;* quod non potest dici respectu actus [c] visionis Dei, quia ille est magis abstractus a loco quam substantia angeli. Rursus, tam sancti quam Scripturae dicunt quod angeli portant animas ad caelum; unde angeli, teste Christo [4], portaverunt animam Lazari in sinum Abrahae. Et Hieronymus, in sermone *De assumptione Dominae* [5], dicit quod angeli venerunt obviam animae matris Christi. Et in *Commentario* [d] *super Isaiam*, libro XI, in fine [6], super illud [7] *qui extendit caelos et expandit eos* dicit: « Ut vel supra habitarent angelorum multitudines vel subter homines moverentur, quasi magnam rationalibus creaturis domum fecit ». Et, libro XIII, in principio [8], super illud [9] *manus meae tetenderunt caelos et omni militiae eorum mandavi* dicit: « Ego extendi caelos, ut essent angelorum habitaculum [e] ». Rursus, tota Scriptura [10] vult eos sub corporali specie visos et receptos fuisse a patribus, ita quod vere recipiebant eos in hospitio suo. Omissis autem pluribus auctoritatibus sanctorum, pono ad praesens unam Damasceni, capitulo 3 [f 11] dicentis « Angelos esse circumscriptibiles; cum enim sunt in caelo, non sunt in terra et cum ad terram a Deo mittuntur, non remanent in caelo »; et post [12] dicit quod « intellectualiter [g] adsunt et operantur ubicunque iussi fuerunt ». Beda etiam [13] et Strabus [14] dicunt angelos fuisse [h] creatos in caelo. Unde et Christus dicit [15] *Satanam de caelo sicut fulgur cecidisse.*

Ad evidentiam tamen huius veritatis et difficultatum eius sciendum primo quod si nullum

---

[a] B⁴ add. *carcere.* [b] B⁴ om. *a. c.* [c] B⁴ lac. [d] Al. m. [e] B⁴ om. *Et in Commentario... habitaculum.* [f] B⁴ lac. pro *c. 3.* [g] B⁴ *intelligibiliter.* [h] B⁴ *esse.*

---

[1] Cfr. 1 Petr. 5, 8; Eph. 6, 12. [2] Cfr. Matth. 28, 2; Luc. 2, 15; Ioh. 1, 51. [3] Matth. 18, 10. [4] Cfr. Luc. 16, 22. [5] Epist. IX, *De assumpt. B. M. V.*, n. 8 (PL 30, 130). [6] *Comment. in Isaiam*, lib. XI, in cap. 40 vers. 22 (PL 24, 409). [7] Isaias 40, 22. [8] Hier., l. c., lib. XIII, in cap. 45 vers. 12 (PL 24, 444). [9] Isaias 45, 12. [10] Cfr. Gen. 18, 1 sqq.; 32, 24 sqq.; Tob. 5, 5 sqq.; 12, 6 sqq. [11] *De fide orth.*, II, 3 (PG 94, 870). [12] Ibidem. [13] *Hexaem.*, lib. I (PL 91, 14). [14] Walafridus Strabo, *Glossa ordinaria, lib. Gen.*, cap. 1 vers. 1. 2 (PL 113, 68 sq.). [15] *Luc.* 10, 12.

corpus esset, tunc angeli essent sine loco corporali; corpore autem posito in esse non possunt non esse praesentes corpori aut alicui parti eius [a], non propter dependentiam eorum a corporibus, sed propter connexionem partium universi [b]. Si vero quaeratur [c] an dato quod Deus annihilaret omnia corpora, angeli qui prius per varia loca erant diffusi distarent ab invicem sicut prius, ita quod remanerent [d] sicut prius in locis suis [e], aut dato quod angelis primo creatis Deus crearet corpora, an [f] ex sola creatione corporum fierent angeli in loco corporali et an omnes in eodem aut [g] in diversis: dicendum ad hoc quod si Deus annihilando corporalia loca in quibus erant angeli nollet [h] miraculose angelos existere, tunc [i] oporteret quod simul cum praedicta annihilatione auferret [k] angelis modum existendi quem habebant in locis corporalibus. Videtur autem quibusdam quod miraculose posset facere quod modus existendi quem ibi habebant remaneret, sicut et potest quod forma remaneat sine materia, acsi esset in materia; nec tunc angeli essent in loco corporali, non propter defectum ex parte sua, sed propter annihilationem loci corporalis. Tunc autem distarent ab invicem eo modo quo partes circumferentiae caeli diametraliter distarent ab invicem, dato quod omnia corpora et loca intermedia essent annihilata; quamquam enim tunc nullum spatium nullaque realis quantitas [l] seu distantia esset in medio: nihilominus partes sphaerae caelestis haberent ad se eandem habitudinem situs et distantiae [m] quam prius habebant, ita quod tantum spatium et [n] non maius nec minus posset poni inter eas ad replendum seu supplendum exigentiam mutuae distantiae earum. Si autem Deus post creationem angelorum crearet vel creasset corpora mundi, tunc cum [o] ipsa creatione collocasset angelos aut in eodem loco corporali aut in pluribus; quando enim Deus creat plura, multa [p] oportet fieri praeter creationem absolutae essentiae eorum, ut verbi gratia, quando creavit corpora mundi, potuisset ea fecisse simul [q] aut unum in loco alterius et unam partem in situ alterius partis, ita quod quaelibet stella haberet alium situm in orbe [r] suo quam habeat [s]. Quod igitur

---

[a] B^4 om. *a. a. p. e.* [b] Al. m. [c] B^4 *quaeras.* [d] B^4 *permanerent.* [e] B^4 om. [f] B^4 *aut.* [g] B^4 *sive.* [h] B^4 *vellet.* [i] B^4 om. [k] Al. m. corr. [l] Al. m. ex *quantita.* [m] B^4 *sicut habebant per distantiam* pro *s. e. d.* [n] B^4 *quod.* [o] B^4 *in.* [p] B^4 om. [q] B^4 *simul creasse fecisse* pro *f. s.* [r] Sequitur ras. [s] B^4 *habeant.*

unum fuerit sursum, aliud deorsum, aliud a dextris, aliud a sinistris, aliud in medio: non fuit ex [a] absoluta creatione substantiarum suarum [b], sed potius fuit opus annexum illi.

Secundo sciendum quod angelus [c] totum locum quem simul occupat habet pro uno loco, ita quod sub aliqua unitate [d] respicit omnes partes illius loci, et consimiliter illae respiciunt ipsum sub aliqua una coordinatione et connexione [e], et ideo oportet quod omnes per intermedias partes sui loci sibi contiguentur aut continuentur. Unde angelus non posset esse in duobus locis quae nec per lineam obliquam nec per rectam sibi respectu collocationis angeli connectuntur [f], quia tunc esset in eis tanquam in duobus locis et non tanquam in uno. Et per hoc cessat obiectio quae solet fieri de pluralitate locorum, quando angelus simul occupat loca trium vel plurium corporum, quia non occupat ea ut plura respectu sui, sed potius ut unum [g] correspondens uni existentiae suae locali.

Tertio sciendum quod modus applicationis angeli ad locum habet in se quandam intellectualem quantitatem, ita quod licet totus angelus sit in qualibet parte loci ratione suae [h] simplicitatis, non tamen est ibi totaliter, id est, secundum totam magnitudinem suae applicationis.

Quarto sciendum quod ille [i] modus applicationis habet naturales limites in natura angeli praefixos et ideo non secundum omnem modum potest applicari ad partes eiusdem loci; unde dato quod omnes partes corporis sphaerici in quo est angelus semper magis ac magis producerentur et transponerentur in longum, ita quod occuparent longitudinem satis plus quam ab oriente in occidens, immo et [k] in infinitum possent hoc modo successive protendi: non propter hoc oporteret quod angelus posset occupare omnes eas semper, sicut poterat prius. Et ideo cessat obiectio quae ex hoc solet trahi.

Quinto sciendum quod angelus sic attingit omnes partes sui loci, ita quod totus est in qualibet earum [l], quod tamen ex hoc non sequitur quod attingat infinitas in actu; quia nullam attingit nisi secundum quod est ens actu, ipsae autem non sunt actu infinitae nec esse possunt.

---

[a] B[4] *ab.* [b] B[4] add. *ipsarum.* [c] Ex *angelis.* [d] Al. m. corr. [e] Al. m. mg. *e. c.* [f] B[4] *qui non connectuntur per lineam rectam* pro *quae nec... connectuntur.* [g] B[4] add. *unde.* [h] Sequitur ras. [i] B[4] *iste.* [k] B[4] *ita quod* pro *i. e.* [l] Al. m. ex *eorum.*

Sexto sciendum quod modus localis existentiae seu applicationis angeli non potest a nobis proprie accipi aut intelligi nisi per negationes multorum modorum dimensionalium. Unde non est imaginandum quod quando angelus est in loco sphaerico aut triangulari et sic de aliis [a], quod propter hoc sua localis existentia sit sphaerica vel triangularis, sed solum quod est illi coaptata et comproportionata [b]. Non est [c] etiam imaginandum quod sicut pars loci est post partem, quod ita angelus, prout est in posteriori, sit posterior se ipso, prout est in parte anteriori, aut quod ipse sit ibi quasi replicatus aut reiteratus, sicut si eundem punctum vel eundem digitum totum pluries replicares [d], acsi essent plures digiti sese contingentes.

Septimo sciendum quod angelus [e] in movendo se de uno loco ad alium ponitur [f] a quibusdam hoc posse [g] facere duobus modis: primo scilicet, quod a toto priori loco et omnibus partibus eius subito recedat faciendo se immediate in loco post primum totalem locum subsequente. Si autem tunc quaeras quomodo ipse, prout erat in partibus postremis loci prioris, factus est in partibus loci sequentis non transeundo per partes intermedias loci prioris [h]: dicunt quod hic fallit imaginatio, accipiens existentiam angeli localem, acsi esset in partibus loci per sui replicationem et per [i] posteriorationem et anteriorationem. — Secundo modo dicunt hoc posse fieri ita quod successive recedat a partibus loci prioris et successive acquirat partes loci sequentis, et tunc, ut dicunt, tota applicatio angeli mutat successive varios aspectus in partibus loci quas per motum et morose transcurrit [k]; sicut punctus solis, dum sol movetur, continue mutat [l] et acquirit varios aspectus super omnes partes hemisphaerii quas aspicit semper, licet aliter et aliter.

Octavo sciendum quod quamvis nesciamus quantum spatium [m] potest simul quilibet angelus occupare, scimus tamen quod non potest infinitum actu nec in infinitum semper maius [n], immo est aliqua certa mensura ultra quam non potest. Probabiliter tamen credimus quod nullus angelorum qui nunc sunt possit occupare simul totum spatium

---

[a] Ex *alis*. [b] Ex *proportionata*. [c] Al. m. mg., B^4 om. [d] Al. m. ex *replicaes*. [e] B^4 *angelo*, om. *in*. [f] B^4 *ponuntur*. [g] B^4 om. [h] B^4 om. [i] Ita B^4, V *prae*. [k] Al. m. ex *tanscurrit*. [l] B^4 lac. [m] B^4 om. [n] Ita B^4, V add. *aut maius*.

universi orbis; tum quia Scripturae aperte dicunt (1) eos (a) per motum absentari a nobis vel praesentari nobis, si enim essent ubique, non oporteret eos descendere de caelis, quando ad nos mittuntur; tum quia congruum fuit quod soli Deo universalis occupatio servaretur ad designandum eius immensitatem et eius universale dominium; tum quia forte, sicut anima rationalis, quantumcunque nobilis, sicut est (b) anima Christi, non potest praesentialiter occupare nisi corpus satis modicae quantitatis respectu multorum corporum mundi, sic fortasse est (c) de substantia angelica, sed hoc ignoramus (d).

Sed adhuc ad rationem de infinitate angeli super infinita (e) distantia respondetur a quibusdam quod ex hoc nulla infinitas sequitur in angelo, quia non refertur ad illa sicut ad infinite distantia, sicut nec punctus centri ad infinitas lineas (f) circuli in se ipso terminandas vel idem locus ad infinitos angelos in se suscipiendos vel ad infinita corpora in eodem loco per miraculum susceptibilia.

Sed contra hoc est, quia si angelus nulla ab invicem distantia aspicit ut distantia: tunc oportet quod omnia aspiciat (g) secundum aliquam rationem mutuae simultatis omnium; quae non videtur posse dari. Item, tunc omnibus illis simul assistet; et ex quo omnia distantia sunt praesentia respectu ipsius et suarum actionum, sequitur quod ipse consimiliter omnibus erit praesens. Item, quando unum aspectum et actum suae virtutis dirigit ad quodcunque infinite distantium et alium ad oppositum situm et terminum et alium ad situm intermedium: tunc isti tres aspectus se habent ad invicem sicut se habent tres aspectus eiusdem puncti solaris vel visualis ad tres radios lucis et ad tres aspectus visus super tres partes obiecti (h) visibilis seu super tria sibi contigua in simul visa; de quibus utique constat quod distantia respiciunt ut distantia, ita quod quanto aspectus extremi sunt super obiecta magis ab invicem distantia, tanto maior et latior est ambitus potentiae aspicientis, et ideo si sunt super infinite distantia, ambitus potentiae erit infinitus, et maxime quia ex quo potest sic simul aspicere extrema et medium,

(a) Al. m. (b) B⁴ om. (c) B⁴ repetit *est*. (d) Hic desinit B⁴, add. *explicit*. (e) Forte melius *infinite*. (f) Al. m. ex *linea*. (g) Ex *aspiciet*. (h) Al. m. mg., del. *ab in*.

(1) Cfr. Matth. 28, 2; *Luc.* 1, 26. 38; *Ioh.* 5, 4.

potest etiam aspicere simul omnia intermedia sub uno generali et continuato seu counito (a) aspectu, nisi sit aliquod obstaculum prohibens seu impediens. Item, quando per aspectum et influxum suae virtutis movebit seu inclinabit utrumque praedictorum extremorum versus alterum, tunc aspectus ipsius motoris mediante uno extremorum dirigitur ad aliud; quod non potest fieri, nisi tunc primo naturaliter dirigatur ad omnia intermedia; ergo tunc respicit illa per intermediam distantiam; si ergo infinite distant, respicit illa per infinitam distantiam ab ipso et ab eius extremis aspectibus totaliter comprehensam. Si dicatur quod hoc ipsum sequeretur respectu Dei moventis ipsa: dicendum quod non est verum, quia sicut alibi est monstratum, Deus est tantae absolutionis et infinitatis quod sic ex parte sua est actualis super quaecunque infinita quod tamen propter insusceptibilitatem illorum non fertur super ea tanquam super unum actum infinitum, sed solum tanquam super plura, et hoc sub divinis rationibus infinitis quarum una non est respectu alterius partialis, prout in quaestione quomodo Deus possit scire et facere infinita plenius est ostensum, haec autem sic sunt propria soli Deo quod nulli creato possunt communicari.

Sed adhuc ad ipsam rationem de partialitate entium respectu universi superius factam respondetur a quibusdam quod angeli et corpora possunt ad invicem multos respectus partiales habere absque respectibus partialium compraesentialitatum et distantiarum; quia absque hoc eorum individuales essentiae et eorum species se habent ad totum ambitum entis creati seu creabilis sicut quaedam modicae partes.

Sed contra hoc est quod sicut respectu universalis ambitus entis seu essentiae oportet ipsa esse partialia (b), sic respectu universalis ambitus actualium existentiarum ad invicem sub aliquo uno universo coordinabilium oportet eorum existentias seu modos essendi esse partiales. Si autem inter angelum actu in se ipso existentem et inter corpora actu existentia non est dare mutuam praesentiam vel distantiam, saltem potentialem seu aptitudinalem, qualis esset inter partes circumferentiae sphaericae, si corpora intra ipsam inclusa essent annihilata (c) — adhuc enim partes sphaerae pro tanto inter se distarent, pro quanto tanta quantitas et non maior

(a) Al. m. (b) Ex *partitialia*. (c) Al. m. ex *nihilata*.

posset poni inter illa — si, inquam, inter angelum et corpora nihil tale est dare: tunc eorum existentiae secundum quas unumquodque est sibi ipsi praesens non videntur habere ad invicem aliquem partialem respectum et connexionem. Ex quo oportet quod vel utraque vel altera illarum habeat modum existentiae absolutissimae et universalis, qualis competit soli Deo; et tamen cum hoc sequetur quod nec illam habeat, pro eo quod non ponitur esse praesens omnibus corporibus sicut Deus. Et ideo multa contradictoria videtur in se includere.

Ulterius ad difficultatem de modo essendi angelorum quem, corporibus annihilatis vel non creatis cum ipsis, eos oporteret habere triplex modus sive positio datur.

Primus est, quod angeli haberent tunc quendam alium modum essendi secundum quem essent omnes sibi invicem praesentes, quem quidem modum restitutis corporibus perderent. Sed hic modus subdistinguitur in duos. Primus est, quod illum modum essendi ipsi in se ipsos causarent sicut in se causant diversas locales existentias, quando de uno loco movent se ad alium. Et isti volunt quod hoc ipsum possint facere etiam corporibus in suo esse stantibus. Alius est, quod hunc modum non possunt sibi dare vel aufferre, sed quod eis daretur[a] a Deo, si corpora annihilarentur. — Pro primo autem est duplex ratio: prima est, quia angelus non semper occupat aequalem locum corporum; ergo quando occupat minorem quam prius, secundum aliquid sui retraxit se ipsum ab existentia locali; qua autem ratione potest se ab ea retrahere secundum aliquid sui, eadem ratione potest hoc secundum aliud et aliud sui vel suae existentiae et sic per consequens secundum totum; et sicut, quando maiorem locum occupat quam prius occuparet, secundum maiorem ambitum suae existentiae se communicavit loco quam prius[b] faceret: sic, postquam se totum ab omni locali praesentia retraxisset, poterit se totum in loco facere sicut prius. — Secunda ratio est, quia qua ratione aspectus visualis aliquando ad exteriora diffunditur, aliquando vero ad interiora retrahitur: eadem ratione, ut videtur, poterit simile contingere circa communicationem praesentiae angelicae ad locum corporalem et circa eiusdem retractionem ad sua interiora.

---

[a] Ex *darentur*. [b] Al. m. mg.

Sed contra hanc positionem et contra utrumque modum eius arguitur: Primo, quia si ille modus essendi quem absque corporibus habent et secundum quem omnes sibi invicem sunt praesentes est longe [a] nobilior et intellectuali naturae convenientior quam ille per quam occupant corporalia loca: ergo ex creatione corporum et ex assistentia ipsorum in corporibus ipsi multum deteriorantur, perdendo scilicet nobiliorem modum essendi. — Secundo, quia sicut per illum modum nobiliorem sunt praesentes omnibus angelis: sic videtur quod per eundem possint [b] eadem ratione praesentes esse omnibus corporibus sive omnibus actu existentibus, et tunc non oportebit quod per annihilationem corporum illum de novo acquirant aut quod per creationem corporum illum amittant. — Tertio, quia detur quod Deus restituendo corpora non auferat angelis illum nobilem modum essendi — quod videtur posse dari et maxime respectu [c] potentiae Dei —: tunc omnes rationes superius factae ad probandum angelum esse in aliquo certo loco erunt contra positionem istam et specialiter contra primum modum ipsius, sicut applicanti eas ad propositum de facili patere potest. — Quarto, quia quod per illum modum possint esse praesentes omnibus angelis quotcunque [d] et quantiscunque; aut est, quia per illum modum sunt omnes quasi in uno puncto seu loco et omnes intra se invicem, sicut est, quando angeli et plura corpora ponuntur esse in eodem loco corporali, qui modus non videtur in eis bene possibilis; aut est, quia ille modus habet infinitum ambitum per quem unus angelus infinitis angelis coexistere potest, qui modus non minus est impossibilis [e] quam primus; aut est per solam privationem distantiae corporalis seu dimensionalis, et tunc non poneret in eis aliquam [f] realem praesentiam, sed solum privationem talis distantiae, qui modus non solum est impossibilis, immo nec bene imaginabilis seu intelligibilis. — Quinto, quia sicut rem esse in se ipsa nihil diversum addit ad ipsam rem, sic nec ille modus quo in solis se ipsis et non in locis corporalibus esse ponuntur nihil videtur addere ad ipsam substantiam angelorum; ergo quamdiu eorum substantia non est substantialiter variata, perseveraret in eis ille modus essendi.

---

[a] Al. m. mg. [b] Ex *possent*. [c] Al. m. [d] Al. m. corr. ex *quocunque*. [e] Ex *possibilis*. [f] Al. m. mg.

Si vero contra hanc rationem instes dicendo quod nec etiam (a) esse in loco corporali aliquid addit ad rem locatam aut ad esse in se ipso, quia si adderet, tunc videtur quod illud additum posset a Deo miraculose fieri absque ipsa re et etiam quod res posset a Deo fieri absque omni tali accidente et ita absque omni tali loco, videtur etiam quod illud additum esset aliqua qualitas, ex quo sequeretur quod motus localis seu motus ad ubi esset motus (b) alterationis: dicendum quod ubi seu esse hic vel illic addit aliquid ad rem quae est hic vel illic, non tamen aliquid quod debeat dici qualitas vel forma absoluta seu absolute respiciens suum subiectum, sed potius dicit quendam modum essendi multum relativum qui locatio vel situatio vocatur. Quod autem aliquid diversum addat probatur ex tribus quae omni motui essentialiter competunt, scilicet terminus a quo et terminus ad quem et fluxus seu cursus intermedius. Constat enim quod terminus ad quem est aliquid de novo factum et introductum per motum, ex quo oportet quod dicat aliam essentiam ab ipso mobili. Terminus etiam a quo per eundem motum amittitur seu destruitur et ipse etiam fuit vel esse potuit terminus ad quem oppositi motus. Ex quorum utroque sequitur quod dicat essentiam diversam a subiecto mobili. Intermedius etiam fluxus localis motus non est secundum rem aliud quam continua et successiva acquisitio diversorum ubi seu diversarum situationum vel locationum. Constat autem quod motus addit aliquam essentiam diversam super suum mobile; impossibile est enim quod motus sit ipsa essentia sui mobilis per quam est mobile et per quam subiacet ipsi motui. Praeterea, si ubi seu locatio nihil addit ad rem locatam, tunc res semper habebit idem ubi, sicut semper habet se ipsam; non enim poterit hic dari illa ratio successionis cum identitate reali quae datur de diversis partibus aeviternae durationis.

Quod vero contra hoc dicitur, quod scilicet Deus posset miraculose facere ipsum ubi absque re locata et ipsam rem absque omni ubi: dicendum quod sicut alibi plenius est monstratum, illa accidentia quae sic dicunt actuales et correlativos modos essendi quod in suo intellectu seu in sua ratione necessario includunt actualem existentiam subiecti non possunt absque contradictione fieri absque aliquo subiecto. Licet etiam subiectum a suo accidente

(a) Al. m. mg. (b) Al. m. mg. *a. u. e. m.*

non dependeat, quasi conservetur ab ipso: nihilominus sic sunt limitata secundum suam speciem ad aliquos modos essendi et se habendi quod non possunt absque contradictione poni in esse sine aliquo tali accidente, quamvis possint poni sine hoc vel sine illo. Unde si alicubi in aliquibus argumentationibus meis contra aliquorum dicta factis contrarium huius [a] inveniatur, hoc dixi tanquam arguens ex [b] iis quae ab illis communiter supponebantur. — Si vero quaeras unde est [c] quod Deus non possit [d] rem creare absque aliquo ubi differente ab ipsa, cum sicut in questione de aeternitate mundi est tactum, locus seu spatium quod occupatur a corpore locato nihil addat realiter ad quantitatem ipsius locati: dicendum quod huius ratio est determinata et limitata habitudo rerum locabilium ad suas locationes quam quidem in corporibus in tantum experimur quod impossibile est nos imaginari aliquod corpus nisi cum coimaginatione determinatae situationis eius in aliquo determinato loco; unde sicut moles figurabilis non potest esse sine hac vel illa figura, sic nec locabile sine hac locatione vel illa. Praeter hoc autem potest altius dari huius ratio ex eo quod omnis res [e] creata, cum sit limitata ad esse partiale seu particulare et ad esse relatum et connexum seu connexibile ad omnia quae sibi intra vel extra superaddi possent, quod impossibile est eam habere esse absolutissimum ab omni respectu locali aut habere esse immensum, attingens absolutissime et immensissime omnem locum actualem et etiam possibilem; et hinc est quod non potest poni nec extra omnem locum nec in omni loco Deo possibili; ex quo relinquitur quod semper oportet eam esse in aliquo loco suae limitatae magnitudini comproportionato [f].

Ad primam vero rationem praefatae positionis dicendum quod sicut quaedam corpora per sui condensationem et dilatationem occupant aliquando maiorem locum et aliquando minorem [g], nunquam tamen possunt sic intra se colligi quin semper sint in aliquo loco: sic, licet per alium modum nobis inexpertum [h] substantiae intellectuales possint [i] ambitum suae diffusibilitatis ad loca aliquando magis ad se recolligere sicque minorem locum occupare, aliquando vero per quandam sui spiritualem dilatationem ad extra possint maiorem locum occupare, sicut autem est certa limitatio eis

---

[a] Al. m. mg. [b] Add. interl. al m. [c] Add. interl. al. m. [d] Al. m. corr. [e] Add. interl. al. m. [f] Corr. interl. al. m. ex *proportionato*. [g] Al. m. mg. *l. e. a. m.* [h] Al. m. corr. [i] V *possunt*.

in se dilatando naturaliter praefixa, ita quod ultra illam se amplius dilatare non possunt: sic et [a] in sua recollectione est eis certus limes praefixus. Et ideo non oportet quod si secundum aliquid suae existentiae se aliquando auferunt alicui parti loci, quod secundum se totum possint se subtrahere omni loco, et maxime quia quando se recolligendo subtrahunt se alicui parti loci, tunc illam sui recollectionem reducunt ad illam partem loci in qua ipsi sic recollecti remanent, nec intelligo quod hoc fiat nisi modo spirituali, consono simplicitati intellectualium substantiarum. — Ad secundam dicendum quod aspectus visualis secundum suam essentiam semper stat circa illam partem organi in quo eius potentia formaliter est affixa, quamvis virtualiter protendatur ad extra vel retrahatur ad intra; modus enim secundum quem huiusmodi potentiae vel substantiae referuntur ad sua obiecta est alius secundum rem ab illo quo applicantur ad loca.

Secunda positio est, quod dum angelus existit in loco corporali, habet simul cum hoc quendam alium modum essendi qui sibi remanet, quando omnibus corporibus annihilatis perderet illum modum secundum quem in locis corporalibus existebat; secundum autem illum alium modum semper est praesens ceteris angelis aut saltem quando corporibus annihilatis non essent ab invicem localiter distantes. — Huius autem positionis [b] prima ratio est, quia absurdum videtur quod substantia intellectualis non possit videre ceteras substantias intellectuales in loco remoto distantes, nisi protendat aspectum suum in corporalia loca quasi intermedia, quasi corporalia loca et eorum aspectus sint necessaria ad intellectualem visionem intellectualium, sicut actus sensus particularis est necessarius actui sensus communis ad apprehendendum sensibilia quae sunt extra; sed si angeli non sunt sibi invicem aliquo intellectuali modo praesentes, non poterunt aliter se videre quam modo praedicto, quando sunt in locis ab invicem remotis. — Secunda ratio est, quia habitudo mutuae praesentialitatis angelorum videtur naturaliter esse prior habitudine praesentialitatis eorum ad corpora mundi, et saltem illa non videtur dependere ab ista nec tolli aut variari per istam.

Sed contra hanc positionem arguitur: primo, quia aut ille [c] alius modus essendi est in eis unus et idem numero aut sunt vel esse possunt plures eiusdem speciei, iuxta sci-

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Ex *positionis autem.* [c] Ex *illae.*

licet modum quo unum ubi mutatur in aliud ubi. Si semper est unus numero: ergo omnes substantiae intellectuales sunt per illum modum semper sibi uno et eodem modo praesentes, cuius contrarium quoad praesentiam animarum nostrarum ad ceteras animas et ad angelos et daemones nostra interna experientia comprobare videtur. Praeterea, quis dicet quod angelus per intermedium spatium mille dietarum ab alio angelo localiter distans sit eidem secundum suam substantiam immediate coniunctus et praesens? Si vero sunt plures numero, eiusdem tamen speciei, sibi invicem succedentes: tunc erit inter eos dare spirituales distantias et situationes nunc (a) magis nunc minus distantes; quod non est bene intelligibile, nisi solum pro quanto unus transcendit alterum in substantia vel potentia aut in habitibus et eorum actibus. — Secundo arguitur: quia ille alius modus essendi non videtur aliud ponere quam angelum esse in se ipso; per hoc autem quod est in se ipso non est praesens neque distans alteri angelo, sicut nec sunt corpora quae utique praeter suas situationes locales semper habent suum esse substantiale secundum quod sunt semper in se ipsis.

Ad primam vero rationem in contrarium factam dicitur quod aspectus intermediae distantiae non est necessarius ad videndum alterum angelum, nisi solum quando contingit ab invicem esse distantes, et tunc eadem ratione est necessarius qua particulares essentias et quidditates corporum distantium non possunt videre seu visibiliter aspicere absque aspectu intermediae distantiae. Huius autem necessitas non est (b) ex hoc quod intellectualia a corporalibus directe seu causaliter dependeant, sed solum obiective et intermediative (c), quando habent videre aliqua in locis corporalibus existentia; tunc enim intellectualis aspectus non potest dirigi et ferri ad illa, nisi dirigatur (d) ad illa loca in quibus existunt. Non est etiam inconveniens quod actus superior egeat actu inferiori respectu propriorum obiectorum actus inferioris, sicut videmus quod intellectus et sensus communis egent visu oculi ad praesentialiter apprehendendum propria obiecta visus. Nec mirum, si actus superior per intermedium actum inferiorem pertingat ad proprium obiectum eius, quia secundum Augustinum, XXII libro *De civitate Dei* (1), intellectus

(a) Add. interl. al. m. (b) Add. interl. al. m. (c) Al. m. corr. (d) Al. m. mg. *a. i. n. d.*

(1) Cap. 29 (PL 41, 797sqq.).

beatorum per intermedium oculorum aspectum fortasse videbunt Deum, prout est [a] actu in corporibus illis. Non enim est intelligendum quod quando ibi nititur astruere quod beati per oculos videbunt Deum praesentem in corporibus mundi, quod velit dicere quod actus oculi aliquo modo attingat substantiam Dei, ita quod videat ipsam in se ipsa et secundum se ipsam, cum etiam vitam animae in corpore non videat oculus in se ipsa, sed solum in quadam refulgentia praesentialiter ab ipsa manante et redundante in corpus. — Ad secundam dicendum quod sicut communiores rationes sunt priores rationibus specificis, licet istae sint completiores et pro tanto dignitate primitatis digniores: sic illud quod competit alicui secundum communiores rationes est prius eo quod sibi competit secundum specificas rationes; particularitas autem et limitatio seu finitas sunt communiores rationes quam sint specifica seu angelica intellectualitas angelorum; localis autem praesentia et distantia competit angelo et omni enti creato propter eorum particularitatem finitam et limitatam ad hic et nunc, et ideo, licet sit imperfectior quibusdam aliis praesentialitatibus intellectualibus [b], nihilominus iuxta modum praedictum est aliquando prior.

Tertia positio est, quod eandem habitudinem localem quam habet angelus ad locum corporalem, quando est in ipso, retinet [c] seu retineret, quantum est ex se, si omnia loca corporalia annihilarentur, ita quod inter angelos prius localiter distantes posset poni tantae distantiae quantitas quanta prius erat inter eos et non aliqua maior; ad hoc autem quod ipsi sic prius distantes fierent post annihilationem corporum sibi praesentes oporteret quod vel miraculose a Deo subito transferrentur [d] aut quod possent se movere quasi per vacuum seu potius per nihilum, sicut faciunt, quando per intermedia loca procedendo [e] sibi invicem appropinquant. Nec propter hoc deberet dici quod angelus esset tunc in loco corporali, sed solum quod habet illam habitudinem seu illud ubi quod haberet, si sibi assisteret locus corporalis; quia tamen ubi locale proprie sumptum in sua ratione continet assistentiam alterius extremi, scilicet loci corporalis: ideo angelus pro tanto non esset tunc dicendus habere ubi [f] locale, quamvis formaliter haberet secundum rem

---

([a]) Add. interl. al. m., del. *in*. ([b]) Al. m. corr. ([c]) Lectio dubia. ([d]) Al. m. ex *transferentur*. ([e]) Al. m. corr. ([f]) Al. m. mg. *habere* et *locale* in ras.

totam intrinsecam essentiam sui ubi. — Rationes autem quae pro hac positione fieri possent facile est colligere ex praedictis.

Eligat igitur quicunque vult aliquam trium praedictarum aut aliquam aliam meliorem.

QUAESTIO XXXIII.

Secundo ([a]) quaeritur an in quolibet angelo sit tota sua species secundum totum ambitum suum, ita quod extra ipsum non possit ([b]) esse aliud individuum eiusdem speciei.

Et quod sic videtur.

1. Primo ([c]), auctoritate Dionysii. Dicit enim, 11 capitulo *Hierarchiae angelicae* ([1]) quod « superiores ([d]) ordines abundanter habent minorum sacras proprietates, inferiores vero maiorum ([e]) superpositas universitates non habent particulariter in eas primo apparentibus illuminationibus per primas eis proportionaliter distributis ». Et 12 capitulo dicit ([2]) quod ultimi ordines non participant universitates ([f]) excelsiorum nec sunt participes ([g]) seu capaces universali et superposita ([h]) virtute maiorum ornatuum seu ordinum. In eodem etiam capitulo dicit quod « ordo sanctorum Cherubim participat altiorem sapientiam et scientiam, inferiores vero ordines qui sunt sub ipsis participant quidem ([i]) sapientiam et scientiam, particularem tamen et valde ([k]) subiectam respectu ipsorum ». In omnibus his videtur Dionysius expresse dicere quod scientia et cetera dona quae sunt in superioribus angelis habeant quandam universalitatem respectu ([l]) scientiae et aliorum donorum quae sunt in ([m]) inferioribus et quod dona

([a]) B[6] om. ([b]) B[6] *sit.* ([c]) B[6] *prima.* ([d]) V al. m. mg. add. *dispositiones* quod B[6] om. ([e]) Al. m. corr., B[6] *numerorum;* B[6] *suppositas* pro *superpositas.* ([f]) B[6] *universitatem;* B[6] *excessorum* pro *excelsiorum.* ([g]) B[6] add. *et.* ([h]) B[6] *supposita.* ([i]) B[6] *quandam.* ([k]) B[6] om. ([l]) B[6] *utilitatem respectu et* pro *u. r.* ([m]) B[6] om.; B[6] *inferiorum* pro *quae... inferioribus.*

([1]) Pseudo-Dionysius, *De cael. hier.*, cap. XI, § 2 (PG 3, 286). ([2]) L. c., cap. XII, § 2 (PG 3, 291).

quae sunt in inferioribus [a] se habent ad dona superiorum sicut particulare ad universale. Sed universalis scientia non potest esse in aliquo subiecto, nisi [b] ipsum sit secundum suam [c] naturam universale [d]; quicquid enim continet in se totum ambitum [e] alicuius universalis non est minoris ambitus quam universale contentum in ipso; ergo et cetera.

2. Secundo, ex proportione potentiae ad suum obiectum: potentia enim et suum obiectum sunt sibi invicem proportionalia; sed obiectum intellectus angelici est universale non solum secundum intentionem, sed etiam secundum rem, quia Deus qui est summe universalis est eius obiectum; ergo potentia intellectus angelici est universalis [f]. — Praeterea, quod attingit totam universalitatem et totum ambitum obiectorum universalium oportet quod sit aequalis ambitus cum eis; sed intellectus eorum attingunt [g] totam universalitatem specierum et generum quas [h] intelligunt, aliter non possent intelligere totum ambitum eorum; ergo et cetera. — Si dicatur quod universalia non sunt aliquid secundum rem, sed solum secundum intentionem seu secundum modum intelligendi: hoc non videtur obstare, quia tantundem est attingere totum ambitum universalis sic se habentis quantum si ita se haberet in re.

3. Tertio, ex infinitate [i] intellectus et voluntatis: omne enim individuum habens intra [k] se infinitam essentiam suae speciei videtur intra se continere totum ambitum suae speciei; sed potentiae angeli hoc habent, ut videtur; quicquid enim actu et simul est capax infinitorum ipsum est actu infinitum; sed potentiae angeli sunt huiusmodi; non enim est dare tantum [l] numerum quin angelus possit [m] maiorem intelligere et velle ac per consequens memorari; ergo potest simul et actu capere numerum maiorem quocunque numero finito; sed nullus est [n] maior quocunque numero finito nisi solum numerus infinitus; ergo et cetera. — Praeterea, ita facile est eis velle infinita sicut [o] et finita, quia etiam [p] nos possumus velle quod infinita simul fierent et essent. — Praeterea, a modernis magistris communiter supponitur quod in [q] memoria [r] angelorum non cadit oblivio, prout oblivio significat cor-

---

[a] Al. m. mg. *et quod... inferioribus.* [b] Ex *nissi.* [c] B[6] om. [d] B[6] *universalem.* [e] B[6] add. *suum.* [f] Al. m. mg. *a. e. u.* [g] Ex *attingat,* B[6] *attingit.* [h] Melius *quae;* B[6] *intelligit* pro *intelligunt.* [i] Al. m. corr. [k] Al. m. corr. [l] B[6] om. [m] B[6] *posset.* [n] B[6] om. [o] Sequitur ras.; *finita* corr. ex *infinita.* [p] B[6] om. [q] Add. interl. al. m. [r] Al. m. corr.

ruptionem specierum memorialium [a]; secundum hoc autem nunquam potest eorum memoria tot simul habere quin adhuc possit habere plures simul cum illis, quia primis existentibus indeletis semper per infinitum successum temporum acquiret [b] alias et alias; sed hoc [c] non potest esse, si eius capacitas est actu finita, quia omnis capacitas actu finita potest repleri et adaequari per aliquas formas finitas tam numero quam essentia et virtute, ita quod [d] non poterit simul cum eis amplius [e] capere, nisi augeatur.

4. Quarto [f], ex respectu eorum ad naturam caeli et corporum caelestium: constat enim quod incomparabiliter maioris sunt nobilitatis [g] angeli quam corpora caelestia; sed secundum Aristotelem, libro [h] *De caelo et mundo* [1], in caelestibus forma occupat totam suam materiam, et haec est causa secundum eum ibidem quare caelum vel mundus non potest plura individua habere, ita quod essent plures mundi vel plures caeli eiusdem speciei; ergo multo magis hoc est in angelis.

5. Quinto, ex parte divinae potestatis [i]: constat enim secundum fidem nostram quod Deus posset facere de duabus rebus unam; videmus enim quod plurimos panes potest convertere in corpus Christi, quod est maius quam si de pluribus per viam [k] compositionis constituere posset aliquod unum; ergo Deus potest duo individua eiusdem speciei ponere in uno, et qua ratione hoc potest de duobus, eadem ratione de tribus vel quatuor et sic in infinitum; ergo Deus potest omnia individua unius speciei ponere in uno, et tunc illud habebit totam naturam [l] suae speciei; sed si Deus potest hoc facere, verisimile est quod hoc fecerit in aliquibus nobilibus creaturis, inter quas praeeminent [m] angeli; ergo et cetera. — Praeterea, quamvis infinitas quantitatis seu dimensionis [n] implicet contradictionem ac per consequens non possit a Deo fieri, sicut in quaestione de infinito est probatum, tamen infinitas simplicitatis seu essentiae simplicis non videtur aliquid contradictionis implicare; nullam [o] enim illarum [p] quae in responsione quaestionis illius [q] tactae sunt in se includit [r], sicut de se patet, quia [s] omnes illae sumuntur

---

[a] Al. m. corr. [b] B[6] *acquirit.* [c] B[6] om. [d] Al. m. mg. [e] B[6] om. [f] B[6] add. *autem.* [g] B[6] *utilitatis.* [h] B[6] *primo.* [i] In ras. [k] B[6] add. *constitutionis.* [l] B[6] *materiam.* [m] In ras. [n] B[6] add. *divisionis.* [o] B[6] *nulla.* [p] B[6] add. *contradictionum.* [q] B[6] *huius quaestionis* pro *q. i.* [r] B[6] *concludit.* [s] B[6] *quod.*

[1] *De caelo,* I, 9, 278a 25sqq., 279a 6sqq.

solum ex infinitate quantitatis continuae vel discretae, nec videtur posse aliqua alia assignari, quia ex hoc non sequetur quod sit aequalis Deo, quia istud erit ens creatum et generis determinati et annihilabile [a] et a Deo semper dependens [b]; ergo videtur quod tale infinitum possit a Deo fieri, et si [c] sic, verisimile est quod aliquod tale fecerit; sed omne tale habebit in se totum ambitum suae speciei; ergo et cetera.

6. Sexto, potest hoc argui logice seu ex communibus [d] sic: in quocunque est tota [e] species et totaliter, ipsum est aequalis ambitus cum sua specie; sed in hoc vel [f] illo angelo est tota sua species et totaliter, quia aut ambitus speciei est de essentia ipsius speciei [g] aut non. Si sic: tunc sequitur quod sit in hoc angelo, quia tota essentia seu quidditas speciei est in eo. Si non: tunc sequitur quod ille ambitus sit accidentalis ipsi speciei; sed si est accidentalis [h], tunc absque ipso potest essentia speciei tota et totaliter esse in hoc angelo; ergo et cetera. — Praeterea, species non est [i] maior in omnibus individuis simul quam in uno solo; ergo ita continetur totus ambitus eius in uno solo sicut in omnibus [k] simul.

Septimo [1], posset argui ostendendo [l] quod non habent [m] formam in materia partialiter [n] receptam, sed potius in se ipsis [o] existentem, probando scilicet quod non habent materiam [p]. Qui modus arguendi satis est tactus in quaestione praecedenti.

Quoniam autem illud propter quod praecipue quidam theologi ponunt eos habere totam suam speciem est universalitas scientiae et [q] specierum quam in eis ponunt, credentes se in eis sequi non solum verba philosophorum, sed etiam verba Dionysii

---

[a] B[6] *ad naturam.* [b] B[6] *dependentis.* [c] B[6] om. [d] Ex *omnibus,* B[6] *divisionibus.* [e] B[6] add. *sua.* [f] Al. m. mg.; B[6] add. *in.* [g] B[6] om. [h] Al. m. mg. *ipsi... accidentalis;* B[6] *si sit* pro *sed si est.* [i] B[6] om. [k] B[6] add. *eius.* [l] B[6] *et.* [m] B[6] *habet.* [n] B[6] *particularis.* [o] Rectius *ipsa.* [p] B[6] *naturam.* [q] Add. interl. al. m.

---

[1] Ad hanc obiectionem nulla datur solutio, sed remittitur ad quaestionem praecedentem.

supradicta: idcirco iuxta [a] hoc quaeratur an sint in eis [b] species universales.

Et quod sic videtur.

1. Dicit enim Dionysius, *Angelicae Hierarchiae* capitulo 10 [c 1], quod prima hierarchia est occultior [d] tanquam invisibilior et magis simplificata et unificata; ergo in ea est scientia unitior et simplicior; sed hoc non potest esse, nisi per unam speciem possint plura scire quam angeli secundae vel tertiae hierarchiae; sed illa species per quam possunt sciri et repraesentari plura videtur esse illimitata [e] et universalis, quia si potest repraesentare plures species rerum, videtur habere ambitum generis, si vero plura individua, videtur habere ambitum speciei, qua enim ratione poterit repraesentare duo, eadem [f] ratione omnia quae sub uno [g] genere vel specie esse possunt; ergo et cetera.

2. Item, quanto aliquid nobilius, tanto simplicius et unitius; ergo quanto scientia et lumen intelligibile superiorum angelorum est [h] nobilior, tanto est simplicior et unitior; sed omnis virtus unita est potentior se ipsa multiplicata; ergo una species vel unus [i] habitus superioris angeli ad plura poterit attingere quam species vel habitus inferioris angeli.

3. Item, universalitas naturarum sensibilium potius est in intellectu [k] universaliter eas intelligente quam in ipsis rebus; sed in intellectu non est nisi ratione speciei vel actus per quam sic [l] intelliguntur [m]; ergo videtur quod ipsa species sit vere universalis.

4. Item, intellectum, in [n] quantum est sic intellectum, est universale et [o], in quantum tale, est in intelligente [p]; quia intellectum, in quantum intellectum, et intellectus, in quantum intelligens, sunt idem secundum Aristotelem [2]; sed, in quantum tale, est idem cum habitu vel actu scientiae; ergo et cetera.

---

[a] B[6] *circa*. [b] B[6] add. *plures*. [c] B[6] 11. [d] B[6] *occulta*. [e] Al. m. corr., B[6] *illuminata*. [f] Sequitur ras. [g] B[6] *sine unius* pro *s. u.* [h] B[6] *etiam*. [i] B[6] om. [k] Corr. *i. i.* ex *intellectu*. [l] B[6] om. [m] B[6] *intelligeretur*. [n] B[6] *intellectuum* pro *i. i.* [o] Al. m. in ras. *e. u. e.* [p] Al. m. *i. i.* ex *intelligente*.

---

[1] Pseudo-Dionysius, *De cael. hier.*, cap. X, § 1 (PG 3, 271).
[2] *De an.*, III, 5, 430a 20; III, 7, 431a 1sq.

5. Item [a], a multis conceditur quod angeli beati per unam simplicem speciem videant Verbum et omnia quae per Verbum et in Verbo vident; ergo si hoc est [b] verum, species illa non solum est universalis, sed etiam universalissima; cum enim species per suam essentiam repraesentet [c] id cuius est similitudo, ita quod ratio repraesentandi illud est ei [d] essentialis: ergo [e] species quae potest [f] repraesentare omnia habet intra suam essentiam rationem omnium specierum et rerum; sed omne tale est illimitatissimum et universalissimum. — Praeterea, quod [g] per suam essentiam repraesentat illud quod est extra omne genus non videtur esse alicuius determinati generis, et maxime cum species per analogiam reducatur ad illud cuius est similitudo; ergo species quae repraesentat Deum erit extra omne genus, et tunc sequitur quod sit plus quam universalis. — Si dicatur quod [h] secundum suum esse est determinati [i] generis, sed non secundum suum repraesentare: contra, suum repraesentare est sibi essentiale nec dicit aliquid diversum a sua essentia [k]; ergo si suum repraesentare est extra genus, et sua essentia erit [l] extra genus.

[Respondeo ad primam quaestionem]

Ad quaestionem primam dicendum quod licet quidam sequentes in hac parte paganos philosophos et Saracenos dixerint [m] et dicant quod quilibet angelus comprehendit totam suam speciem secundum totum suum ambitum, ita quod nihil illius speciei potest esse vel intelligi extra ipsum sicut nec extra ipsam speciem, fundantes se praecipue in duobus, scilicet in omnimoda privatione materiae et in causa multiplicationis numeralis individuorum sub eadem specie vel speciei in plura individua, quam volunt esse materiam et accidentia materialia, quae quia secundum eos nullatenus sunt in angelis, sic per consequens nullo modo poterit in eis numeraliter multiplicari species in [n] plura

---

[a] B[6] add. *etiam.* [b] B[6] *scilicet est* pro *s. h. e.* [c] B[6] *speciem non praesentet* pro *e. r.* [d] B[6] *eis.* [e] B[6] add. *rerum.* [f] B[6] *possunt.* [g] B[6] om. [h] B[6] om. [i] B[6] *determinatum.* [k] B[6] *suum repraesentare consequitur suum esse nec excedit ipsum vel est idem cum eo* pro *suum... essentia.* [l] B[6] *est.* [m] Ex *dixerunt.* [n] B[6] om.

individua: sequendo tamen doctores in hac parte saniores [a] et magis catholicos credo quod haec positio [b] non solum est rationi et veritati contraria, sed etiam in fide valde periculosa. — Quod patet, si consideremus in eis primo rationem suae durationis seu existentiae, secundo [c] rationem suae localitatis seu assistentiae, tertio rationem suae virtutis seu potentiae et efficace, quarto rationem suae quidditatis seu essentiae, ut sic gradatim a suis exterioribus ad eorum [d] interiora intrando videamus quomodo secundum omnem modum [e] ista positio eorum naturae repugnet.

Attendendo igitur primo eorum durationem sequitur ex positione universalitatis quod angeli habeant aeternitatem tam secundum praeteritum quam secundum futurum et talem quod praesentialiter attingant [f] omnia praeterita et futura. Cum enim universale abstrahat ab omni differentia temporis, ita quod non limitatur nec includitur [g] sub praefixo tempore, et quantum est de se, aequaliter [h] respiciat omne [i] tempus: si tale universale ponatur in actu secundum totum ambitum suae universalitatis, oportet quod actualiter et [k] secundum rem praedicta sibi conveniant et etiam omnia illa quae universalibus per intellectum abstractis attribuit intellectus. — Praeterea, constat quod si humanitas haberet actu omnia individua quae sub ipsa in toto decursu temporum possunt esse et poterunt [l] et sic quod [m] quodlibet suorum individuorum in suo proprio tempore staret: tunc tam ipsa quam eius individua attingerent realiter et praesentialiter totum tempus praeteritum et futurum quod esse potuit et poterit; sed multo altior esset [n] ambitus humanitatis, si tota esset in se ipsa universaliter collecta quam quando sic esset diffusa et multiplicata in omnibus individuis suis; ergo tunc et [o] altius et universalius et praesentialius attingeret totum tempus quod esse potuit in praeteritum et in [p] futurum; sed talis ponitur natura cuiuslibet angeli, et tanto altius, quanto secundum eos natura angelica est altior in se ipsa universaliter ab omnibus individuis re-

---

[a] B[6] *sanctiores.* [b] B[6] om. [c] B. om. [d] B[6] om. [e] B[6] add. *eorum.* [f] Ita B[6], V *attinget.* [g] B[6] *praecluditur.* [h] B[6] *qualiter.* [i] Sequitur ras. et lac. [k] Al. m. mg. [l] B[6] om. *e. p.* [m] B[6] om. [n] B[6] *est.* [o] Add. interl. al. m. [p] Add. interl.

collecta. — Praeterea, essentia et suum esse sibi invicem adaequantur; si ergo essentia est universalis: ergo et esse seu existere eius erit universale; ergo habebit universalem permanentiam et durationem; sed universalis duratio attingit omnes durationes praeteritas et futuras. — Praeterea, omnis natura universalis et infinita universalem et infinitam habet actualitatem ad existendum; ergo in infinitum habebit plus de existentia et de virtute existendi quam aliqua natura particularis; ergo existentia et duratio angeli se habebit ad existentiam et durationem animae meae [a] vel animae Christi sicut infinita duratio ad finitam et sicut universalis ad particularem. — Ex praedictis autem non solum sequitur quod habeat aeternitatem omnia simul attingentem, sed etiam quod sit purum necesse, nullam habens possibilitatem ad non esse, quia pro tempore pro quo non solum est actu sed etiam aeternaliter fuit non potest cedere [b] in non esse. — Sequuntur etiam ex praedictis omnia illa inconvenientia quae ad positionem aeternitatis mundi sequuntur, et tanto adhuc plura, quanto altior et simplicior eis aeternitas attribuitur.

Attendendo etiam secundo ad eorum [c] localitatem seu existentiam sequitur ex praedicta positione quod adsit quilibet angelus omnibus locis [d] et omnibus entibus, non solum existentibus, sed etiam possibilibus fieri. Constat enim quod multo pluribus poterit adesse quam posset natura humana existens simul in omnibus individuis quae habere potuit, potest et poterit; quae omnia si simul haberet, non solum esset in infinitis hominibus, sed etiam in infinities infinitis [e]; constat autem [f] quod infinities infiniti homines [g] occuparent infinita loca quae Deus facere posset. — Sequitur etiam quod adsit cuilibet rei et loco totus [h] et totaliter, quia natura angelica sic universalis tantae erit simplicitatis necessario quod nullam vel partialitatem vel divisibilitatem erit in ea dare, etiam ita parum sicut in Deo; ergo nullum locum nec aliquam rem respiciet partialiter, sumendo partialitatem qualemcunque ex parte sua; ex his autem sequitur quod erit ubique eo modo quo Deus ponitur esse ubique. — Praeterea, ex praedictis videtur sequi quod poterit illabi et erit illapsus [i] omnibus mentibus, non solum

---

[a] B[6] *de essentia animae nostrae* pro *ad... meae.* [b] Al. m. [c] B[6] *earum.* [d] Al. m. mg. [e] B[6] *et infinitis.* [f] B[6] *enim.* [g] Al. m. corr., B[6] *omnes.* [h] Al. m. mg. [i] B[6] *alibi et erit illa plus* pro *illabi... illapsus.*

ex hoc quod iam positus est omnibus adesse simplicissime et totalissime ac per consequens intimissime [a], sed etiam ex hoc quod eius substantia et virtus erit in infinitum virtuosior et simplicior quam mentes nostrae et plus excedens eas quam universale excedat suum particulare.

Attendendo etiam tertio ad eorum virtutem, potentiam et efficaciam videtur primo sequi quantum ad potentiam recipiendi quod quicquid in eis erit receptum aut recipi poterit necessario erit universale; non enim videtur quod accidens particulare possit esse in subiecto universali, sicut nec accidens universale in subiecto particulari; omne enim accidens informat totum subiectum suum [b] aut partem eius, cum enim in subiecto universali non sit dare partem, oportebit quod suum accidens informet eum totum. — Praeterea, subiectum reducitur in actum per suum accidens; non autem videtur quod subiectum universale possit reduci in actum per formam aliquam [c] partialem seu particularem. — Praeterea, omne subiectum et omnis potentia receptiva est coordinata [d] et coaptata et coordinabilis et coaptabilis [e] accidenti quod in se recepit; sed nulla natura universalis videtur posse coordinari et coaptari et aliquo modo subici ad aliquod particulare, quia tunc oporteret quod haberet in se partialem ordinem et respectum. — Ex his autem videtur iterum sequi quod omnis habitus et actus gratiae et gloriae et cuiuscunque scientiae sint in eis universales; et tunc sequetur quod gratia et gloria et omnes actiones et habitus cuiuslibet angeli transcendant gratiam et gloriam, meritum et praemium et omnes habitus et actus animae Christi et aliarum animarum beatarum, sicut universale transcendit suum particulare et sicut infinitum transcendit finitum. In animabus enim nostris nihil poterit esse aut recipi nisi particulare et finitum, pro eo quod subiectum earum est particulare et finitum [f]; omne autem accidens est conclusum et quasi [g] circumscriptum intra limites sui subiecti. — Sequetur etiam tunc quod nullum vitium nec aliqua [h] affectio aut cogitatio particularis possit esse [i] in daemonibus nec aliqua revelatio particularis in bonis angelis sive malis. Ex his iterum sequetur quod nullum vitium nec aliquis habitus

---

[a] Al. m. corr. [b] Ita B[6], V *eius*. [c] B[6] *angelicam*. [d] Al. m. corr. [e] B[6] *coordinata et cooperativa et cooptabilis et coordinabilis* pro *coordinata... coaptabilis*. [f] B[6] om. *pro eo ... finitum*. [g] B[6] om. [h] B[6] *angelica*; idem subinde. [i] V B[6] om.

vel actus eiusdem speciei possit esse in pluribus angelis, quia habitus vel actus qui erit in uno eorum erit in eo [a] secundum totum ambitum suae speciei. — Esto autem quod ad ista quis [b] diceret quod accidens particulare bene potest recipi in eorum potentia universali: adhuc tamen sequetur quod potentia eorum non esset repleta per illud accidens, usquequo haberet illud universaliter et infinite. Et tunc sequetur quod non habeant gratiam et gloriam vel malitiam et culpam quanti fuerunt capaces, nisi habeant ea in quadam universalitate et infinitate. Cum igitur ponatur quod gloria replet potentias, saltem propinquas [c], beatorum, adhuc sequetur quod in eis sit gloria universalis et infinita. — Praeterea, adhuc videtur sequi quod in eis nullum accidens nec aliquod aliud possit recipi aut sit receptum, quia in natura sic [d] universali et sic simplici et sic actuali et infinita non videtur posse poni potentia receptiva, sicut ex iis quae in praecedenti quaestione sunt tacta satis patere potest. Et tunc sequitur quod in eis nullus [e] verus sit habitus vel actus differens a substantia eorum nec in eis possit esse aliqua mutatio vel variatio et sic per consequens quod status bonitatis vel deliciarum quem [f] ab initio habuerunt omnino immobiliter et uniformiter et necessario perseveret in eis. Et sic indubitanter philosophi pagani senserunt et locuti sunt de eis tanquam de quibusdam diis aeternis et omnino invariabilibus.

Amplius, attendendo ad eorum potentiam activam sequitur quod quicquid exibit ab eorum potentia activa secundum totum suum conatum est infinitum et universale. Et tunc visio et dilectio qua Deum vel se ipsos [g] vident et diligunt erit universalis et infinita, quia saltem [h] illa exit ab eis secundum totum suum conatum. Quis enim dicet quod voluntas universalis et infinita non diligat se amore universali et infinito [i], et tunc, si bona vel beata est, quin tantum et amplius diligat Deum suum? Et consimiliter erit sentiendum [k] de intellectu universali et infinito, habente virtutem infinitae efficaciae et infinitae [l] simplicitatis. Ex [m] hoc autem non solum sequuntur omnia inconvenientia praemissa,

---

[a] B[6] *actus qui erit in uno eorum erit qui non sit in ea* pro *actus ... in eo.* [b] Ita B[6], V *aliquid.* [c] B[6] om *s. p.* [d] Al. m. mg. [e] Al. m. mg., al. abbr. del. [f] Al. m. mg.; B *malitiae* pro *deliciarum.* [g] B[6] *ipsum.* [h] Ex *salta.* [i] B[6] *infinita.* [k] Ita B[6], V *censendum.* [l] Al. m. mg. *e. i.* [m] B[6] *Et.*

sed etiam ultra haec [a] sequetur quod quicquid de Deo videbunt vel diligent in tanto excessu et ita intense videant et diligant quod non possit ab aliquo alio, etiam a Deo, in maiori excessu vel plus [b] intense diligi, quia quicquid de Deo videbunt videbunt visione infinita et universali, et ita nullo termino limitabitur [c] in videndo illud, sed quicquid ultra dederis, totum attinget et apprehendet; si enim in aliquo termino sisteret, tunc non videret illud visione infinita et universali. — Praeterea, cum omnis natura universalis habeat infinitam essentiam et virtutem [d] et infinitam existentiam et simplicitatem: videtur quod omnis talis natura erit in se ipsa existens, et maxime cum omne participatum sonet in partialitatem et particularitatem, quia idem est participatum quod partialiter captum seu receptum; ergo omnis habitus qui in angelo ponetur universalis et [e] infinitus erit per se existens et in nullo subiecto receptus seu participatus; et tunc necessario sequetur quod omne intelligere angeli et omne velle eius sit omnino idem cum sua substantia aut saltem quod sit alia substantia ab eo immediate producta. — Quod quanta alia inconvenientia in se implicet satis de se patet. — Amplius sequitur quod possint res, etiam infinitas, solo suo imperio creare; quod quia prolixiorem deductionem et pleniorem sui notificationem exigit, in quaestione an angeli possint creare et an eis possit communicari [f] potentia creandi plenius tangetur.

Attendendo etiam quarto [g] ad eorum essentiam vel quidditatem primo quidem ex praedicta positione sequetur quod omnis ratio quae in essentia unius angeli includetur, sive sit ratio generis sive differentiae sive ratio entis [h] et veritatis et unitatis et consimilium, quod secundum totum suum ambitum sint in eo, ita quod nulli duo angeli poterunt aliquo modo [i] convenire univoce in aliqua [k] ratione eis essentiali; quia sicut natura specifica ponitur in eis esse secundum totum suum ambitum, pro eo quod non est participata in materia, sed solum existens in se ipsa: sic eadem ratione erit de [l] quacunque ratione eis essentiali, quaelibet enim erit existens in se ipsa et in nulla materia recepta [m]. Si dicatur quod immo erunt receptae in

---

[a] B[6] *deteriora* pro *u. h.* [b] Ita B[6], V *ita*. [c] Ponendum fuit *limitabuntur, attingent, apprehendent, sisterent, viderent.* [d] B[6] *infinitum esse materia et virtute* pro *infinitam ... virtutem.* [e] Add. interl. al. m. [f] Al. m. ex *communicare.* [g] B[6] *Quartam attendendo etiam scilicet* pro *a. e. q.* [h] B[6] *ratio sive differentiae ratio sive entis* pro *ratio ... entis.* [i] B[6] om. [k] B[6] *angelica.* [l] Al. m. mg. *e. d.* [m] B[6] *accepta.*

ipsa natura specifica: contra hoc est, quia natura specifica nihil aliud dicit nisi rationes generum et rationes differentiae specificae; nihil autem est [a] dictu quod ratio seu natura generis recipiatur in natura differentiae, quia natura generis potius est fundamentum differentiarum et potius habet se ad eas per modum prioris et radicis [b] quam e contrario, et consimile est de rationibus superiorum generum [c] respectu generum inferiorum. — Praeterea, si in essentia eorum esset compositio recipientis et recepti, tunc ibi esset necessario compositio materiae et formae, sicut patet ex praecedenti quaestione. Si igitur dicatur quod nihil inconveniens est eos in nulla ratione essentiali univocationem habere, sed potius omnis ratio in qua communiter convenire videntur est in eis analogice et tali analogia quae nihil univocationis in se habet: tunc sequitur quod angeli non sint in aliquo uno praedicamento, immo [d] etiam quod nullus eorum sit sub aliquo genere vel praedicamento. Et tunc, quando dicimus quod angeli habent voluntatem vel intellectum: per nomen voluntatis vel intellectus non intendimus significare potentias aliquam univocationem, etiam generis, in eis habentes [e], sed potius est sermo quasi aequivocus. — Praeterea, actus specifici potentiarum nullam univocationem, saltem generis, inter se [f] habentium omnino sunt inter se diversarum specierum et etiam diversorum generum, et maxime cum actus videatur trahere rationem generis a potentia a qua exit et non in qua existit. Ex hoc autem sequitur quod intelligere et velle unius angeli nec specie nec genere conveniat cum intelligere et velle alterius angeli: constat enim quod velle est actus proprius potentiae volitivae et intelligere intellectivae. Quanta autem inconvenientia in hoc includantur cuivis deducenti faciliter patere potest. — Praeterea, in natura intellectuali eorum non videtur posse poni differentia nisi secundum gradus intellectualitatis et libertatis superiores et inferiores, actualiores et minus actuales; sed talis differentia non mutat speciem nisi solum in illis in quibus natura ex ratione suae speciei est sic determinata ad talem gradum quod, si ultra illum [g] ascendat [h] vel infra illum descendat, necessario transit in aliam speciem; sed na-

---

([a]) In ras. *n. a. e.* ([b]) Al. m. ex *radacis.* ([c]) B^6 add. *et.* ([d]) B^6 *uno.* ([e]) B^6 *potentiam aliquam univocationis et generis in eis habentes* pro *potentias... habentes.* ([f]) B^6 *univocationum saltem generis inter se non* pro *nullam ... inter se.* ([g]) B^6 *illam.* ([h]) Al. m. ex *descendat.*

tura intellectus et voluntatis non solum in angelis sed etiam in nobis non videtur ex ratione suae speciei habere tales [a] limites, ad minus in sursum ascendendo; non enim intellectus ex eo quod fit essentialiter [b] intellectualior vel voluntas ex eo quod fit liberior videtur mutare speciem, sicut in eorum habitibus videmus [c] quod caritas ex eo quod plus diligit [d] vel fides ex eo quod [e] firmius credit vel castitas ex eo quod purior est vel iustitia ex eo quod iustior est [f] et sic de aliis non per hoc mutant suas species, sed per hoc potius [g] plenius attingunt ad eas. — Praeterea, unde poterit [h] probari quod Deus non posset naturam cuiuslibet angeli tam quoad materiam quam quoad formam semper magis augere et meliorare, sicut et nos firmiter supponimus quod naturam [i] animae Christi in tantum fecerit nobilem, etiam in suis naturalibus, quod non solum transcendat [k] omnia naturalia mentium nostrarum, sed etiam naturalia angelorum? — Praeterea, quando ratio obiectiva alicuius potentiae secundum hoc [l] quod est eius ratio est ambitus infiniti: tunc potentia illa non videtur mutare speciem per hoc quod fit potentior ad [m] rationem illam magis ac magis [n] attingendam; sed ratio [o] veritatis et bonitatis secundum hoc quod sunt rationes obiectivae [p] intellectus et voluntatis sunt huiusmodi; ergo per ascensum ad eas magis ac magis attingendas non videntur potentiae illae speciem mutare, alias quando potentiae nostrae transeunt de statu fidei ad statum gloriae, viderentur [q] speciem mutare, quod est haereticum.

Secundo etiam sequetur [r] quod qua ratione Deus potest facere unam naturam angeli specificam in se ipsa [s] universaliter existere, eadem ratione poterit [t] hoc de quacunque ratione generali entis creati; et tunc sequeretur quod Deus posset creare unum ens quod haberet in se totam rationem entitatis [u] generalissime et abstractissime acceptae.

Tertio videtur sequi quod hoc sit factum [v] in eis, quia sicut ratio eorum specifica est [x] manens in se ipsa, sic et ratio essentiae et ratio [y] unitatis et consimilium non sunt

---

[a] B[6] *tale.* [b] B[6] *in eo naturali.* [c] B[6] *videamus.* [d] B[6] *diligitur.* [e] Add. interl. al. m. [f] Ita B[6], V om. [g] B[6] add. *et.* [h] B[6] *possit.* [i] B[6] natura. [k] B[6] *transcendit.* [l] B[6] om. [m] B[6] *aliud per.* [n] B[6] om. *a. m.* [o] B[6] om. [p] Al. m. ex *obiectae.* [q] B[6] *videretur.* [r] B[6] *sequitur.* [s] B[6] om. [t] B[6] *potuit,* om. *eadem ratione.* [u] B[6] *entis.* [v] B[6] add. *subiectum,* om. *hoc.* [x] Al. m. ex *et,* B[6] *et.* [y] B[6] om.

in eis participatae, sed aeque bene in se ipsis existentes, sicut et ratio eorum [a] specifica; ergo videtur quod quilibet eorum habeat intra se totum ambitum rationis, entitatis et veritatis [b] generalissime et abstractissime acceptarum; ex quo [c] indubitanter sequitur quod quilibet eorum sit vere summum ens et summus Deus. Unde sicut imaginans albedinem simplicem simplicitate intellectuali in sua [d] imaginatione duo incompossibilia [e] comprehendit, utpote quod albedo sit forma corporalis [f] et in specie albedinis corporalis et quod cum hoc sit forma intellectualis et in aliqua specie intellectualium: sic imaginans angelum universalem imaginatur [g] eum esse simul creaturam et Deum.

Quarto sequitur quod essentia cuiuslibet eorum erit summae simplicitatis et absolutionis et summae abstractionis [h] secundum modum secundum quem hoc fuit probatum in secunda parte responsionis quaestionis praecedentis.

Ex omnibus [i] autem praedictis satis colligi potest quam periculosus sit iste error, quia ex hoc ponitur in creatura immensa aeternitas secundum ante et post, immensa localitas seu praesentialitas, immensa simplicitas et quod nullum in eis est [k] accidens particulare et quod in eis nulla passio vel receptio et quod quicquid est in eis est eorum substantia et quod quantum ad naturam, gratiam et [l] gloriam transcendunt in infinitum animam Christi et omnem aliam animam et quod gratia et gloria est in omnibus eadem numero aut non eadem specie et sic [m] de omnibus habitibus et actibus tam gratuitis quam vitiosis et quod in nullo sunt praedicamento et quod in nullo penitus univocantur. Et si quis bene inspexerit omnia dicta philosophorum de pluralitate deorum, recte ille [n] error omnia illa in se includit. Et isto etiam errore fortissime astruitur [o] quod non sit in omnibus hominibus nisi unus intellectus, quia omnia illa per quae probatur universalitas naturae specificae [p] in quolibet angelo possunt adduci aeque [q] efficaciter ad probandum quod tota species intellectus humani est in una substantia universaliter recollecta. Quaedam etiam [r] alia inconvenientia ex re-

---

[a] B[6] *essentiae.* [b] Al. m. mg. *e. v.* [c] B[6] add. *ergo.* [d] Al. m. corr.; B[6] *imagine* pro *imaginatione.* [e] B[6] *impossibilia.* [f] B[6] om. [g] B[6] *imaginantur.* [h] B[6] add. *absce*[nis]. [i] B[6] om. [k] Ita B[6], V om. bis. [l] B[6] om. *g. e.* [m] Al. m. [n] B[6] *iste.* [o] Ex *abstruitur,* B[6] *astrahitur.* [p] B[6] *ne secundum speciem* pro *n. s.* [q] Ex *aequa.* [r] B[6] *et.*

sponsione secundae quaestionis huic superius adiunctae [a] inferius ostendentur.

Positio igitur quae tenet quod [b] plures aut omnes angeli sunt aut esse possunt eiusdem speciei est tenenda.

Et hanc expresse tenet Damascenus, unde [c] in *Logica* sua, capitulo de substantia [d] et natura, dicit [1]: « Exteriores philosophi naturas vocaverunt, id est, species specialissimas, ut angelum, hominem, equum, ut universaliores et [e] contentivae hypostasum ». Ecce quod angelum dicit esse speciem specialissimam plura individua sub se continentem. — Item infra, capitulo 16, de persona dicit [2]: « Gabriel cum sancta Dei genitrice disputans, unus angelorum existens, solus illic [f] praesens disputavit, separatus a consubstantialibus [g] angelis per eam quae est in loco praesentiam et disputationem »; haec Damascenus. Constat autem quod angeli non possunt dici consubstantiales ratione originis; ergo oportet quod hoc [h] sit ratione substantialis univocationis.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum ergo in contrarium dicendum quod Dionysius per nomen universalitatis intendit significare quendam [i] superexcessum scientiae et aliorum donorum qui est in superioribus angelis respectu inferiorum, et e contrario per nomen partialitatis intendit significare notabilem parvitatem donorum respectu superiorum; sicut si [k] diceremus quod sol respectu candelae [l] vel carbonis habet quandam universalitatem luminis vel quod fornax respectu [m] scintillae habet quandam universalitatem caloris, quamvis utrumque sit particulare, totam suam speciem non comprehendens.

Ad secundum dicendum quod quando dicitur quod potentia proportionatur obiecto, non est sensus quod habeat eandem naturam vel proprietates quas habet obiectum, quia

---

[a] B[6] *ad superius iunctae* pro *s. a.* [b] B[6] *ad.* [c] B[6] om. [d] B[6] add. *orbis.* [e] B[6] om. [f] B[6] *hic.* [g] B[6] *substantialibus.* [h] B[6] *per hoc.* [i] B[6] *quandam.* [k] B[6] *et si.* [l] B[6] repet. *superiorum sicut et si diceremus respectu.* [m] B[6] *candeae.*

---

[1] *Dialectica,* cap. 30 (PG 94, 590sq.). [2] L. c., cap. 43 (PG 94, 614).

contrarium huius manifeste [a] experimur; oculus enim [b] videt caelestia, incorruptibilia et terrena inanimata, et tamen non est caelestis et incorruptibilis nec inanimatus. Sensus igitur est, quod oportet potentiam esse coaptatam et coordinatam ad obiectum sub [c] aliquo certo modo et tali secundum quem sit apta nata apprehendere ipsum. Non igitur sequitur quod, si intellectus apprehendit universale, quod sit universalis; sicut nec sequitur quod, quia apprehendit Deum, quod [d] propter hoc sit Deus. Et consimiliter potest responderi, si de habitu vel actu argumentum simile [e] formaretur. — Ad id [f] autem quod additur, quod scilicet attingunt totum ambitum universalium: aut intelligit de ambitu quem [g] habent in re [h] actu aut de ambitu quem habent ibi [i] in potentia aut de ambitu quem habent secundum modum intelligendi. Primus ambitus est actu finitus, quia in rebus nihil est de universalibus nisi finitum et particulare. Secundus ambitus est infinitus potentia et non actu, et sumitur hic large potentia pro omni modo possibilitatis secundum quem natura speciei vel generis potest in infinitis [k] individuis multiplicari; hanc autem infinitatem non attingit aliquis intellectus creatus nisi per [l] viam negationis et superexcessus, intelligendo scilicet quod non habet [m] limitem in sui [n] multiplicitate, sed quod [o] transcendit omnem limitem. Tertius etiam sequitur modum istum [p], quia intellectus naturae universali non attribuit [q] aliam infinitatem secundum veritatem [r] nisi solum immediate praemissam. Ex his autem non sequitur aliqua infinitas vel universalitas in intellectu hoc modo apprehendente [s] ambitum universalium. — Quando [t] autem dicitur quod tantumdem est [u] attingere universale sic intellectum quantum si esset in re: falsum est; quia [v] si esset in re, tunc esset actualiter infinitum et ideo non posset totaliter [x] attingi nisi per potentiam actualiter infinitam.

Ad tertium dicendum quod licet contra maiorem illius argumenti posset [y] instari, ad praesens sufficit dicere

---

[a] B[6] *multipliciter.* [b] B[6] om. [c] B[6] *ab.* [d] B[6] *quia.* [e] B[6] om. [f] B[6] *illud, scilicet quod* pro *quod scilicet.* [g] B[6] *quam.* [h] B[6] add. *actuum.* [i] B[6] *sibi.* [k] Al. m. *in infinitis* ex *infinitis.* [l] B[6] *secundum.* [m] B[6] *non esse* pro *s. q. n. h.* [n] B[6] *sua.* [o] Ita B[6], V om. [p] B[6] *modus istius* pro *m. i.* [q] B[6] *intellectus universali attribuit* pro *intellectus... attribuit.* [r] B[6] *in veritate* pro *s. c., praemissa* pro *praemissam.* [s] B[6] *comprehendente.* [t] B[6] *Quod.* [u] Add. interl. al. m.; B[6] *attingit* pro est *attingere.* [v] B[6] *quod.* [x] B[6] om. [y] B[6] repetit.

quod minor est falsa. Ad eius autem probationes [a] satis est responsum in responsione ad nonum argumentum quaestionis an Deus possit facere aliqua actu infinita [b].

Ad quartum dicendum quod quando dicitur quod caelum occupat totam suam materiam, aut intelligitur de materia quam nunc habet aut de tota materia quam Deus creare posset. Si de prima: sic in [c] nullo excedit corpora alia particularia nisi solum in hoc quod materia sua non potest sibi per viam naturae tolli nec forma sua potest in materia corruptibilium per agens naturale aggenerari. Si vero de secunda hoc accipiatur: tunc est falsum [d] et erroneum [e], quia Deus posset aliam materiam creare et forma consimilis speciei [f] eam vestire, immo et formam quam nunc habet caelum posset illi materiae dare, quin etiam materiam elementorum posset caelesti forma induere. Non autem per hoc intendo negare quin Aristoteles crediderit Deum ista non posse, quia forte ipse sensit [g] quod Deus fecit caelum ita magnum quam [h] facere potuit et quod quicquid facere potuit per se et immediate totum fecit ab aeterno et necessario. Sic enim Averroistae credunt eum sensisse. Si autem ita [i] sensit, diabolice sensit [k].

Ad quintum dicendum quod posito quod Deus possit per viam compositionis de pluribus angelis facere unum angelum, non tamen ex hoc sequitur quod possit de infinitis; sicut nec sequitur quod licet Deus possit de pluribus panibus facere unum, quod idem possit de infinitis. Cuius ratio est, quod infinita nullo modo possunt actu esse vel fieri ac [l] per consequens non possunt in compositionem [m] alicuius simul concurrere. Si autem loquamur de modo quo Deus per conversionem convertit plura in unum, tunc sciendum quod per hoc nullum [n] augmentum substantiale accrescit rei in quam [o] convertuntur, sicut patet de corpore Christi. Et ideo [p] nihil ex hoc potest contra propositum [q] argui. — Ad rationem vero quae ibidem subditur [r] dicendum quod si actualis infinitas ponatur in angelis, aut hoc fit per infinitam aggregationem partium formalium seu virtualium, et tunc includuntur ibi contradictiones illae quae in [s] infinito

---

[a] B[6] *probationem.* [b] B[6] *aliquem actum infinitum a. a. i.* [c] B[6] *de.* [d] Al. m. mg., del. *primum.* [e] Ex *erronee.* [f] B[6] *specie.* [g] B[6] *sentit.* [h] B[6] *quantum.* [i] B[6] *intra.* [k] B[6] om. *d. s.* [l] B[6] *aut.* [m] B[6] *compositione.* [n] Al. m. mg., del. *nullum.* al. abbrev.; B[6] *argumentum* pro *augmentum.* [o] B[6] *qua.* [p] B[6] *omnino.* [q] B[6] *propositionem.* [r] B[6] *subicitur.* [s] Al. m. mg.

secundum quantitatem discretam vel continuam includuntur; aut hoc fit cum omnimoda simplicitate, ita quod est simplex, omnino carens partibus et cum hoc [a] infinitae essentiae et virtutis. Hic autem modus indubitanter convenit soli Deo. Unde ponere quod aliquod creatum sit tale est ponere ipsum esse summum Deum, quia ubicunque est talis simplicitas cum tali infinitate [b], ibi sunt penitus idem totus et totaliter; et ita, cuicunque aderit, totum et totaliter, quantum est ex parte sua, secundum totalitatem suae virtutis illi actioni aderit [c]; tunc etiam [d] oportebit quod sua essentia et duratio sit simul simplex et infinita et quod tota et totaliter sit simul. Ex quibus, si quis vult alia inconvenientia in iis inclusa deducere, omnia inconvenientia praemissa sequuntur et adhuc plura. — Quod autem in fine istarum rationum subditur, quod si essent infinita, haberent totum ambitum suae speciei: non oportet hoc simpliciter esse verum de infinitate [e] quae est per infinitarum partium aggregationem, quia ponendo hodie unam lineam infinitam [f], non propter hoc posui omnes lineas quae extra ipsam per totam superficiem possunt poni nec propter hoc posui omnes illas quae in praeteritis temporibus potuerunt [g] eam praecedere nec illas quae [h] in futuris temporibus possunt ei [i] succedere; quamvis eo modo quo in hac infinitate contradictoria implicantur posset fortasse [k] ostendi quod simul haberet totum ambitum speciei et non simul haberet, de quo ad praesens non curo.

Ad sextum dicendum quod quando dicitur quod species non est secundum totum suum ambitum in aliquo [l] individuorum suorum, per nomen ambitus non intendimus significare aliquid realiter additum essentiae ipsius speciei, sed solum volumus dicere quod non sic est in isto quin simul cum hoc possit esse in alio; secundum tamen modum intelligendi secundum quem intelligimus ipsam essentiam speciei, acsi haberet realem [m] in se unitatem et universalitatem et acsi cum reali [n] unitate esset una in omnibus individuis suis, distinguitur [o] in ea totum et totaliter; sicut in Deo distinguitur [p] simplex et immensum, non per hoc quod sint realiter diversa, sed per hoc quod est ibi realiter

---

[a] Ita B[6], V add. *est*. [b] Al. m. corr.; B[6] *idem* pro *ibi*. [c] B[6] om. *totum... aderit*. [d] B[6] *et tunc* pro *t. e.* [e] Al. m. corr. [f] B[6] *ponendo lineam unam et illam infinitam* pro *ponendo... infinitum*. [g] B[6] *poterunt*. [h] B[6] om. [i] Ex *eis*. [k] B[6] om. [l] Sequitur ras. [m] B[6] om. [n] B[6] om. *c. r.* [o] Ita B[6], V *distinguerentur*. [p] Ita B[6], V *distinguuntur*.

veritas utriusque. Ex nullo autem istorum modorum sequitur quod quamvis in quolibet sit tota [a], quod propter hoc sit ibi totaliter; nec ex primo modo sequitur quod eius ambitus seu totalitas sit ei accidentalis, nisi diceretur quod essentiae speciei est accidentale esse in suis individuis. Posset tamen dici quod ei, prout est in uno individuo, est accidentale esse in altero et e contrario, quamvis le [b] accidentale non significet hic accidens proprie sumptum, quod scilicet informat subiectum cuius est accidens. Ex secundo autem modo bene [c] sequitur quod totalitas non est [d] secundum rem essentialis [e] essentiae ipsius speciei, sed solum secundum [f] modum intelligendi; quia sic intelligitur, acsi [g] ita se haberet [h] in re, quantum est ex parte modi intelligendi, sicut in quaestione de universalibus satis est tactum. — Ad rationem vero quae subditur dicendum quod quamvis non sit maior in pluribus quam in uno, tamen plures existentias [i] habet et [k] plura individua occupat in pluribus quam in uno. Nec tamen modus ille arguendi est bonus, quia quamvis Deus non sit maior in pluribus locis quam in uno solo, non tamen propter hoc sequitur quod capiatur totaliter a quolibet loco; quamvis etiam angelus non sit [l] totaliter in qualibet parte sui loci, non propter hoc debet dici quod sit maior in omnibus partibus simul quam in una sola, quia tunc per hoc non solum significaretur quod [m] non esset totaliter in qualibet parte, immo etiam quod non esset ibi totus.

QUAESTIO XXXIV.

Tertio [n] ad illud quod iuxta hoc quaerebatur [an in angelis sint species universales]

Respondeo

Quod licet sequaces primae positionis teneant [o] quod in angelis sint species universales et quod in superioribus sunt universaliores quam in iis qui sunt inferiorum ordinum et in-

---

[a] B[6] om. [b] B[6] om. [c] B[6] *unde.* [d] B[6] om. [e] B[6] *naturalis.* [f] B[6] *per.* [g] B[6] *sed hac* pro *ac.* [h] B[6] *habet.* [i] B[6] *essentias.* [k] Al. m. ex *in.* [l] B[6] *angeli non sint* pro *a. n. s.* [m] B[6] *quia.* [n] B[6] om. [o] B[6] *sequentes positiones caveant* pro *s. p. p. t.*

super volentes quod universalitas earum [a] sit talis quod per unam similitudinem apprehendatur [b] tota una natura [c] specifica cum omnibus individuis suis et aliquando [d] totum unum genus cum omnibus speciebus suis et cum omnibus individuis specierum suarum: sequendo tamen viam magis catholicam et rationi [e] amplius consonam teneo quod in nullo angelo nec in aliqua penitus creatura est dare huiusmodi species praedictam universalitatem habentes; tum quia si quis bene inspexerit [f], omnia inconvenientia praemissa includuntur in ista positione sicut in positione praecedenti; tum quia praeter inconvenientia praedicta adhuc alia [g] ad hoc sequuntur.

Primo quidem [h], quia ex hoc sequitur quod angeli uno actu cognoscant infinita, etiam illo modo quo nec Deo cognitio infinitorum potest attribui, utpote quod per modum unius entis et unius totius seu unius aggregati infinita simul cognoscant; sicut enim ostensum est in quaestione an Deus possit actu facere infinita, talis modus cognoscendi infinita includit [i] in se omnes contradictiones quas positio infinitorum in actu in se includit. Quod autem talis modus cognitionis ex ista positione in eis [k] sequatur patet: quia sicut illa species est una, sic totum suum obiectum repraesentabit ut unum totale obiectum, quamvis ex pluribus aggregatum, nisi forte dicatur quod [l] potens est unumquodque infinitorum per se et absolute repraesentare sicut et essentia divina; quod si ita esset, nescio si aliquid [m] divinius et ineffabilius eis attribui posset. — Sequetur etiam quod cognoscant actu et simul totam divisibilitatem et divisionem [n] continui, acsi tota esset [o] expleta; et consimiliter cognoscent [p], saltem supremi angeli, infinitas species numerorum et figurarum et omnia individua quae possunt esse sub eis. — Sequetur etiam quod [q] specie uniformiter repraesentante semper uniformiter omnia cognoscant ac per consequens quod individua quae non sunt [r] cognoscant esse actu, sicut et illa quae sunt, et e contrario quod illa [s] quae sunt cogno-

---

[a] B[6] *eorum.* [b] B[6] *apprehenditur.* [c] Ex *essentia.* [d] B[6] *aliquando et;* add. interl. al. m. *suis.* [e] B[6] *rationem.* [f] B[6] *aspexerit.* [g] Al. m. mg. *a. a.* [h] B[6] *quidam.* [i] B[6] *concludit.* [k] B[6] om. *i. e.* [l] Ita B[6], V *quia.* [m] B[6] *aliquis.* [n] Ex *divisione.* [o] B[6] *esse.* [p] B[6] *cognoscant.* [q] B[6] om. *e. q.* [r] B[6] om. *cognoscant... sunt.* [s] B[6] om.

scant non esse actu, sicut et illa quae non sunt; quoniam uniformiter et per eandem similitudinem omnia simul repraesentantur.

Sequetur etiam quod ita cognoscant futura contingentia sicut praesentia et praeterita, quia omnes cogitationes futuras quae sunt eiusdem speciei cum cogitatione praesenti quam nunc cognoscunt [a], ita cognoscent actu et praesentialiter sicut et istam, ex quo per unam similitudinem cognoscunt [b] totam speciem et infinita individua eius; et idem sequetur de omnibus locutionibus [c] et operationibus futuris quae sunt eiusdem speciei cum locutione vel operatione praesenti [d]. Et ultra hoc, si est [e] species supremi angeli, cognoscent omnes locutiones et operationes [f] quae sunt eiusdem generis cum praesenti cogitatione vel locutione vel operatione. — Sequetur etiam quod omnia secreta cordium quae sunt eiusdem speciei vel generis cum aliquibus quae sunt eis nota ita aperte et ita certitudinaliter cognoscant sicut et illa. — Sequetur etiam quod ita cognoscant quaecunque absentia, quantumcunque longe distantia, sicut et praesentia, solum [g] sint eiusdem generis [h] vel speciei cum illis. — Sequetur etiam quod nullam variationem in obiectis cognoscere possint [i] nisi prius facta variatione in speciebus per quas huiusmodi obiecta vident vel sciunt.

Multa alia inconvenientia possent ex praedicto errore deduci [k], et praedicta possent adhuc plenius explicari. Altior enim universalitas quoad plura attribuitur ab eis huiusmodi [l] speciebus quam attribuant [m] naturis angelorum, quia hic ponitur quod una species per aequivalentiam seu potius per praevalentiam comprehendat [n] in se omnes proprias rationes et generales omnium [o] individuorum et omnium specierum et generum quae per eam cognoscuntur aut cognosci possunt, acsi imaginaremur unam [p] lucem quae haberet in se realiter et per indifferentiam rationes proprias et generales omnium specierum colorum et luminum et omnium [q] individuorum suorum vel [r] acsi imaginaremur formam unam quae haberet in se rationes generales et proprias omnium formarum. Et indubitanter [s] talis forma esset extra omne genus et super

---

[a] B[6] *cognoscuntur.* [b] B[6] add. *et.* [c] Corr. in ras. [d] B[6] *praesentis.* [e] B[6] om. [f] B[6] *sint universaliores, ita quod per eas cognoscent cogitationes omnes* pro *cognoscent... operationes.* [g] B[6] *si.* [h] B[6] om. [i] B[6] *possunt.* [k] B[6] *educi.* [l] Al. m. corr. [m] B[6] *attribuat.* [n] B[6] *apprehendit.* [o] B[6] om. [p] Al. m. [q] Al. m. mg. *e. o.* [r] Sequitur ras. [s] Al. m. ex *dubitanter.*

omne genus [a] ac per consequens vere [b] idem quod summus Deus. — Sequetur etiam quod Deus non possit eas [c] diminuere vel augere; diminuere quidem [d] non, pro eo quod sunt simplicissimae, ita quod omnia sunt in ea id ipsum [e]; augere vero [f] non, quia continent in se totum ambitum suae speciei et etiam quia sunt actu infinitae et etiam quia, si augerentur, aliquid eis adderetur, ac per consequens caderet in eis compositio et componibilitas et sic per consequens partialitas et particularitas [g].

Sequetur etiam quod gradatim ascendendo Deus poterit facere unum angelum et unam speciem in eo tantae [h] altitudinis quod per illam [i] cognoscet totum ambitum entis aut saltem totum ambitum unius generis generalissimi; quia qua ratione potest facere quod unus cognoscat per unam speciem totum ambitum unius generis proximi et alius eo superior possit per aliam speciem [k] totum ambitum superioris generis: eadem ratione poterit facere quod alius eo superior possit [l] in totum ambitum unius generis generalissimi et iterum quod alius eo superior possit in totum ambitum entis et tunc iterum quod alius isto superior possit in aliquid maioris ambitus quam sit totus ambitus entis et sic semper in infinitum magis ac magis ascendendo. — Sequetur etiam quod omnis species quae est in intellectu unius angeli nullam habeat penitus univocationem cum speciebus quae sunt in altero angelo ac per consequens [m] quod nec eorum actus, et fortassis ad hoc sequetur quod nec eorum obiecta; quamvis hoc modo [n] non sequatur quod [o] ipse cognoscit eadem obiecta quae et nos, et tamen cognoscit ea per aliquid quod in illo nobiscum univocatur. — Sequetur etiam quod qua ratione species [p] intellectus angelici habent huiuscemodi universalitatem, eadem ratione habeant hoc et habitus voluntatis eorum, ita quod unus [q] habitus caritatis vel cuiuscunque virtutis seu vitii sit [r] simul et semel potens in omnia [s] obiecta particularia contenta sub suo generali obiecto et sic per consequens quod uno actu tendat [t] in omnia secundum omnes proprias rationes eorum et non solum secundum generales, sicut et

---

[a] B[6] om. *e. s. o. g.* [b] B[6] om. [c] B[6] *eam.*. [d] B[6] *quod.* [e] B[6] *eis ad ipsum* pro *e. i. i.* [f] B[6] om. [g] B[6] om. *et sic... particularitas.* [h] B[6] om. [i] B[6] *eam.* [k] B[6] *quod alius alio eo superior possit per illam aliam speciem cognoscere* pro *alius... speciem.* [l] B[6] *adhuc superior* pro *e. s. p.* [m] B[6] add. *obiectis.* [n] Ita B[6], V *Deo.* [o] Ita B[6], V *quia.* [p] B[6] *habitus.* [q] Ita B[6], V *unius.* [r] B[6] *sint.* [s] In mg. [t] B[6] *tendant.*

de specie intellectus ponitur. — Praeterea, quaero ab istis quomodo cognoscent [a] affirmationes et negationes ex obiectis diversarum specierum suarum constitutas [b], utpote si angelus intra se dicat quod obiectum istius speciei non est obiectum illius, aut quomodo cognoscet [c] subiectum esse sub tali vel tali accidente. Haec autem et multa consimilia infra in quaestionibus de cognitione [d] angeli plenius tangentur.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum [e] dicendum quod [f] in omnibus verbis [g] Dionysii est regulariter advertendum quod semper loquitur de angelis et eorum cognitione, prout sunt beati, nec [h] intendit eis attribuere simplicitatem et unificationem [i] omnimodae indivisibilitatis, sed solum pleńioris recollectionis ad unum summum Deum. Ex modo autem talis simplicitatis non sequitur quod quamvis species angeli superioris sint [k] hoc modo simpliciores, quod propter hoc possit plura cognoscere [l] per unam speciem quam angeli inferiores; sed bene ex hoc sequitur quod per illam speciem simpliciori et unitiori [m] modo cognoscat suum obiectum quam angelus inferior per suam.

Ad secundum dicendum quod prima propositio non est vera semper et necessario de simplicitate omnimodae indivisibilitatis, sed solum de simplicitate maioris recollectionis et unitionis sui et suarum partium. — Illa autem consequentia [n], qua dicitur quod virtus unita est potentior quam multiplicata, ergo ad plura se extendit, non infert necessario, quia potentior potest esse [o], aut quia ad plura se extendit aut quia ad unum et idem intensiori et efficaciori modo pertingit. Et sic patet quod procedit a duabus [p] causis veritatis ad unam, quod est fallacia [q] consequentis. — Si quis [r] tamen ad haec duo argumenta praedicta [s] afferre vellet exemplum quod auctores [t] praedictae positionis solent afferre, quod scilicet [u] videmus quod magister in una propo-

---

[a] B[6] *illis quomodo cognoscant* pro *i. q. c.* [b] B[6] *quae sunt ex... constitutae* pro *ex... constitutas.* [c] Concinnius *cognoscent.* [d] B[6] *cogitatione.* [e] B[6] add. *ergo.* [f] Ita B[6], V add. *primo.* [g] B[6] add. *illis.* [h] B[6] *et.* [i] B[6] *univocationem.* [k] B[6] om. [l] B[6] *cogitare.* [m] B[6] *altiori.* [n] B[6] *inconvenientia.* [o] B[6] *valet quod enim aliqua virtus sit potentior quam alia dupliciter contingit* pro *infert... esse.* [p] B[6] *duobus.* [q] Al. m. mg., del. *falsa.* [r] B[6] om. [s] B[6] om. [t] Al. m. mg. *q. a.* [u] B[6] add. *sicut*, om. *afferre quod.*

sitione seu in uno primo [a] principio multam scientiam et multas conclusiones simul et unite comprehendit, quod discipulus facere non poterit [b], nisi per magistrum sibi divisim et partialiter explicentur [c], ex quo videtur quod magister plura simul et per unum comprehendat, discipulus vero [d] hoc non possit nisi per plura et successive, si igitur hoc invenitur in nobis, videtur quod in angelis multo magis [e] possit inveniri: dicendum ad istud [f] quod magister apprehendendo [g] unam propositionem seu unum principium non apprehendit plura explicite nisi per plures species aut per unam ex pluribus compositam seu aggregatam, immo quot terminos explicite [h] cognoscit, tot eorum [i] species explicite habet; unde cum quis [k] cogitat quod homo non est asinus, tunc necessario habet in suo cogitatu speciem hominis et speciem [l] asini. Sciendum igitur quod aliud est plura simul cognoscere [m] in relatione ad unum, aliud cognoscere illa per unam speciem. Magister igitur, quia [n] habet scientiam protensiorem et recollectiorem [o] et pleniorem et magis explicatam quam discipulus, potest primo modo plura simul cognoscere quam discipulus, non autem secundo modo. Et consimiliter [p] est de superiori angelo respectu inferioris.

Ad tertium dicendum quod universalitas quam intellectus attribuit naturis rerum in abstracto et universaliter intellectis non est sic in intellectu ut ponat in eo aliquam realem universalitatem; non enim est ibi nisi [q] sicut res imaginata in imaginatione aut sicut repraesentatum [r] in repraesentante, repraesentantia autem non sunt [s] secundum rem illud quod repraesentant. Quamvis igitur species repraesentet intellectui universalitatem quam rebus attribuit, non propter hoc sequitur quod sit universalis, sed solum ex hoc sequitur quod sit repraesentativa universalitatis. Si dicas quod non potest repraesentare non ens, saltem veraciter, species autem [t] repraesentat huiusmodi universalitatem absque omni falsitate: dicendum quod non ens bene [u] potest repraesentari absque omni falsitate, solummodo quod per hoc non affirmetur quod ita sit in re, unde imaginans ro-

---

[a] B[6] om. [b] B[6] *sine facere non comprehendit poterit* pro *f. n. p.* [c] B[6] add. *et sic.* [d] B[6] *et.* [e] B[6] add. *videtur.* [f] B[6] *illud.* [g] B[6] *comprehendendo.* [h] B[6] add. *habet.* [i] Ita B[6], V *earum.* [k] Ita B[6], V *aliquid.* [l] Sequitur ras. [m] B[6] add. *cogitare.* [n] B[6] om. [o] B[6] *pronitiorem* pro *p. e. r.* [p] B[6] *similiter.* [q] B[6] om. [r] B[6] *repraesentatione.* [s] B[6] *aut non ponunt possunt* pro *a. n. s.* [t] B[6] *aut*, om. *species.* [u] B[6] *unde.*

sam in tempore [a] quo nulla est rosa non est falsus, nisi crederet quod ita esset in re. Intellectus autem, quando cogitat in rebus universalitatem, non sic cogitat hoc quod ita credat esse [b] in re et absolute et realiter, sed solummodo cogitat [c] hoc, credendo quod non est ita in re absolute et realiter; cogitat [d] enim tunc quod quamvis res non sit in se universalis, tamen intellectui sic absolute absque sua individuatione offertur [e], acsi non esset individua et [f] acsi non esset in individuis multiplicata, sed potius acsi esset in eis sine omni [g] sui plurificatione existens, quia tunc non cogitat eam, prout in ea differunt, sed solum prout in ea conveniunt.

Ad quartum dicendum quod aliud est dicere quod [h] intellectum, in quantum est sic intellectum, est universale et aliud quod intellectum, in quantum est sic intellectum, videtur esse quasi universale et offertur [i] intellectui quasi universale. Primo modo non est simpliciter vera maior propositio, nisi per le [k] « universale » idem intelligas significare [l] quod in secundo modo expressius significamus. — Quod autem additur quod intellectum, in quantum tale, est in intelligente [m]: sciendum quod haec [n] locutio potest intelligi vero modo et falso. Si enim sit sensus quod rem intellectam intelligi non [o] est aliud quam intelligentem intelligere ipsam, sic est verum; per hoc enim [p] nihil aliud significamus nisi quod passivum huius verbi « intelligere » nihil ponit in re intellecta, sed solum in ipso intelligente [q], quia secundum rem non est aliud quam suum activum, et [r] idem est de laudare et laudari et amare et amari. Ex hoc autem nihil potest inferri contra propositum. Si autem sit sensus quod praeter habitum et actum intelligendi sit [s] in intellectu quoddam obiectum abstractum in quo intellectus intelligat et speculetur obiectum quod est in rebus extrinsecis [t] existens, quamvis hoc quidam [u] posuisse videantur dicentes quod intellectus intelligendo format quoddam primum intellectum in quo speculatur rem exteriorem, unde dicunt quod res exteriores non sunt ab intellectu primo intellectae, sed solum secundario, nec sunt prima eius obiecta, sed potius

---

[a] B^6 add. *in*. [b] B^6 *sit* pro *c. e.* [c] B^6 *et solummodo cogitant* pro *s. s. c.* [d] B^6 *sicut cogitat.* [e] B^6 *offeratur.* [f] B^6 *indivisibilis* pro *i. e.* [g] B^6 *aliqua.* [h] B^6 om. [i] B^6 *differtur.* [k] B^6 *li.* [l] B^6 om. [m] Al. m. *i. i.* ex *intelligente.* [n] Ex *hic.* [o] B^6 *intelligentium* pro *i. n.* [p] B^6 add. *quod.* [q] Corr. [r] B^6 *sicut et.* [s] B^6 *sicut.* [t] Ita B^6, V *extrinsecus.* [u] B^6 *quidem.*

secundaria: nihilominus hoc est falsum et, quia nulla ratione fulcitur, eadem facilitate solvitur qua probatur. De improbatione tamen huius dicti in quaestionibus de cognitione intellectus humani plenius habet tangi. Esto autem quod aliquid tale esset in eo (a), adhuc differt ab (b) habitu et actu scientiae sicut effectus a sua causa et sicut formatum (c) differt a suo principio (d) formativo et ab actione per quam formatur, quia (e) ipsi ponunt quod huiusmodi intellectum (f) efficitur et formatur ab intellectu per actum intelligendi intermedium.

Ad quintum dicendum quod de specie per quam Deus et res in Deo videntur videtur esse doctorum modernorum triplex sententia: quia quidam volunt quod species qua Deus videtur sit particularis et quod quot rationes vel (g) ideae in Deo videntur, tot species sint in intellectu eas vidente, quae quidem species non sunt simpliciter unum et idem nisi solum per aliquam unam coordinationem earum. Quoad istos autem nullum (h) est argumentum quantum ad primam rationem ibi factam, quia tunc ex falsa suppositione procedit. — Ad secundam vero respondent quod maior est falsa, quia tunc sequeretur quod nulla imaginatio Dei esset determinati generis ac per consequens quod nulla mens (i) angelica vel humana sit determinati generis (k). Sicut igitur non (l) oportet quod similitudo lapidis (m) sit lapis: sic non (n) oportet quod similitudo rei quae est extra omne genus sit extra omne (o) genus. — Quod etiam ibi additur, quod similitudo reducitur ad idem genus cum re cuius est similitudo, non est verum simpliciter, quia species qua (p) intelligo lapidem nullo modo est in genere lapidis; secundum quid tamen forte potest esse verum in (q) similitudinibus naturaliter (r) resultantibus et originatis ab ipsis rebus, ut est radius a luce solari. Isti (s) autem bene volunt quod repraesentare ipsius speciei (t), pro quanto non dicit aliud quam essentiam ipsius speciei, sit determinati generis sicut et ipsa, et quod solum pro tanto possit dici indeterminati generis, pro quanto per hoc (u) non

---

(a) B6 *ipso,* om. *tale.* (b) B6 add. *hoc.* (c) B6 *formativum.* (d) B6 add. *et.* (e) B7 add. *quod.* (f) B6 *intellectus.* (g) B6 *seu.* (h) Al. m. mg., del. *nullum* (al. abbrev.). (i) Al. m. corr. (k) B6 *imago Dei* pro *d. g.* (l) B6 *quod.* (m) Al. m. ex *lipidis.* (n) B6 *ita nec* pro *s. n.* (o) B6 om. (p) B6 *quam.* (q) B6 *scilicet de.* (r) B6 *sensibiliter.* (s) B6 *Ipsi.* (t) B6 *repraesentari ipsi rei* pro *r. i. s.;* al. m. *pro.* (u) B6 *aliquam essentiam sit determinati generis sicut et ipsa, pro quantum ipsum repraesentant, non est in determinato genere repraesentare ipsius speciei posset dici indeterminati generis, per hoc enim* pro *non dicit... hoc.*

intendimus aliud significare nisi quod suum obiectum per eam repraesentatum sit indeterminati [a] generis. Unde quando profertur quod suum repraesentare non est determinati generis, duplex potest esse sensus [b]: aut quod non est obiecti [c] habentis determinatum genus aut quod non habet [d] essentiam et definitionem quae sit in aliquo genere determinato. Primo modo est vera, secundo modo est falsa [e]. — Et per hoc patet ad contraargumentationem [f] in fine illius rationis factam.

Alii vero volunt [g] quod per unam speciem universalem hoc fiat. Hi sunt sequaces [h] positionis praemissae quae ponit universalitatem specierum in angelis. Quamvis enim [i] mentes hominum ponant non comprehendere totum ambitum suae naturae specificae, sed potius esse particulares eiusdem speciei: nihilominus concedunt quod in eis possint esse aliqui [k] habitus universales. Unde et in anima Christi ponunt habitum gratiae sic universalem quod, ut dicunt, comprehendit in se quicquid est de ratione gratiae seu totum ambitum gratiae, quamvis non comprehendat totum ambitum entis. Isti igitur concedunt conclusionem argumenti praedicti.

Contra hos autem [l] sunt fere omnia praedicta, et [m] ultra hoc, quia ponere mentes nostras esse particulares et simul cum hoc habere aliquod accidens universale est aperte ponere simul duo [n] contradictoria in eodem. Constat enim quod accidens continetur et circumscribitur a suo subiecto, ita quod non excedit [o] limites capacitatis eius; constat etiam quod universale habens realiter et actu totum ambitum suae universalitatis excedit in infinitum limites subiecti particularis nec habet aliquam proportionem ad ipsum. Ponere igitur habitum universalem in mente particulari est ponere quod habitus ille sit simul particularis et universalis, finitus et infinitus [p], proportionalis illi menti et improportionalis [q], et consimiliter quod mens illa sit particularis et [r] universalis, finita et infinita, proportionalis et improportionalis infinitati [s] sui accidentis. Quis autem fidelis ferat audiens quod visio qua Petrus videt Deum aut caritas

---

[a] B[6] *repraesentat sit determinati* pro *r. s. i.* [b] B[6] add. *scilicet.* [c] Al. m. mg., del. *beati.* [d] B[6] *habent.* [e] B[6] om. [f] B[6] *argumentem.* [g] B[6] *dicunt volentes.* [h] B[6] *sequentes.* [i] B[6] *igitur.* [k] B[6] *possunt esse alii* pro *p. e. a.* [l] B[6] om. [m] B[6] add. *etiam.* [n] B[6] om. [o] B[6] *excedat.* [p] B[6] add. *et.* [q] B[6] *proportionaliter.* [r] B[6] om. [s] Ita B[6], V *infiniti.*

qua fruitur Deo non sit eiusdem specici, immo nec eiusdem generis cum visione et caritate Pauli aut angeli in cuius hierarchia et ordine est collocatus [a]? Et tamen hoc expresse ponit positio praedicta. De hoc autem quod ponunt de gratia animae Christi, licet prima fronte videantur honorare animam Christi: nihilominus haec positio [b] praedicta inconvenientia in se includit et ultra quod secundum hoc nihil est dare gratiae in aliqua mente humana [c] vel angelo, quin totum [d] sit essentialiter recollectum et contentum in gratia animae Christi; alias [e] enim non potest esse verum quod gratia eius contineat in se quicquid est de ratione gratiae et totum ambitum eius. Ex hoc autem sequeretur quod aut nulla gratia sit in aliqua anima vel [f] angelo nisi in sola anima Christi aut quod eadem gratia numero quae est in anima Christi esset in angelis et in animabus [g] sanctis. Quis etiam ferat quod caritas animae Christi aut visio gloriae suae nullam habet univocationem cum caritate et visione [h] aliarum animarum aut angelorum? hoc enim sequitur ex positione [i] praedicta. Praeterea, cum ipsi ponant quod species qua unusquisque beatorum videt Deum et res in Deo sit universalis: quomodo species qua anima Christi videt Deum transcendet [k] in infinitum tot species universales [l]? volunt enim ipsi quod gratia animae Christi transcendat in infinitum gratiam omnium [m] animarum. Praeterea, quomodo tot universales species et visiones respectu eiusdem obiecti et eiusdem rationis obiectivae poterunt poni absque aliqua sui univocatione [n]? unde etiam tot differentiae poterunt inveniri ut per eas omnes inter se genere aut specie differant?

Tertii [o] autem volunt quod species qua Deus et res in Deo [p] videntur sit particularis et simplex et quod in sua simplicitate sine omni reali differentia sui seu sine [q] reali additione vel augmentatione sibi [r] superaddita sit efficax ad repraesentandum tam Deum quam omnia quae beatis in Deo repraesentantur et revelantur aut revelari possunt. Dicunt etiam [s] hoc esse possibile in ista specie et non in aliis, pro eo quod ista per se et principaliter repraesentat Deum

---

[a] B[3] *collocatur* pro *e. c.* [b] Ita B[6], V om. *h. p.* [c] Ita B[6], V om. [d] Al. m. ex *toto.* [e] B[6] *aliter.* [f] B[6] *alia anima vel in* pro *a. a. v.* [g] Ex *animalibus.* [h] Al. m. mg. *c. c. e. v.* [i] B[6] *ratione.* [k] B[6] *transcendit.* [l] B[6] om. [m] B[6] *aliarum.* [n] B[6] *alia sui mutatione* pro *a. s. u.* [o] B[6] *Quia.* [p] B[6] om. *i. D.* [q] B[6] om. [r] B[6] om. [s] B[6] *enim.*

simplicissimum; et quia Deus repraesentatus ab ea est exemplar omnium rerum, idcirco species ista est potens secundario repraesentare res quarum est Deus exemplar. In aliis autem speciebus non est sic, quoniam ipsae primo et per se repraesentant res et ideo oportet secundum definitionem [a] rerum eas esse distinctas; habitus enim distinguuntur secundum definitionem obiectorum formalium et principalium. Et hinc est quod species qua Deus videtur est, ut dicunt, una et simplex, quia eius formale et principale obiectum est simplex; in aliis autem obiectis est e contrario et per consequens in speciebus per quas cognoscuntur.

Quamvis autem haec posito [b] sit quorundam doctorum nostrorum, quia tamen quoad multa quae in ea includuntur vehementer videtur favere errori praemisso de universalitate specierum, idcirco quaedam dubia et forte periculosa quae in ipsa includi videntur paululum explicabo. — Quorum unum est, quod species praedicta sine omni [c] reali sua differentia et sine reali additione vel augmentatione sibi [d] superaddita sit efficax ad repraesentandum omnia quae beatis in Deo praesentantur [e] aut revelantur. — Aliud [f] est, quod species ista sit [g] simplex. — Tertium est, quod quia [h] eius formale obiectum est realiter seu essentialiter unum et simplex, quod propter hoc ipsa sit realiter et [i] essentialiter una et [k] simplex. — Quartum est, quod quia non repraesentat [l] res nisi secundario, per unum scilicet principale obiectum intermedium, idcirco non oportet eam distingui secundum diversitatem rerum.

Primum enim videtur esse dubium, quia constat quod illa species repraesentat omnia quae repraesentat per suam essentiam, unde naturale et essentiale est ei suum repraesentare; sed omne essentiale et naturale semper manet actu, quamdiu est actu tota essentia et natura illius cuius erat essentiale; ergo tota repraesentatio actualis ad quam illa [m] species est potens per suam essentiam tota erit simul, et hoc semper [n],

---

[a] B[6] *omnino oportet quod secundum distinctionem* pro *i. o. s. d.* [b] Ita B[6], V om. *h. p.*; B[6] om. *sit.* [c] B[6] *aliqua.* [d] B[6] om. [e] B[6] *repraesentantur*; B[6] *vel* pro *aut.* [f] Ex *Aut.* [g] B[6] om. [h] B[6] *quia quod* pro *e. q. q.* [i] B[6] *seu.* [k] B[6] om. [l] Ita B[6], V *repraesentant.* [m] B[6] *illas.* [n] B[6] *per se.*

quamdiu tota essentia illius speciei erit actu; ergo beati scient actu per eam quicquid eis in Deo revelari potest in tota successione suae aeviternitatis et quicquid eis antea revelari potuit; et tunc sequitur quod nihil restet eis in Deo revelandum et quod nihil in eis de novo sit revelatum, ex quo per illam speciem fuerunt beatificati; sequetur [a] etiam quod actu videant infinita [b], quia infinita possunt eis successive revelari in Deo; et tunc [c] iterum sequetur quod ipsa [d] species et eius actus habeant actualem infinitatem.

Forte dicetur, sicut et ab istis communiter dicitur, quod species non repraesentat actu nisi solum illa ad quae tam ipsa quam [e] eius potentia est actu conversa; et ideo per hoc quod intellectus beatorum de novo convertitur ad aliqua ad quae prius non erat conversus et per hoc quod species de novo convertitur et refertur ad illa potest quilibet beatus per eandem speciem de novo [f] videre plura in Deo quae alias [g] non vidit, et per hunc modum possunt eis successive et de novo plura [h] revelari. Videturque huius simile [i] esse in nobis: quamvis enim multas species habeamus actu [k] in memoria et multos [l] habitus intellectuales in intellectiva potentia, non tamen scimus actu quicquid per eas scimus habitu, sed indigemus adhuc [m] novis et pluribus conversionibus intellectus nostri.

Sed quod haec [n] evasio non sit bona videtur: Primo, quia species ista non est in memoria sed potius in acie intelligentiae et est semper coniuncta actui, quia aut est idem quod ipse actus aut est essentiale et immediatum principium ipsius. Unde in tali specie [o] non habet locum exemplum praedictum nec innovatio conversionis, quia ista semper est actu conversa ad suum obiectum et ad suum actum, immo semper est eis coniuncta aut forte secundum aliquos est omnino idem quod ipse actus. — Secundo, quia species ista [p] non potest fieri in acie intelligentiae, nisi ipsa acies sit prius naturaliter conversa ad obiectum quod per illam speciem videri potest aut ad speciem memorialem [q] quae secundum Augustinum tenet locum et vicem obiecti. Et haec est sententia Augustini, libro *De*

([a]) B[6] *sequitur.* ([b]) B[6] add. *quod.* ([c]) B[6] *revelari* pro *e. t.* ([d]) Sequitur ras. ([e]) Al. m. mg. ([f]) B[6] add. *convertitur et revertitur aut.* ([g]) B[6] *aut.* ([h]) Al. m. mg. *vidit... plura.* ([i]) Al. m. mg. ([k]) B[6] om. ([l]) Ita B[6], V *multo.* ([m]) Al. m. ex *ad hoc.* ([n]) Ex *hoc.* ([o]) Sequitur ras.; B[6] om. *ipsius.* ([p]) B[6] om. ([q]) B[6] *memoralem.*

Trinitate [1] et in pluribus aliis locis. Et hoc ipsum manifeste experimur tam in [a] intellectu quam in omnibus potentiis apprehensivis [b]. Non igitur potest poni nova conversio sequens istam speciem, sicut supponit praedicta evasio, sed potius oportet quod conversio [c] ad quodcunque obiectum quod per ipsam [d] videtur naturali ordine praecedat ipsam speciem. — Tertio, quia [e] sive subsequatur eam conversio sive praecedat, nunquam potest per eam aliquid videri aut repraesentari, nisi ipsa habeat in sua essentia rationem illius obiecti repraesentativam; ergo praeter praedictas [f] conversiones oportet quod in ea sint essentialiter tot rationes repraesentativae quot res possunt per eam videri. Nec potest dici quod istae rationes sibi de novo adveniant, nisi aliquid essentiale sibi de novo adveniat [g] et nisi sit tale quod habeat in se plenam rationem speciei repraesentantis seu repraesentativi. Si igitur nullo [h] tali sibi addito possunt per eam [i] videri quaecunque possunt [k] beatis in Deo [l] revelari: tunc oportet quod ipsa [m] habeat in suo esse [n] in simul actu infinitas rationes infinitorum revelabilium. — Quarto, quia actus visionis non est minoris simplicitatis et nobilitatis quam ipsa species, cum principalis [o] ratio gloriae et principale complementum eius potius consistat [p] in actibus quam in habitibus; ergo si species unica [q] et simplex potest [r] se extendere ad omnia revelabilia: et unicus simplex actus poterit consimiliter ad omnia se extendere; sed hoc est impossibile, quia [s] constat quod quando fit [t] aliqua nova revelatio, tunc de novo fit [u] aliqua nova visio, incipit enim beatus tunc [v] de novo videre aliquid quod prius non videbat, et consimiliter constat quod quando subtrahitur aliqua revelatio prius facta, tunc subtrahitur aliqua visio, desinit [x] enim beatus [y] aliquid videre quod prius videbat; esto autem quod nihil tale ibi subtrahatur: nihilominus a Deo subtrahi posset beato in statu gloriae existente. — Quinto, quia constat quod

---

[a] Add. interl. al m.; B[6] om. *manifeste.* [b] B[6] *appressissivis.* [c] Al. m. mg. *s. p. o. q. c.* [d] B[6] *ipsum.* [e] B[6] add. *quod, eum* pro *eam.* [f] B[6] *dictas.* [g] B[6] om. *nisi... adveniat.* [h] Ita B[6], V *nulli.* [i] B[6] *possit omnia* pro *p. p. e.* [k] B[6] *posssit.* [l] B[6] repetit *in Deo.* [m] B[6] om. [n] V *in sua* pro *i. s. e.* quae habet B[6]; B[6] *simul* pro *in simul.* [o] B[6] *principali.* [p] B[6] *sed potius si constat* pro *p. c.* [q] Al. m. corr. [r] B[6] *possit.* [s] B[6] *qui.* [t] Ex *fuit;* idem subinde; B[6] add. *potest.* [u] B[6] add. *alia.* [v] B[6] *nunc.* [x] Al. m. corr., B[6] *defuit.* [y] Ita B[6], V *homo.*

---

[1] Lib. XI, 3, 7 (PL 42, 988sqq.).

una species non potest [a] in plures visiones seu in plures actus diversae speciei [b], et posito quod posset in plures, non posset in infinitos [c] infinitarum specierum; sed secundum viam [d] praedictam posset una simplex species in infinitos actus seu visiones diversarum specierum [e], quia quot revelabilia [f] diversarum specierum possent beatis revelari, in tot actuales visiones diversarum specierum posset una simplex species beatorum. — Sexto, quia constat quod per novas conversiones nihil de novo videtur, nisi de novo aliqua nova species et aliqua [g] nova visio ipsi intellectui innascatur; sicut et manifeste [h] de oculo experimur, unde quantumcunque [i] ad plura convertatur in tenebris, nihil per hoc de novo videt, quia nulla species vel visio sibi de novo ingignitur [k]. — Septimo, quia esto quod beatus divino munere elevetur [l] ad hoc ut intensius [m] et clarius videat Deum et omnia quae prius in Deo videbat: quaero tunc an species sit facta intensior et clarior et maior, et oportet necessario dicere quod sic; sed non potest talis esse effectus per solam additionem novarum conversionum, nisi aliquid essentiale et eiusdem speciei sibi addatur, sicut patet ex iis quae istimet de augmento gratiae [n] et habituum alibi pro certo affirmant. — Octavo, quia constat quod beatus non videt aliquid in Deo per suam speciem, nisi illa species sit similis illi [o] ideae per quam illa res a Deo videtur, ita quod oportet quod sit illi ideae similis [p] non solum secundum generalem rationem ipsius, sed etiam secundum propriam; ergo si praedicta positio vera est, sequitur quod species uniuscuiusque beati [q] sit similis omnibus ideis et rationibus quae in Deo sunt secundum propriam rationem uniuscuiusque idearum et rationum; et tunc sequitur quod haberet [r] immensitatem quasi aequalem immensitati idearum et rationum divinarum, quia oporteret eam esse [s] similem omnibus ideis et rationibus quae per totam aevi [t] successionem possent eis revelari. — Nono, quia quaero an Deus possit hanc speciem diminuere; et credo quod oportebit dicere quod Deus de absoluta potentia gloriam Petri vel cuiuscunque beati potest minuere.

---

[a] B[6] *sit.* [b] B[6] *species.* [c] B[6] *plures diversae speciei, non tamen in plures* pro *posset... infinitos.* [d] B[6] *unam.* [e] Al. m. mg. [f] B[6] om. *diversarum... revelabilia.* [g] B[6] *alia.* [h] Al. m. mg., del. *manifeste* (al. abbrev.). [i] B[6] *quamcunque.* [k] B[6] *inarguitur.* [l] B[6] om. [m] B[6] *tentius.* [n] B[6] *isti de augmento* pro *i. d. a. g.;* in ras. *habituum.* [o] B[6] add. *speciei.* [p] B[6] om. *per quam... similis.* [q] B[6] *bene.* [r] B[6] add. *quandam.* [s] B[6] *oportet eam tunc* pro *o. e. e.* [t] B[6] *eius.*

Quaero [a] etiam an species inferioris beati sit univoca et eiusdem speciei cum specie superioris beati, et utique ipsimet [b] dicunt, sicut et dicere habent, quod sic, et loquor de specie respectu eiusdem ideae vel rationis obiectivae; constat autem quod species inferioris beati est multo minor quam species superioris beati; ergo oportet quod ista habeat [c] aliquid plus de essentia suae speciei et illa aliquid minus. Ex utroque autem istorum sequitur quod in eorum specie sit dare partem et partem ac per consequens quod sint ex pluribus compositae. Si dicatur quod ibi solum est dare partem et partem respectu graduum maioris intensionis et remissionis, non autem respectu extensionis ad plura obiecta: miror quare non ita faciliter concedant posse ibi cadere pluralitatem respectu [d] plurium obiectorum sicut respectu unius intensius et remissius repraesentati. — Decimo, quia cum de novo converti sit de novo aliqua mutatione mutari, non videtur quod species possit per se nova conversione converti, nisi nova mutatione mutaretur et variaretur [e]; species autem, cum sit forma, non potest mutari nisi per accidens, nisi forte tunc eam per se mutari dicamus, quando aliquid essentiale sibi additur vel subtrahitur, quae mutatio potius esset contra eos [f] quam pro eis; ergo speciei non potest dari aliqua nova conversio nisi per accidens, scilicet per hoc solum quod potentia convertitur. Et consimiliter nulla nova relatio [g] potest sibi per se advenire [h] nisi ex mutatione sui aut ex mutatione alterius extremi, quod quidem non est aliud quam suum obiectum; quod nullo modo hic ponitur mutari, quia [i] eius obiectum est Deus [k].

Secundum, scilicet quod ista species sit simplex, iam ex praemissis patet quam sit dubium, quia ex omnibus praemissis potest improbari; omnia enim probant [l] speciem istam esse ex pluribus aggregatam. — Praeterea, videtur ex hoc sequi quod haec species contineat in se totum ambitum plurium generum et specierum, quia constat quod per hanc speciem poterunt successive repraesentari et videri infinita individua unius speciei et plurium specierum et infinitae species figurarum et numerorum et aliorum generum, ex quo per solam innovationem conversionum [m] ipsa est de se potens ad omnia sufficienter repraesentanda. Si autem

---

[a] B[6] hic incipit novam quaestionem. [b] B[6] *itaque ipsemet* pro *u. i.* [c] V B[6] *habeant.* [d] Al. m. mg. [e] B[6] om. *e. v.* [f] Al. m. [g] B[6] *resolutio.* [h] V B[6] *adinvenire.* [i] B[6] *quod.* [k] B[6] om. [l] B[6] *ostendunt.* [m] B[6] *conversionem innovationum* pro *i. c.*

hoc ita se habet, tunc ex hoc iterum sequuntur omnia inconvenientia quae supra ex positione universalitatis ostensa sunt sequi. — Praeterea, constat quod haec species cum simplicitate praedicta oportebit quod habeat vehementem intensionem seu magnitudinem essentiae et virtutis; sed sicut supra in quaestione de materia [a] angelorum et etiam in sequenti quaestione de universalitate est probatum, ubicunque [b] haec duo per talem modum occurrunt [c], idem est ibi totum et totaliter; et tunc qua ratione illud simplex sine [d] differentia partium ad tantam magnitudinem attingit et ad tantam virtutem, eadem ratione et ad infinitam. Multaque [e] alia inconvenientia ex hoc sequuntur, sicut de se et ex iis quae supra dicta sunt satis faciliter patere potest. — Praeterea, qua ratione [f] Deus potest facere quod illa species habeat in se vim plurium specierum sine aliqua sui compositione vel diversitate, eadem ratione poterit facere [g] quod una alia forma creata habeat in se vim plurium formarum. Et tunc posset Deus facere quod per unam formam simplicem corpus humanum esset corpus et quod per eandem [h] esset complexionatum [i], organizatum, vegetatum et sensificatum; et tunc rediret positio de unitate formarum. Tunc etiam posset facere quod forma lapidis simul esset forma auri et omnium metallorum et forma plantae et forma asini et sic de aliis aut saltem quod per aequivalentiam seu praevalentiam haberet in se vim et rationem omnium illarum formarum [k] et consimilium.

Tertium etiam videtur esse dubium [l], immo aperte falsum, quia ex hoc sequeretur [m] quod habitus caritatis et eius actus essent omnino idem cum ista specie et eius actu [n]; quia constat quod non habent [o] in Deo obiecta secundum rem diversa, ita parum enim differunt [p] in Deo realiter bonum et verum seu sapientia et amor sicut et plures ideae. — Praeterea, secundum hoc sequeretur [q] quod species ista [r] deberet in omnibus conformari et quasi coaequari unitati et simplicitati et immensitati sui obiecti. — Praeterea, quare [s] tunc ex eadem ratione non sequitur quod species duorum

---

[a] B[6] *natura.* [b] B[6] *utrumque.* [c] B[6] add. *et.* [d] Al. m. mg. [e] B[6] *infinita multa quia* pro *i. m.;* al. m. mg. *alia.* [f] B[6] add. *quod.* [g] B[6] om. [h] B[6] *eadem* pro *p. e.* [i] B[6] add. *et.* [k] B[6] *formarum etiam illarum* pro *i. f.* [l] Al. m.; B[6] om. *etiam.* [m] Al. m. ex *sequetur.* [n] B[6] *actus.* [o] B[6] *habuit.* [p] B[6] *parum differt* pro *p. e. d.* [q] Al. m. mg., del. *sequetur.* [r] B[6] om.; sequitur ras. [s] B[6] *quaero.*

vel omnium beatorum sint unica [a] simplex species, ita quod in eis nulla sit numeralis diversitas, ex quo habent in Deo unum formale obiectum omnino simplex et omnino idem numero? si igitur in his praedicta ratio non habet locum, ergo nec in illo.

Quartum etiam videtur esse dubium. Primo [b], quia ex quo ideae rerum sunt eius primum et [c] principale obiectum, oportebit quod propriam rationem uniuscuiusque ideae repraesentet haec [d] species per aliquam rationem propriam et distinctam. — Secundo, quia secundum hoc posset argui quod omnes res sunt [e] unius simplicis naturae et speciei, quia omnes [f] principaliter et immediate repraesentant divinum exemplar [g] et immediate creantur ab eo; si igitur pro eo quod exemplar est unum, species [h] ipsum repraesentans est una: ergo eadem ratione omnes res ipsum principaliter repraesentantes erunt una res. — Tertio, quia hoc verbum quo dicitur quod res sunt secundarium obiectum speciei gloriosae seu actualis visionis beatorum sane est accipiendum. Non est enim sic intelligendum quod sicut res absentes intellectui per species memoriales offeruntur, ita quod intellectus non est aliquo modo realiter conversus super ipsas res, sed solum super species memoriae, in quantum sunt illarum rerum species: non est, inquam, intelligendum quod sic sit in proposito; quia tunc [i] non deberet dici quod beati vident res, sed potius quod cogitent eas vel recordentur earum. Unde longe aliter est accipiendum: visio enim illa qua Deus praesentialiter videt res futuras in tantum est praesens ipsis rebus quod intellectus videns eam et [k] qui est ei praesentialiter unitus, prout ipsa est visio talium rerum, eo ipso per quendam ineffabilem modum est praesentialiter conversus ad ipsas res. — Quarto, quia [l] si propter hoc potest absque sui distinctione videre plures res, quia videt eas [m] per unum principale obiectum: tunc quaero quare per hoc [n] principale obiectum videt potius illas res quam alias, cum illud principale obiectum aeque bene repraesentet res alias sicut et illas. Et utique oportebit dicere quod hoc ideo est, quia illa [o] species non repraesentat illud obiectum secundum hoc quod ipsum est propria idea et propria ratio alia-

---

[a] Al. m. corr. [b] In mg. [c] B[6] om. [d] V *hoc,* B[6] om. [e] B[6] *sint.* [f] B[6] *omnis.* [g] B[6] *exemplum.* [h] Al. m. ex *specie;* B[6] om. *exemplar.* [i] B[6] *quod verum* pro *q. t.* [k] B[6] om. [l] B[6] om. [m] B[6] om. *q. v. e.;* al. m. *eas* ex *eis.* [n] B[6] om. *principale... hoc.* [o] B[6] om.

rum rerum, sed solum secundum [a] hoc quod [b] est propria idea vel ratio illarum rerum [c]. Si igitur visio [d] illarum rerum et nescientia [e] aliarum non sumitur simpliciter ex principali obiecto, sed potius ex eo quod species aliter se habet ad principale obiectum respectu istarum rerum quae in eo videntur et aliter respectu aliarum [f] quae in eo non videntur: patet quod distinctio vel indistinctio speciei non est sumenda simpliciter et absolute ex indistinctione principalis obiecti, sed potius ex propriis rationibus ipsius speciei secundum quas diversimode se habet ad principale obiectum, prout ipsum est propria ratio ipsarum rerum [g].

Ex omnibus igitur praedictis credo quod magis sit assentiendum primo modo qui tenet quod species sit particularis et quod plures ideas et res per plures species videamus aut per unam ex pluribus aggregatam.

QUAESTIO XXXV.

Quarto quaeritur de angelico [h] intellectu an suum intelligere sit idem cum substantia sui intellectus aut saltem an Deus posset hoc facere.

Ad quod breviter dicendum quod non sunt idem nec esse possunt.

Primo quidem, quia si actus intelligendi esset [i] eius substantia seu substantialis forma, tunc nullius obiecti praesentia nec etiam species memorialis quae tenet locum obiecti esset sibi [k] necessaria ad hoc quod actu intelligeret, et tunc ita intelligeret non entia sicut et [l] entia et absentia sicut propinqua et contingentia sicut et necessaria. — Secundo, quia tunc non esset in potentia ad actum intelligendi sicut nec ad suam substantiam, et ita omnia obiecta ad quae secundum suam naturam est possibilis intelligeret actu; et tunc

---

[a] Corr. interl. [b] B[6] om. *est propria... quod.* [c] B[6] add. *notitia.* [d] B[6] *notitia.* [e] B[6] *nescia;* al. m. mg. *rerum.* [f] B[6] om. *quae... aliarum.* [g] B[6] om. [h] Al. m. corr. [i] Al. m. ex *esse.* [k] Add. interl. al. m. [l] Add. interl. al. m.

sequitur quod actu intelligeret infinita et etiam contradictoria simul, quia si per successionem temporum potest contradictoria, tunc esset simul actualis ad ea. — Tertio, quia tunc eius substantia esset omnino illimitata et infinitarum specierum rationes in se habens ac per consequens quasi universalis et quasi extra genus; esset enim ipsa per essentiam suam ratio et similitudo omnium obiectorum suorum. — Quarto, quia tunc aut [a] ad variationem obiectorum variaretur eius substantia in suo substantiali intellectu, quod non est dandum, aut nullo modo variaretur, et tunc multiplici falsitati esset subiecta [b] nec aliquam certitudinem de diversificatione obiectorum posset habere. — Quinto, quia tunc nullam haberet libertatem ad varia excogitanda vel deliberandi vel diiudicandi [c] iuxta suum placitum; non enim posset intellectum suum convertere aut diversimode movere ad aliquid cogitandum, quin potius suum intelligere non esset proprie eius actio, sed potius esset eius essentia, et ita non solum non subiceretur ei tanquam libero agenti, sed nec etiam tanquam naturali agenti. — Sexto, quia tunc eius intelligentia esset absolutissima ab omni conversione et aspectu seu protensione et directione ad quodcunque obiectum et [d] ad quemcunque actum, ita etiam quod in intelligendo Deum nullam haberet conversionem, directionem aut protensionem ad ipsum, sed potius sua absoluta essentia esset idem quod visio Dei; talis autem absolutio non videtur competere intellectui creato. — Septimo, quia quaero an Deus posset sibi tollere intelligentiam alicuius obiecti, saltem alicuius obiecti particularis. Si sic: ergo aut illa erat ei accidentalis aut saltem erat realiter diversa ab intelligentiis aliorum obiectorum quae sibi remanent post huiusmodi ablationem; et tunc tot diversas formas substantiales oporteret in eo ponere quot obiectorum intelligentias haberet. — Octavo, quia tunc nullus habitus nullaque opinio vel credulitas, sed solum simplex et pura et actualis intelligentia posset in eo esse; quia habitus habent aspectum et ordinem ad actuum generationem, credulitas autem habet aspectum [e] ad illud cui innititur et habet ignorantiam seu latentiam obiecti cuius evidentiam appetit aut potest appetere ipse opinans. Tunc etiam sequeretur quod nullus error posset cadere in angelo, quia absurdum est dicere quod error sit substantia alicuius aut quod [f]

---

[a] V *aut tunc.* [b] V *subiectus.* [c] Al. m. [d] Al. m. mg. *a. q. o. e.* [e] Ex *adspectum.* [f] Add. interl. al. m.

Deus indiderit alicui errorem pro forma substantiali. — Nono, quia nullam univocationem (a) penitus haberet cum intellectu alicuius hominis, etiam (b) beati; constat enim quod nostrum intelligere est quaedam actio ab intellectu prodiens (c) et eius actualem conversionem naturaliter sequens, unde est quaedam actio seu actus accidentalis, quamvis aliquas nobiles proprietates formae substantialis in se habeat, sicut alibi est tactum; ergo nostrum intelligere differt ab intelligentia angeli sicut accidens a substantia, et sic nulla penitus univocatio esset ibi.

Ex praedictis patet hoc ipsum de actu volendi. Possunt enim consimiles rationes iuxta suum modum ad hoc coaptari: tunc enim quicquid angelus (d) posset velle totum vellet actu et semper vellet omnia uniformiter; nec posset cadere in peccatum nec ascendere in meritum nec habere dominium super aliquem actum volendi sicut nec super suam essentiam a se nullatenus prodeuntem nec libere nec naturaliter; nullusque in eo esset habitus nullaque gratia, sed totum esset substantia et natura; simulque vellet contradictoria aut non esset potens ad volendum neutram partem contradictionis nec simul nec disiunctive sive successive; nisi forte dicatur quod sicut divinum velle absque omni variatione sui potuit nolle quae vult et velle quae non vult, quod sic et ipse posset, sed si (e) vident quomodo hoc competat Deo facere, faciliter patere potest quod talis modus tantae est altitudinis et ineffabilitatis quod nihil in Deo altius ac (f) per consequens nulli alteri communicabile.

Ex praedictis etiam omnibus patet quod pagani philosophi qui posuerunt quod in substantiis separatis esset (g) suum intelligere idem quod sua substantia manifeste intendebant et credebant huiusmodi substantias esse deos, habentes in se universaliter et ab aeterno et per naturam suam quicquid habere poterant et omnino simpliçes et infinitas et immutabiles et invariabiles et impeccabiles, nulla gratia aut merito indigentes, sed potius per sola sua substantialia beatos et felices, ita quod eorum beatitudo erat eorum substantia. Et ideo in iis quae de intelligentiis dixerunt sic debemus eos fugere tanquam idolatras plures deos ponentes.

(a) Al. m. corr. (b) Corr. interl.; *beati* ex *obiecti*. (c) Al. m. corr. (d) In ras. (e) Ex *sicut*. (f) Ex *aut*. (g) Al. m. ex *esse*.

QUAESTIO XXXVI.

Quinto quaeritur [a] an intelligat et videat omnia per species innatas.

Ad quod quidam magni dixerunt et dicunt quod sic. Quorum ratio praecipua fuisse videtur: Quia pro impossibili habuerunt quod res, et maxime corporales, possent aggenerare suas species in eis [b] aut quod ipsi possent subici passionibus seu actionibus factis ab obiectis, saltem corporalibus.

Est autem apud eos duplex modus dicendi: Quidam enim eorum dicunt quod angelus habet in se species omnium locorum et generum et specierum creatarum et forte illarum omnium quas Deus facere disposuit. Habent etiam species illorum individuorum quae in primordio conditionis fuerunt de principali constitutione universi. Volunt igitur isti quod angelus possit huiusmodi species in suo intellectu diversimode componere et compositas possit ad res exteriores applicare et suum intellectum eis informatum ad res exteriores convertere, convertendo scilicet ipsum ad diversa loca in quibus res habent existere. Et sic per hoc potest res videre et earum particulares conditiones, quia huiusmodi species per compositionem et applicationem possunt huic vel illi rei sic applicari quod eas proprie et singulariter repraesentabunt. — Alii vero dicunt quod Deus ab initio concreavit in eis [c] species tam formae quam materiae. Et quoniam secundum eos per materiam est in rebus individuatio: idcirco per hoc quod habent species non solum formarum sed etiam [d] materiarum suarum possunt sufficien-

---

[a] B[6] *Secundo potest quaeri* pro *Q. q.* [b] B[6] om. *i. e.* [c] B[6] *ipsos.* [d] B[6] om.

ter res videre non solum in universali, sed etiam in particulari.

Contra primum videtur posse multipliciter argui: Et primo, ex conditione[a] specierum innatarum. Constat enim[b] secundum Augustinum[1] quod species illae quae manent in absentia actuum non existunt in acie intelligentiae, sed potius in memoria; sed tales non applicantur ad res exteriores, quin potius, quando per tales species aliquid intelligimus, tunc intellectus convertitur ad eas tanquam ad prima sui obiecta, ita quod tunc nullo modo est praesentialiter conversus ad res exteriores; ergo per species istas non poterit intellectus converti et applicari ad res, sicut ponebatur. Praeterea, per species huiusmodi non videntur res ut[c] praesentes, cum sint species memoriales; ergo oportet alium modum dare per quem res praesentialiter videantur.

Secundo, ex praedictarum specierum nova compositione. Constat enim quod ex speciebus universalium, quantumcunque compositis, non potest repraesentari nisi universale; si enim accipiam hominem in universali et albedinem et dulcedinem et sic de aliis: totum quod ex eis resultabit erit adhuc universale; ergo per compositionem specierum quas de rerum generibus et speciebus habemus non poterimus devenire in cognitionem[d] rerum particularium seu in cognitionem particularitatis earum. — Si dicatur quod ipsi habent species aliquorum particularium, utpote loci et temporis, et ratione istorum possunt species universalium ad particularia repraesentanda appropriari: contra hoc est quod per speciem unius particularis seu unius particularitatis non possunt cognoscere aliud particulare, in quantum est aliud individuum ab illo; non enim per speciem Guilelmi possum cognoscere Petrum, prout est aliud individuum ab illo; ergo nisi habeantur species omnium individuorum cuiuscunque generis, prout habent individuationes a se invicem distinctas, ita quod potest dici quod hoc non est illud: non poterunt[e] cognoscere omnia[f] individua et omnes individuationes eorum; sed ista per successionem temporum currunt in infini-

---

[a] Al. m. corr. [b] B[6] *etiam;* add. interl. al. m. *secundum.* [c] Al. m. mg. [d] Al. m. mg., del. *communicationem* (inusit. abbrev.). [e] Ex *potuerunt.* [f] Al m. mg.

---

[1] *De Trin.,* XI, 3, 4, 7 (PL 42, 988 sqq.).

tum aut currere possunt; ergo oporteret quod haberent infinitas species infinitorum particularium, utpote omnium accidentium et variationum particularium et consimiliter omnium substantiarum et suarum partium et principiorum individualium. — Praeterea, Augustinus, VIII *De Trinitate*, capitulo 6, dicit [1] quod si ille qui nunquam [a] vidit Alexandriam fingat seu formet [b] sibi imaginem eius, prout eius conditiones audire potuit, quamvis fortasse fieri posset quod imaginem ei similem fingeret: nunquam tamen posset scire ipsam esse veram imaginem [c] eius, nisi videret ipsam urbem, sed solummodo credit eis qui eam vidissent. Et similem sententiam dicit [2] supra, 4 capitulo et etiam 5, ubi vult quod illorum particularium quae praesentialiter non vidimus nec apprehendimus nullo modo possumus scire an ita se habeant sicut nos ea apud nos fingimus et fingendo cogitamus, utpote an facies beatae Virginis vel Pauli fuerit talis vel talis; sed [d] secundum modum praedictum ponuntur angeli videntes per solam compositionem seu confictionem [e] specierum; ergo nihil per hoc de particulari statu rerum scire poterunt.

Praeterea, quando angelus componit species ad hoc ut per talem compositionem possit aliquam rem distincte et determinate videre: oportet quod primo velit huiusmodi compositionem facere; velle autem hoc non potest, nisi hoc praecogitet; ergo prius quam faciat huiusmodi compositionem, voluit et cogitavit eam facere. Et cum eam nollet [f] propter se, sed propter aliud, ad hoc scilicet ut per eam rem illam vel istam videret, hoc autem velle non poterat, nisi prius vellet seu intenderet ipsam rem in particulari videre, nec iterum hoc, nisi prius cogitaret ipsam rem quam videre intendebat et propter quam videndam species ex certa scientia componebat: ergo oportet quod ipse prius sciverit actualiter rem in particulari, antequam per species sic compositas eam sciret, et consimiliter oportet quod prius sciret illam compositionem quam eam fecisset. — Praeterea, quandocunque de pluribus speciebus aliquae determinate accipiuntur ad aliquam compositionem formandam et ad aliquam rem per hoc videndam, oportet quod hoc fiat per cer-

---

[a] Al. m. mg. *q. n.*, del. *unquam*. [b] B[6] *format*. [c] Al. m. ex *imaginationem*. [d] B[6] *vel*. [e] B[6] *affictionem*. [f] B[6] *velle*.

---

[1] PL 42, 955. [2] PL 42, 951 sq.

tam praeelectionem illarum specierum quae ad hoc assumuntur et per certam respuitionem [a] illarum quae scienter abiciuntur seu relinquuntur. Huiusmodi autem praeelectio et respuitio discrete et regulariter fieri non potest, nisi species inter se referantur et componantur, et hoc in relatione ad ipsam rem quam videre quaerimus et intendimus per huiusmodi compositionem. Oportet enim quod attendamus et discernamus quae earum sit melior ad rem sic vel sic repraesentandam et quae earum sit melior [b] et proportionalior ad huiusmodi compositionem debite faciendam. Ex his autem omnibus [c] sequitur quod angeli nullam rem in particulari possint videre, nisi prius actu praesciant et praecogitent [d] eam et eius particulares conditiones et nisi multiplices collationes habeant circa species comparandas et praeeligendas et componendas.

Tertio, ex praedictarum specierum applicatione ad ipsa obiecta seu ex intellectus conversione. Primo quidem, quia nulla erit necessitas convertendi intellectum ad res exteriores aut applicandi species ad ipsas res, quia ex quo [e] species sunt compositae [f] et in acie intellectus existentes, sufficienter habent repraesentare ipsi intellectui res quarum sunt similitudo. — Praeterea, secundum Augustinum [1] prius naturaliter est intellectus conversus ad sua obiecta quam sit species eorum in acie intellectus; ergo nihil est dicere quod postquam species sunt in ipsa acie compositae, quod postea intellectus cum eis convertatur ad res obiectas. — Praeterea, aut ex huiusmodi conversione et applicatione fit aliqua variatio in essentia specierum aut non. Si non: ergo non per hoc sunt magis appropriatae ipsi rei nec magis potentes repraesentare particulares conditiones ipsius quam prius. Si sic: hoc primo quidem est contra eosmet qui post compositionem earum nihil eis addi volunt nisi solum applicationem et conversionem. Et ultra hoc oportebit dicere unde causatur huiusmodi [g] variatio essentiae earum. Nulla etiam [h] variatio earum ad res videndas sufficiet, nisi ingignatur eis aliqua ratio seu similitudo repraesentans proprie et distincte particularitatem

---

[a] B[6] *repraesentationem illa.* [b] Ita B[6], V *meliorum.* [c] B[6] *hoc igitur* pro *h. a. o.* [d] B[6] *praecogitant.* [e] B[6] om. *e. q.* [f] B[6] *primo scitae.* [g] Ita B[6], V *hoc.* [h] B[6] *enim.*

---

[1] *De Trin.*, XI, 2, 5, 7 (PL 42, 985 sqq.).

rerum. Si [a] etiam species praedictae essentialiter variantur, antequam per eas res videantur: ergo per species innatas non videbuntur res [b], sed potius per species alias ex illarum variatione productas, quamvis quomodo [c] possint essentialiter variari nisi solum per augmentum et diminutionem vel per totalem corruptionem earum non est facile videre.

Praeterea, esto [d] quod huiusmodi compositione et applicatione uniformiter stante res de loco illo amoveatur et absentetur aut qualitercunque varietur [e]: tunc nihilominus res uniformiter videbitur sicut prius. Si enim aliquid aliud in ea vel de ea videtur: ergo aliquid aliud de novo repraesentatur [f], et sic oportet quod sit ibi de novo facta aliqua alia species per quam illud [g] de novo repraesentetur. — Praeterea, si praesentia vel absentia rei [h] nihil penitus facit aut immutat in ipsis speciebus sic compositis et applicatis: ergo per praesentiam vel absentiam rerum in nullo iuvatur aut immutatur visio earum. Et tunc sequitur quod ita possunt videre [i] absentia sicut praesentia et remota sicut propinqua et contingentia futura sicut et necessaria vel sicut actu existentia et secretas cogitationes et voluntates cordium sicut earum signa exteriora. Sequetur etiam quod ita possint res videre [k] per praedictas species absque hoc quod convertantur [l] ad res sicut et si convertentur [m], quia conversio nihil faciet aut iuvabit, ex quo praesentia rerum in nullo iuvat nec absentia nocet. Praeterea, esto quod angelus existens in caelo velit me videre qui sum Narbone et ipse hoc nescit: tunc non poterit me videre, nisi prius applicet species ad locum Narbone; et cum ipse nesciat plus me ibi esse quam Parisius vel Romae aut quam in quocunque alio loco: ergo nesciet ad quem locum debeat species applicare; ex quo poterit frequenter contingere quod primo applicabit species ad omnia alia loca quam ad locum Narbone in quo ego sum. Et iterum poterit contingere quod quando applicabit species ad locum Narbone, quod ego prius recesserim inde [n] et iverim Romam vel alibi, et sic continget

---

[a] B[6] *sed.* [b] B[6] *species non videbuntur res infinitas* pro *species... res.* [c] B[6] *quando.* [d] Al. m. mg., B[6] om. [e] B[6] *amoveantur et erubestentur aut qualicunque varietur* pro *amoveatur... varietur.* [f] Ex *repraesentetur.* [g] B[6] *facta aliqua alia species species per quam id* pro *de novo... illud.* [h] Al. m. mg. [i] B[6] *vide.* [k] B[6] *vide.* [l] V B[6] *convertatur.* [m] Ita B[6], V *converteretur.* [n] B[6] *quando poterit, applicabit species ad omnia loco ad locum Narbone in quo ego sum; et iterum poterit contingere quod non applicabit species ad locum Narbone quod ego recesserim inde* pro *quando... inde.*

quod tunc non poterit me videre ibi. Et iterum et iterum poterunt similia de aliis locis contingere. Ex quo quam absurda sequantur satis de se patet.

Praeterea, sicut de compositione arguebatur, illae applicationes specierum erunt a voluntate intendente talem rem determinate videre et (a) in tali loco; ergo communiter nullam rem videbunt, nisi prius intenderent eam videre. Si dicatur quod simile poterit argui in nobis, quia nos non videmus res, nisi prius convertamus oculos nostros ad eas nec videmus ea quae sunt in memoria nostra, nisi prius convertamus intellectum nostrum ad illa: quod hoc non sit simile patet; tum quia nos possumus convertere (b) oculos absque (c) hoc quod intenderimus determinate videre illas res quae tunc obiciuntur (d) coram oculis nostris, sic enim frequenter oculos convertimus, non intendentes videre hoc vel illud, sed solum intendentes videre illa quae tunc nostris aspectibus obiciuntur; tum quia quando (e) hoc intendimus vel praecogitamus, nunquam hoc praecogitamus per species per quas res videri possunt, sed solum per species memoriales per quas res absentes possumus imaginari vel rememorari vel recogitare. Et ita non oportet quod visio rei praecedat visionem rei, quia (f) aliquando hoc non intendimus nisi in generali seu in universali; utpote volens videre asinum vel emere (g) vinum non oportet quod praecogitem in particulari hunc vel illum asinum vel hoc vel illud vinum, sed sufficit quod in generali. Et per hanc intentionem possum convertere sensus meos; ad quorum conversionem sequentur aliae species per quas fiat visio, si tamen non sunt ipsa visio. Et ille modus cum primo possunt contingere in intellectu volente videre ea quae sunt in memoria, quamvis non (h) secundo modo (i). Nihil autem horum sufficit ad evadendum rationes factas contra modum praemissum.

Quarto, ex certificatione intellectus angelici super esse et non esse illorum obiectorum (k) quae per praedictas species sibi repraesentantur. Cum enim secundum Anselmum, *Proslogion*, 2 capitulo (1), aliud sit cogitare rem, aliud cogitare rem esse, quam-

(a) Al. m. mg. (b) B^6 om. (c) B^6 *ad*. (d) Al. m. ex *abiciuntur*. (e) B^6 om. (f) V B^6 *tum quia*. (g) B^6 *vendere*. (h) Sequitur ras. (i) Ita B^6, V om. (k) B^6 *praedictorum*.

(1) PL 158, 227.

vis per speciem repraesentetur res, non propter hoc per eam repraesentatur rem esse. Unde imago asini vel species humanitatis quae est in anima mea de se non repraesentat quod homo vel asinus sit actu. Esto etiam quod repraesentent rem esse: non propter hoc oportet quod vere et certitudinaliter repraesentent eam esse. Esto etiam quod hoc facerent: oporteret aliquid aliud addi ad species vel variari ad hoc quod eandem [a] rem repraesentarent non esse seu aliter se habere. Ergo per solas species innatas non videtur posse [b] haberi certitudo de rerum esse et non esse. — Praeterea, aliud est unum [c] praedicatum affirmare vel negare de aliquo subiecto sola simplici cogitatione absque alia assertione, aliud hoc facere cum certa scientia et assertione seu cum credulitate vel opinione. Ergo ultra illas species quae exiguntur ad affirmationem [d] vel negationem [e] factam absque scientiali certitudine vel absque credulitate oportet aliquid dare per quod intellectus certificetur vel per quod hoc credat vel opinetur. Unde praedictus modus est adhuc in hoc defectivus. — Praeterea, cum unus simplex actus intelligentiae [f] non exeat a speciebus oppositis vel disparatis, si quaeratur ab [g] istis, quando angelus intelligat album non esse nigrum vel hominem non esse asinum, a [h] quibus speciebus exeat ille [i] actus — non enim ab una sola, quia sola [k] species albedinis non sufficit ad cogitandum album non esse nigrum —: ergo una [l] non sufficit ad hoc sciendum. Nec [m] videtur quod possit exire ab ambabus; tum quia sunt oppositae [n]; tum quia actus simplex non videtur immediate procedere a duabus causis effectivis quarum una non est alteri subordinata nec instrumentalis respectu alterius; tum quia stante in intellectu specie albi vel nigri vel hominis et asini possum nescire praedictam negationem aut [o] eius contradictoriam credere. Quod non esset possibile, si [p] illae species essent [q] causa sufficiens [r] illius actus quo scio vel credo album non esse nigrum. Ergo ex speciebus innatis, quantumcunque in se componantur vel ad obiectum applicentur, non poterit exire actus scientiae vel credulitatis.

---

[a] Ita B[6], V *eadem.* [b] Al. m. mg. [c] B[6] om. [d] Al. m. corr. [e] Al. m. corr. [f] B[6] *intelligere.* [g] B[6] *absque,* om. *s. q.* [h] Al. m. corr. [i] B[6] *iste.* [k] B[6] *una.* [l] Ita B[6], V *unus,* V B[6] om. *non.* [m] B[6] *Ergo.* [n] B[6] *compositae.* [o] B[6] *vel,* om. *praedictam negationem.* [p] Al. m. mg., del. *non.* [q] Al. m. ex *esset.* [r] Ex *suffiens.*

Contra secundum modum possunt adduci rationes primae et quartae viae contra praemissum modum factae et quarta et quinta ratio tertiae viae ibidem tactae. Constat enim quod species quas isti ponunt non sunt in acie (a) intelligentiae, sed in memoria; et ita contra eos est (b) prima via. — Constat etiam quod per eas non potest sufficienter repraesentari (c) esse et non esse rerum quas repraesentant nec ceterae variationes earum quibus innumerabiliter variari possunt, et nihilominus poterunt esse sufficientes ad eliciendum actum sciendi (d) vel credendi; et ita contra (e) eos est quarta via. — Constat etiam quod speciebus illis uniformiter se habentibus uniformiter repraesentabuntur res quarum sunt species (f); et sic contra eos est quarta ratio tertiae viae. — Constat etiam quod obiecti praesentia vel absentia nihil innovabit vel immutabit in illis speciebus; et sic contra eos est quinta ratio tertiae viae, et tanto amplius, quanto ipsi non ponunt applicationem specierum ad res exteriores esse necessariam ad ipsas res videndas.

Verumtamen quidam moderniores respondent ad hoc quod sicut quilibet homo habet in se id per quod nullo sibi in se addito potest esse similis omnibus hominibus fiendis et possibilibus fieri et tamen non est eis actualiter similis, nisi cum ibi sunt actu: sic species intellectus angelici non sunt actu similes rebus, nisi dum sunt, quamvis ex (g) se habeant unde sint rebus similes, quando res erunt actu. Quia ergo huiusmodi species non ducunt intellectum in actualem considerationem rerum, nisi in quantum sunt eis actualiter similes: ideo eo ipso quo res non sunt cessat intellectus videre existentiam rerum illarum et eo ipso videt res illas non esse.

Sed contra hoc est: Primo, quia secus est de similitudine quae essentialiter est imago alterius repraesentativa et secus de iis quae dicuntur similia, quia consimiliter habent aliquam quidditatem vel formam. Prima enim semper repraesentat id cuius est imago, sive id sit sive non; unde Caesaris imago vel idolum non minus repraesentat eum, quando est quam quando non est. — Secundo, quia etiam in exemplo dato quo Petrus Paulo nondum existenti non dicatur actu similis non est sensus quod non possit eum

(a) B^6 add. *et.* (b) Al. m. in ras. (c) B^6 *sufficit repraesentare* pro *p. s. r.* (d) In ras. (e) Add. interl. al. m. (f) B^6 om. *et ita... species.* (g) Al. m. mg.

repraesentare, alias patres praeteriti non repraesentassent [a] Christum hominem et sanctos futuros; sed solum est sensus quod Petrus non habet actu alium qui sibi assimiletur. — Tertio, quia eadem ratione sequeretur quod species intellectus angelici non repraesentarent quidditates [b] rerum, nisi dum sunt; et ita de nulla re actu non existente possent intelligere suum quod [c] quid est seu suam definitionem et saltem non quidditatem seu definitionem actualis existentiae quam habere possent; non etiam possent cognoscere plures figuras vel numeros quam essent actu [d] in rebus. — Quarto, quia secundum hoc species nostrae memoriae nullum non ens actu nobis repraesentarent; cuius contrarium continue experimur. — Quinto, quia secundum hoc species rerum per quas de rebus aliqua opinamur [e] facerent nos scire rerum illarum esse, quando essent, et non esse, quando non essent, sicut facerent species mentis angelicae; quia quando res non essent, non essent eis [f] actu similes, sicut nec illae, quando autem res essent, tunc ducerent in illarum notitiam tanquam eis actu similes. — Sexto, quia aliud est non videre rem esse et aliud videre quod non est, et iterum aliud est visibiliter videre quod est vel non est et aliud per quandam rationem vel consequentiam hoc tantummodo scire; sicut faceret angelus qui ex hoc quod percipit se non videre rem argumentatur eam non esse iuxta modum evasionis praefatae. — Septimo, quia illud quod de se est plenum et sufficiens principium alicuius actus semper potest illum facere, immo et necessario faciet, si est naturale et necessarium agens; sed intellectus angelorum praefatis speciebus informatus ponitur esse sufficientissimum principium sciendi et videndi res, ita quod ad hoc non egent rerum praesentia vel cooperatione; ergo quantumcunque res non sint, facient et facere poterunt actum sciendi et videndi res illas. — Octavo, quia secundum hoc non plus scirent fuisse praeterita quae viderunt quam fore futura quae non viderunt, quia species ita parum possent esse actu similes rebus praeteritis sicut et futuris. — Nono, quia eadem ratione Deus non videret nec posset videre res quae non sunt, quia eius idea non esset actu similis nisi solis iis quae sunt actu. — Decimo, quia istimet ponunt species angelorum innatas ab exemplari aeterno immediate fluxisse; ergo secundum

---

[a] Sequitur ras. [b] Al. m. mg. [c] Ex *quid;* V B^6 *posset intelligere.* [d] Al. m. mg. [e] Ita B^6, V *opiniamur.* [f] Al. m. ex *ei.*

eos rationem suae similationis trahunt ab exemplari; ergo sufficit quod sint actu similes illi, sicut et beatis ad videndum res futuras in Deo sufficit assimilatio et contuitio rerum, prout exprimuntur in Deo. — Igitur ex decem praedictis patet quod praedicta evasio est omnino ridiculosa et nulla [a].

Praeter hoc autem tripliciter potest argui contra secundum modum praefatum [b]: Primo scilicet, ex efficacia et sufficientia et essentiali continentia [c] quam huiusmodi speciebus innatis attribuunt; secundo ex causa propter quam huiusmodi species tam in angelis quam in animabus separatis ponunt; tertio, ex parte potentiae intellectivae quam de se ad nihil [d] potentem innuunt.

Ex primo quidem [e]: Attribuunt enim speciebus angelorum innatis universalitatem et talem quod simul in se comprehendunt [f] rationem naturae specificae et proprias rationes omnium individuorum suorum. Unde volunt quod per unam speciem cognoscant hominem in universali et [g] omnes homines particulares. Quot autem inconvenientia in hoc implicentur in quaestionibus praecedentibus sufficienter est tactum. Nam praeter positionem universalitatis in qua multa pericula fidei latent sequitur quod simul actu cognoscant non solum omnes homines qui sunt, fuerunt et erunt, sed etiam omnes quos Deus posset facere sub specie humana; et idem erit de individuis aliarum specierum. Cognoscent etiam omnia futura contingentia et cordium secreta quorum genera [h] vel species in universali noverunt [i]. Cognoscent etiam totam potentiam materiae, ac per consequens totam divibilitatem continui intellectualiter distinguent, et maxime, quia secundum eos in illis speciebus continetur ratio propriae materiae cuiuslibet rei. — Praeterea, cum secundum istos praesentia aut propinquitas rei non sit necessaria ad hoc quod videatur ab angelis, pro eo quod species illae sunt de se sufficientes ad repraesentandum eas [k]: tunc non indiget intellectus aliqua conversione ad hoc quod res actualiter sciat et consideret. Et tunc iterum sequitur quod semper intelligat actu omnia illa quae possunt repraesentari per suas species innatas.

Si dicatur quod intellectus eorum non indiget converti ad res ipsas, necesse est tamen quod convertatur ad ipsas species

---

[a] B^6 om. *Verumtamen quidam* (pag. 636)... *nulla.* [b] B^6 *istum modum* pro *s. m. p.* [c] B^6 *essentia et inconvenientia* pro *e. c.* [d] B^6 *numerum.* [e] B^6 *quidam.* [f] B^6 *apprehendunt.* [g] B^6 om. [h] B^6 *convenientia.* [i] Ex *voluerunt.* [k] Al. m. mg.

innatas [a] ad hoc ut per eas videat ipsas res: tunc contra eos sequitur quod ipsi nunquam possint res videre, sed solum quod possint [b] eas quasi ut absentes imaginari seu rememorari, quia nunquam intuitus [c] eorum figitur in ipsa [d] veritate rei, sed solum [e] in quadam intellectuali similitudine ipsius [f], ac per consequens sequitur [g] quod veritatem eius nude non intueatur, sed solum intuetur eius similitudinem, acsi in ea [h] esset ipsa res et acsi esset idem quod [i] ipsa. — Ista etiam [k] evasio contraria est dictis eorum, quia ipsi volunt quod species huiusmodi sint in intellectu. Unde nec in [l] nobis nec in angelis ponunt memoriam intellectualem seu rerum intelligibilium, sed dicunt quod species est habitus intellectus possibilis, ita quod per eam semper est in actu primo, quamvis non [m] per eam sit semper in actu secundo. Quod autem haec sit mens eorum [n] satis alibi est ostensum. Non enim in hac parte sequuntur viam Augustini [1] qui distinguit inter speciem quae est in memoria et inter speciem quae est in acie intellectus seu inter speciem quae tenet locum obiecti quae et remanet in mente post absentiam actualis cogitationis et inter speciem quae semper est coniuncta actui et quae secundum Augustinum est [o] idem quod cogitatio formata seu visio cogitationis; sed potius sequuntur viam Aristotelis [2] qui [p] non ponit speciem nisi in solo intellectu quae secundum eum semper, quantum est de se, exiret in actum, nisi esset aliquod impediens, et tunc ad agendum non indiget nisi removente prohibens, unde secundum eum non est nisi in potentia actuali respectu sui actus [q].

Praeterea, quomodo [r] per hanc viam angeli cognoscent seu videbunt unum subiectum cum suis accidentibus? numquid component [s] species accidentium cum specie huius hominis? Si enim non: non videtur quod aliter possint [t]

---

[a] B[6] om. *necesse... innatas.* [b] Al. m. mg. *res... possint.* [c] B[6] *intuetur intellectus.* [d] B[6] add. *figitur.* [e] In mg.; add. interl. *in.* [f] Al. m. ex *ipsi.* [g] B[6] *requiritur;* al. m. *quod* ex *q.* [h] B[6] *via* pro *i. e.* [i] B[6] *cum.* [k] B[6] *enim.* [l] Add. interl. al. m. [m] B[6] om. *per... non.* [n] Al. m. ex *earum.* [o] Al. m. [p] B[6] *quae.* [q] Al. m. mg. [r] B[6] *quando.* [s] B[6] om. [t] B[6] *possunt.*

---

[1] *De Trin.*, XI, 3, 4, 7, 9 (PL 42, 788sqq.). [2] *De an.*, II, 5, 416b 32sqq., 417b 16sqq.; II, 7, 424a 17sqq.; III, 5, 430a 15sqq.; III, 7, 431a 4sqq. Loci indicati monstrant auctorem in explicando Stagiritam falsa veris miscere.

hoc cognoscere vel videre. Si sic: tunc sequitur quod non solum istam particularem albedinem videant inesse huic homini [a], sed etiam totam universalem albedinem cum omnibus partibus [b] suis, quia species [c] illae quas ad invicem componunt sunt universales rationes omnium particularium suorum in se comprehendentes, et ideo oportet quod videant totum inesse toti. — Quodsi dicas quod sic vident totam albedinem inesse toti speciei [d] hominis quod tamen hanc particularem albedinem vident inesse huic homini et non alteri: primo quidem, cum ipsi non videant hanc inesse illi nisi per hoc quod [e] totam speciem applicant ad illum, necessario sequitur quod totam [f] videant inesse [g] illi. Per quid etiam sciunt ipsi quod haec albedo plus insit isti quam alteri aut quare illa [h] albedo plus alteri quam isti? aut quomodo [i] per unicam simplicem speciem possunt huiusmodi diversitates distincte discerni? Esto etiam quod Deus amoveat istam albedinem ab isto subiecto et transferat ad aliud et e contrario illam illius ad istud, aut esto quod per agens creatum, sive naturale sive voluntarium, mutetur ille [k] de hac albedine in nigredinem et iterum de illa nigredine in aliam albedinem a priori et sic iterum saepius semper in aliam et aliam: quomodo [l] per unam speciem albedinis universalem cognoscet [m] istum secundum diversa tempora diversas numero habere albedines? et [n] utique non [o] videtur ad praedicta posse rationabilis responsio dari [p]. Esto etiam quod nunc sunt tot homines in hac domo et alii tot vel plures in alia et quod [q] cras illi erunt in ista et isti in illa vel per [r] alios modos combinationum qui innumerabiliter secundum loca et tempora et secundum alias circumstantias possunt diversificari: quomodo [s] angelus per unam speciem universalem hominis poterit infallibiliter scire veritatem omnium combinationum istarum in tempore suo determinato non videtur posse dari.

Ex secundo etiam [t] potest argui contra istum modum: Ipsi enim ponunt huiusmodi species inesse angelis et animabus separatis per naturam. Dicunt enim quod lumen intellectus angelici, et maxime superiorum ordinum, est

---

[a] B[6] *homine, et* pro *etiam*. [b] Al. m. corr. [c] Al. m. ex *specie*. [d] Al. m. ex *species*. [e] Al. m. ex *a*. [f] B[6] *totum*. [g] B[6] *in se;* al. m. *illi*. [h] Sequitur ras. [i] B[6] *quando*. [k] B[6] *vincetur iste* pro *m. i*. [l] B[6] *et quomodo*. [m] Ex *cognoscit;* B[6] *istam* pro *istum*. [n] Sequitur ras. [o] Add. interl. al. m. [p] Al. m. mg. [q] B[6] *quot*. [r] B[6] *secundum*. [s] B[6] *quando*. [t] B[6] *autem*.

tantum quod est potens se ipsum determinare ad obiecta absque adiutorio obiectorum; inferiores vero angeli sunt [a] ad hoc potentes partim per naturale [b] lumen suum, partim per lumen superiorum, ad quorum lumen suscipiendum sunt isti naturaliter subordinati et illi ad influendum naturaliter praeordinati [c]. Nec distantia locorum potest hic afferre impedimentum; tum [d] quia non ponunt substantias separatas esse in loco secundum suam substantiam, sed solum secundum suam operationem, ac per consequens non ponunt eas locis ad invicem distare; tum quia operationes eorum intellectuales omnino sunt remotae et abstractae ab omni [e] ordine locali, ita quod nullam habent penitus relationem ad corporalia loca nisi forte valde per accidens. Nihilominus etiam volunt, saltem de supremis angelis, quod [f] ad huiusmodi species determinetur naturale lumen eorum per lumen divini [g] exemplaris seu divinarum idearum, ita quod supremi angeli immediate suscipiunt hanc influentiam a divino exemplari, inferiores vero mediantibus superioribus. Hanc autem influentiam potius ponunt in ordine naturali primae conditionis quam in ordine gratiae. Sicut enim propriae passiones sunt naturales suis subiectis et sicut lumen datum soli vel stellis est eis naturale: sic dicunt huiusmodi species eis esse naturales. Dicunt etiam quod quia directe manant a divino exemplari, idcirco habent in se rationem repraesentativam non solum formae sed etiam materiae, quia hoc habent ideae a quibus manant. Noster [h] vero intellectus [i] qui secundum eos, dum est in corpore, non est potens ad determinandum se, sed indiget adiutorio obiectorum, recipiendo speciem ab eis per irradiationem intellectus agentis eas [k] abstrahentis ex phantasmatibus, ad harum [l] autem specierum generationem non possunt res per suam materiam: idcirco species intellectus nostri non possunt per se repraesentare [m] materiam, quia non fiunt in intellectu nisi per abstractionem, idcirco secundum eos non possunt repraesentare individuales conditiones [n] ipsius formae quas [o] habet a materia et in materia. Secuti sunt autem in hoc paganos philosophos qui ponunt quod intelligentiae sunt na-

---

[a] Add. interl. al. m. [b] B[6] add. *partim.* [c] B[6] *impraeordinati.* [d] Ex *tunc;* supra *afferre* ras., B[6] *auferre.* [e] B[6] om. [f] B[6] om. [g] B[6] *divinum* pro *p. l. d.* [h] Al. m. mg., del. *Noster* (al. abbrev.). [i] Ita B[6], V add. *qui.* [k] B[6] om. [l] B[6] *aliarum.* [m] B[6] om. *materiam... repraesentare,* add. *et* ante *materiam.* [n] B[6] om. [o] B[6] *quam.*

turaliter plenae formis; in hoc tamen discordant ab eis, quia philosophi illi volunt quod huiusmodi formae seu species sint omnino idem quod [a] simplex essentia earum [b], nec mirum [c], quia ponunt eas [d] esse deos, isti vero ponunt eas esse diversas ab essentia earum [e].

Quod autem isti ponunt quod intellectus angeli determinat [f] se modo praedicto: quaero an velint dicere quod gignat in se species obiectorum absque adiutorio eorum, aut [g] an velint dicere quod ipse [h] intellectus sit species indeterminata omnium rerum et quod postea determinet se ita quod postmodum sit determinata species [i] earum, aut forte velint dicere quod sicut propria passio naturaliter sequitur formam specificam acsi resultans [k] ab ea, quod sic species naturaliter resultent ab intellectu angeli seu naturaliter consequantur [l] naturam intellectus eorum. Et quocunque horum [m] dato, multae absurditates [n] sequuntur; quia ex primo sequitur quod intellectus, ante etiam quam gignat [o] in se species, habeat in sua essentia similitudinem rerum, etiam altiori modo [p] quam habeant in se [q] species ab eo genitae; quia omne influens speciem absque coadiutorio [r] obiecti seu terminativi habebat in se modo altiori rationem [s] similitudinis influxae, quia similitudo sic influxa totam rationem suae essentiae trahit a suo agente. Praeterea, tunc oporteret quod illae [t] species essent actiones ipsius intellectus aut quod per praevias actiones educerentur ab eo in esse. Ex secundo vero sequitur quod intellectus angeli [u] suam substantiam faceret esse similiorem unicuique rei; ac per consequens sequeretur quod educeret in se aliud substantiale substantialiter [v] completivum sui intellectus. Sequeretur etiam quod [w] ipse, in quantum esset causa efficiens suae determinationis absque coadiutorio obiecti seu determinativi, quod haberet in se prius naturaliter veritatem illius determinationis a se causatae, et hoc tanto altiori modo, quanto causa est altior suo effectu. Multaque [y] alia sequerentur, sicut satis [z] de se patet.

---

[a] B[6] *quia.* [b] Ita B[6], V *eorum.* [c] Al. m. mg., del. *videntur.* [d] Ita B[6], V *eos.* [e] B[6] *diversas essentias eorum eas- earum;* V *eorum.* [f] B[6] *determinant.* [g] B[6] om. *an velint... aut.* [h] Ex *ipses;* B[6] om. *intellectus.* [i] Al. m. ex *specie.* [k] Sequitur ras. [l] B[5] *sequuntur.* [m] B[6] *eorum* pro *q. h.* [n] Al. m. ex *absurdites.* [o] B[6] *cognoscat.* [p] B[6] om. *habeat... modo.* [q] B[6] *quam in ipso dant* pro *q. h. i. s.; habeant* ex *habeat.* [r] B[6] *adiutorio.* [s] Al. m. ex *ratione.* [t] B[6] *istae.* [u] Ita B[6], V om. [v] B[6] om. [w] B[6] om. *q. i.* [y] Ex *Multamque.* [z] B[6] om.

Dicere autem iuxta modum tertium quod sint propriae passiones satis est de se absurdum, quia non videtur quod magis essentialiter competant eis quam animae Christi aut quam aliae species multorum creabilium quas [a] Deus posset eis [b] a principio indidisse, sicut et istas quas nunc habent. Omnes etiam isti tres [c] modi sunt contra id [d] quod dicunt eas esse ab exemplari aeterno, nisi forte velint dicere quod non sunt [e] ab eo nisi sicut effectus aut propriae passiones causarum secundarum sunt a causa prima. Dicere etiam [f] quod superiores angeli ordine naturali et necessario et nullo modo interpolabili semper influant in inferiores huiusmodi species seu [g] aliquod lumen determinans eos ad obiecta valde est absurdum et contra naturalem libertatem eorum; et multo magis est hoc absurdum de animabus separatis et maxime [h] de reprobis et damnatis. Quis enim ferat [i] audiens quod Lucifer naturali ordine et necessario influat in illos angelos quibus fuit praelatus ab initio suae creationis aut quod angeli boni naturaliter et necessario influant lumina veritatis in daemones seu in animas damnatas [k]? quamvis si quis [l] velit diligentius attendere ad generales rationes influentium et infiuentiarum et ad speciales rationes et quidditates huiusmodi specierum et ad speciales rationes potentiarum intellectivarum [m] et actuum suorum, plenius videre poterit quantae [n] absurditates in his implicentur [o].

Ex ultimo autem membro principali potest sic argui: Videtur enim in eorum positione [p] includi quod si intellectus angelorum [q] non haberet in se huiusmodi species innatas, quod nihil penitus posset [r] intelligere aut videre, quantumcunque sibi esset praesens; quia si potest aliquid [s] intelligere seu videre absque praedictis speciebus, tunc illius rei poterit novam speciem acquirere, quia constat quod omnis rei [t] quam videt habet in se speciem; ergo iam illam speciem de novo acquisivisset. Et tunc sequeretur quod non videret omnia per species innatas seu inditas vel infusas; quod est directe contra positionem eorum [u]. Sequeretur etiam quod posset videre per species ex praesentia obiecto-

---

[a] B[6] *quam.* [b] B[6] om. [c] B[6] *IIII.* [d] B[6] *sic illud* pro *c. i.* [e] B[6] *sint.* [f] B[6] *enim.* [g] B[6] *sol.* [h] Ex *maximis.* [i] Al. m. [k] B[6] *lumen in daemones damnatos* pro *lumina... damnatus.* [l] B[6] *sicut* pro *s. q.* [m] B[6] *intellectualium.* [n] B[6] add. *etiam.* [o] B[6] *applicentur.* [p] B[6] *positionem.* [q] B[6] *angelicus.* [r] B[6] *possit.* [s] Al. m. mg. [t] B[6] *omnes res* pro *o. r.* [u] B[6] *eos* pro *p. e.*

rum acquisitas; quod [a] est etiam contra positionem eorum. Hac enim de causa dicunt quod in eis non est intellectus agens, quia [b] nihil de novo abstrahunt [c]; nec est proprie in eis intellectus possibilis, quia nihil nisi [d] a Deo vel aliis [e] superioribus recipiunt. Ex hoc sequitur quod intellectus eorum sit multo [f] impotentior quam noster, immo etiam multo impotentior quam oculi nostri. Praeterea, esto quod Deus creet aliquam rem cuius speciem [g] eis ab initio non dedit — hoc est enim possibile ac per consequens ponibile [h] —: tunc ipsi non poterunt videre illam rem, quantumcunque sit eis praesens, nisi infundatur eis de novo similitudo illius; quod valde [i] absurdum est dicere. Praeterea, dicere quod ipsi habuerunt ab initio species determinate repraesentantes veritatem omnium futurarum [k] locutionum et cogitationum quarumcunque personarum quae unquam [l] erunt est absurdum nec est secundum veram fidem. Dato autem quod per species [m] eorum talia non possent [n] sciri, tunc ex positione eorum sequetur quod nullo modo possunt [o] eas nunc videre, etiam quando aperte nobis omnibus innotescunt, nisi [p] divina gratia eis de novo horum species et scientia infundatur; quod est etiam valde absurdum.

Verumtamen a quibusdam modernioribus respondetur ad hoc quod quia interni cogitatus et actus liberi arbitrii includunt in se relationem intentionis ad suum obiectum et ad suum finem ultimum, quae non est quid de se visibile aut distinguibile nisi per divinam revelationem [q] aut per effectum patentem: idcirco non possunt videri nisi per visibilem effectum vel signum aut per revelationem. Quod autem non sint quid de se visibile et distinguibile probatur; tum quia etiam proprio cordi non plene patet an illa quae facit faciat ex intentione recta et caritativa et solum propter Deum; tum quia huiusmodi [r] relationes nihil addunt ad absolutas essentias actuum et habituum in quibus fundantur; tum quia notitia relationis dependet ex notitia sui termini seu extremi in quod terminatur, terminatio autem relativarum intentionum cordis, prout sunt in Deum

---

[a] B[6] *et.* [b] B[6] *quod.* [c] In ras. [d] B[6] om. [e] B[6] *a suis.* [f] B[6] om.; idem subinde. [g] B[6] *species.* [h] B[6] om. *ac... ponibile.* [i] Al. m. mg. [k] B[6] *futurorum;* al. m. mg. *locutionum,* del. *locutionum* (al. abbr.). [l] B[6] *nunquam* pro *q. e.* [m] B[6] *praesens.* [n] B[3] *possunt.* [o] B[6] *possent.* [p] B[6] add. *ex.* [q] Al. m. ex *relationem.* [r] Al. m. mg.

conversivae vel aversivae, non potest videri nisi a solis videntibus Deum. Ergo soli beati possunt videre intentiones cordium.

Sed contra hanc evasionem est: Primo, quia sicut angelus videt res, sic et videt multos respectus earum quibus ad invicem referuntur, utpote multas convenientias et contrarietates earum (a). Et eo ipso quo videt aliqua fieri ab aliqua causa, videt ea ad invicem referri sicut causae ad (b) causatum. Eo etiam ipso quo videt aliquam actionem vel habitum videt respectus eorum sine quibus esse nec intelligi possunt; respectus autem actuum et habituum mentis ad sua formalia obiecta sunt sic eis essentiales quod trahunt speciem suam ab eis nec possunt esse aut intellegi sine eis. — Secundo, quia secundum hoc non plus posset quis videre suas proprias intentiones et cogitatus quam aliorum. — Tertio, quia saltem secundum hoc possent videre alienos cogitatus et affectus, quamvis non finales intentiones eorum. — Quarto, quia si huiusmodi relationes (c) aliquid addunt realiter diversum, tunc habent aliquam propriam quidditatem ex se visibilem seu intelligibilem. Si vero nihil addunt diversum ad actus vel habitus quorum sunt, tunc angelus plene videns (d) totam entitatem illorum habituum et actuum, videbit eo ipso illas relationes eorum quae sunt cum eis omnino id ipsum.

Ad primum igitur quo probatur quod non sint quid angelis visibile dicendum primo quod quamvis nostrae propriae intentiones non sint plene visibiles nobis ipsis, pro eo quod oculus cordis nostri est lippus et quasi caecus ad sua interiora videnda, angelis tamen suae propriae intentiones (e) sunt clarissimae. Secundo dicendum quod multae nostrae sunt nobis certissimae, saltem illae quae sunt aperte malae; propter tamen multam mixturam vitiorum et vitiosarum intentionum cum nostris bonis latet nos tota quantitas et condignitas meriti (f) et bonitatis nostrarum et maxime respectu praemii aeterni. Non igitur haec (g) latentia provenit ex eo quod sunt relationes in finem, sed potius ex nostri oculi caecitate et ex vitiorum mixtura. Ad secundum patet ex quarta ratione contra illam evasionem facta. Ad tertium dicendum primo quod secundum hoc diaboli non possent videre suas

---

(a) Al. m. ex *eorum*. (b) Sequitur ras. (c) Al. m. ex *rationes*. (d) Ex *videntes; totam* ex *plenam*. (e) Ex *intentionis*. (f) Al. m. (g) Al. m. in ras.

pravas et finales intentiones quibus sunt aversi (a) a Deo, nisi viderent Deum, nec boni angeli suas, antequam essent beati; quod non solum est falsum, sed etiam valde absurdum. Sufficit enim quod terminus relationis, prout in ipsa relatione includitur, sciatur seu videatur, sicut videnti se cogitare Paulum (b) absentem sufficit videre quomodo Paulus, ut est ab eo cogitatus, est obiectum sui cogitatus et terminus sui respectus. Secundo dicendum quod realis ratiocinatio et fixio (c) nostri interni aspectus est in eius primo et immediato et praesentiali obiecto. Quando autem alicuius cogitatio et intentio fertur in Deum ut in non visum (d) sive absentem: tunc species memorialis Deum repraesentans est primum et praesentiale obiectum illius cogitatus et intentionis, et ideo hoc sufficit visibiliter seu praesentialiter videri a videnti praefatam cogitationem et intentionem. Obiectum vero earum absens sufficit videri seu sciri ut absens, cum aliter non sit obiectum earum. Intentiones autem beatorum immediate infixae in Deo ut ab eis facialiter (e) viso non possunt videri nisi a videnti Deum, prout est praesentialis et immediatus terminus earum (f). Unde de his solis valet illud argumentum (g).

Ex praedictis igitur videtur quod sit eligenda aliqua illarum trium opinionum. Quarum una dicit quod per species ab obiectis receptas cognoscunt ea, et hoc, sive eas recipiant per abstractionem factam a lumine intellectuali quod est in eis intellectus agens, si tamen est in eis, sive fiant in eis per solam actionem obiectorum. Alia vero dicit quod partim per species (h) innatas, partim per receptas, ita quod innatae species valent (i) ad cognitionem rerum universalem, receptae vero ad cognitionem earundem particularem. Tertia vero dicit quod per (k) species ab intellectu genitas non simpliciter et absolute, sed ad praesentiam obiecti et praevia (l) conversione et virtuali defixione intellectus ad ipsum (m), ita quod obiectum cooperatur (n) ibi per modum terminativi. Nisi forte (o) quis velit quartam opinionem eligere quae dicit quod species sic genita ab intellectu, sicut opinio immediate praecedens dicit,

---

(a) Al. m. corr. (b) Al. m. mg., del. *poterunt.* (c) Al. m. *r. e. f.* (d) Al. m. *u. i. n. v.* (e) Al. m. ex *faciliter.* (f) Al. m. ex *eorum.* (g) B^6 om. *Verumtamen* (pag. 644)... *argumentum.* (h) Ita B^6, V *specie.* (i) B^6 *valeant.* (k) B^6 om. (l) B^6 *prima.* (m) B^6 add. *nisi forte quis.* (n) B^6 *operatur.* (o) B^6 *fortes.*

est idem quod actus cogitandi seu intelligendi, non quidem illa [a] species quae est in memoria, sed illa quae est in acie intelligentiae. Quas opiniones cum suis rationibus et improbationibus recitavi [b] in quaestione an voluntas sit potentia activa. — Et licet nullam curem [c] asserere, ultima tamen modicitati mei iudicii probabilior videtur et magis catholicae fidei consona, nisi esset contraria communi opinioni.

Advertendum tamen in omnibus praedictis [d] quod non loquimur de notitia angelorum quam habent in Verbo, sed potius de notitia quae eis competit ex suo ordine naturali seu ex virtute suae naturae; quia de [e] illa quae est in Verbo constat quod per eam possunt videre simul [f] omnia quae eis [g] praesentantur in Verbo, sive sint contingentia sive absentia sive futura sive sint cordium secreta [h].

Nota etiam

Quod praeter opiniones praemissas est cuiusdam moderni magistri positio quod angelus non intelligit per species innatas vel acquisitas, sed solum per habitus; per quos non solum universalis obiectum uniuscuiusque habi tus intelligit, sed etiam omnia individua illius universalis obiecti, non tamen simul omnia, sed solum illa ad quae illum habitum applicat seu convertit. Vultque quod huiusmodi habitus non sint proprie similitudines rerum et quod consequantur essentiale lumen sui intellectus sicut propriae passiones ipsius. — Nostrum etiam [i] intellectum dicit intelligere non per species, sed per habitus; quos, quando a principiis dilatantur ad conclusiones, non vult per aliquam superadditam compositionem augeri, sequens in hoc scripta [k] cuiusdam alterius magistri. — Quid autem sint huiusmodi habitus aut quomodo per eos res secundum suas rationes proprias exprimantur, ex quo non sunt earum species vel similitudines, aut non tradit aut valde confuse.

(a) B[6] *quidam illas* pro *q. i.* (b) B[6] *retexam.* (c) B[6] *curam.* (d) B[6] om. *i. o. p.* (e) B[6] om. (f) B[6] om. (g) B[6] om. (h) B[6] hic desinit. (i) Al. m. mg. (k) Ex *scriptura.*

Arguatur tamen pro parte ipsius.

Primo, quia secundum Augustinum, libro *De bono coniugali* [1], « habitus est quo quis potest operari, cum opus est ». Et secundum Aristotelem [2], quod est in actu primo, sicut est habens habitum scientiae vel formam caloris et ignis, potest ex se in actum secundum, nisi sit prohibens; et si hoc sit, non indiget nisi removente prohibens. Ergo omnis habens [a] habitum alicuius scientiae potest absque omni alia specie intelligere omnia obiecta illius scientiae.

Secundo, quia qua ratione species memorialis ponitur repraesentare obiectum quod non est actu aut quod non est intellectui praesens et ducere intellectum in illud actualiter considerandum absque hoc quod ab illo et in illo [b] realiter terminetur: eadem ratione videtur hoc posse fieri per solos habitus intellectus.

Tertio, quia affirmativa vel negativa compositio contrariorum aut diversorum terminorum non videtur posse exprimi per aliquam [c] speciem, saltem per unicam; sed hoc fit a sciente vel opinante per habitum scientiae vel opinionis; ergo et cetera.

[Respondeo]

Sed videtur quod praedicta positio deficiat ad minus in quatuor: Primo scilicet, in hoc quod ponit angelos omnia naturaliter vidisse aut visibiliter scivisse per solos habitus praefatos. — Secundo, in hoc quod ponit per illos non omnia sub ipso contenta [d] simul videri, sed successive, per voluntarias scilicet et successivas applicationes ipsius. — Tertio, in hoc quod ponit omnia per solos ipsos sciri et exprimi et tamen non esse species ipsorum scibilium vel scitorum. — Quarto, in hoc quod in angelis ponit eos suum bonum [e] consequi tanquam proprias passiones ipsius.

Contra primum enim et contra secundum potest argui fere per omnia argumenta superius facta contra positionem quae ponit angelos per solas species innatas et

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. mg. *e. i. i.* [c] Sequitur ras. [d] Al. m. mg. [e] Ex *subiectum.*

---

[1] Cap. 21 (PL 40, 390). [2] *De long. et brev. vitae,* cap. 3, 465 b 15 sq.; *Metaph.*, IX, 6, 1047 b 31 sqq.; *Phys.*, VIII, 1, 251 b 1 sqq.

praecipue per universales omnia naturalia, quantumcunque absentia, certitudinaliter vidisse et omnes eorum naturales variationes videre.

Sed ultra illa arguatur primo breviter contra primum: Proprius enim et specificus actus alicuius habitus semper pro tanto eandem speciem participat [a], pro quanto, si actus est scitivus, et habitus a quo exit est necessario scitivus, et si actus est opinativus vel creditivus, erit etiam et habitus; ergo si actus eius non solum est scitivus, sed etiam visivus, et habitus similiter erit visivus, id est, erit habitualis visio rerum; sed de essentia visionis est quod sit immediate praesens rebus visis; ergo angelicus intellectus et eius habitus et actus haberent immediatam praesentiam ad omnia sibi naturaliter scibilia; sed talis praesentia competit soli intellectui aeterno et increato; ergo in hoc ipso attribuitur [b] intellectui creato increata et immensa proprietas, competens soli Deo. — Item, qua ratione potest praesentialiter videre naturalia sibi absentia vel nondum existentia: eadem ratione potest et contingentia et cordium quorumcunque arcana; quia talis intellectus est necessario praesens omnibus locis et rebus in quibus aut intra quae sunt sua [c] visa. — Item, eorum visivus habitus potius erit actualis visio quam habitualis; quia ex quo est praesentissimus suis obiectis et hoc per modum visivum, videtur quod sit ultimata et actualissima unione eis unitus. — Item, sicut Dei scientia seu visio nullo sibi addito vel ablato potest disiunctive in obiecta opposita, prout contingit aut contingere potest illa diversimode verificari: sic et angelorum habitualis scientia seu visio nullo sibi addito vel ablato erit disiunctive potens in opposita, ita quod absque sui variatione repraesentabit et videbit nunc unum oppositorum, nunc aliud; sed hoc includit quandam immensitatem et simplicitatem soli Deo propriam; ergo et cetera.

Contra secundum autem arguitur: Primo, quia omnis applicatio et conversio fit primo et immediate ad aliquid praesens et immediatum [d]; ad absens enim et mediatum non potest fieri nisi per aliud intermedium. Sed hic [e] inter habitum et eius obiecta nullum obiectum intermedium ponitur ad quod huiusmodi applicatio seu conversio fiat primo immediate; nulla enim ponitur hic species rerum quae teneat

---

[a] V *participant.* [b] Al. m. mg., del. *atribu.* [c] Al. m. ex *su.*
[d] Ex *immediate.* [e] Al. m. ex *hoc.*

vicem obiecti pro eis. — Item, si huiusmodi habitus sunt praesentes omnibus obiectis suis sicut et visio actualis et habitualis: nulla eget applicatione aut conversione sui ad illa. Si enim dicas quod immo, sicut et nostra habitualis scientia eget applicari ad species quae sunt in memoria, quamvis prius essent sibi realiter praesentes, quia intellectus actualiter non intendebat in eas, habitus autem non sufficit absque actuali intentione intellectus: patet quod non est simile, quia praefata positio ponit habitus angelicos nulla specie intermedia et vicem obiecti tenente egere, immo nec aliqua reali praesentia rerum ab eis visarum; intentio autem intellectus addita habitui non est (a) aliud quam actualis aspectus in aliquod primum (b) obiectum conversus atque defixus; et si illud est ipsa res, tunc ad hunc aspectum sequitur actus qui proprie dicitur visio, si vero illud sit aliqua rei similitudo, tenet locum obiecti, et (c) tunc aspectum illum sequitur actus qui dicitur recordatio vel absentium intellectio seu cogitatio. — Item, huiusmodi habitus ponuntur esse ab istis indivisibiles et ex nullis partibus compositi et ad suum universale obiectum cum omnibus suis individuis actu entibus vel possibilibus aequaliter et uniformiter se habere; ergo quandocunque applicabitur, totus et totaliter et ad totum seu ad omnia sua obiecta applicabitur. — Item, huiusmodi habitus erunt utique in acie intellectus angelici, et quamvis ab istis non dicantur esse species rerum, ex dictis tamen eorum sequitur quod habeant vim expressivam et repraesentativam rerum et hoc sufficientissime; ergo hoc non est ponere aliud quam sufficientissimam expressionem et repraesentationem obiectorum in acie intellectus; sed hoc vel est actualis visio aut id ad quod necessario et immediate sequitur actualis visio omnium quae aciei per illam expressionem exprimuntur et repraesentantur; ergo et cetera.

Contra tertium etiam arguitur: Quia cuicunque competit definitio, competit et definitum; sed praedictis habitibus competit definitio intentionalium specierum; ergo vere erunt species seu similitudines obiectorum (d) suorum. Probatio minoris: quia ratio seu definitio huiusmodi specierum est quod sunt similitudo rerum expressiva et repraesentativa; sed hoc ponitur sufficientissime fieri per solos habitus istos; ergo in simul cum hoc dicere quod non sunt rerum species est ponere in eis contradictionem expressam. — Item,

(a) Al. m. mg. (b) Ex *primo*. (c) Add. interl. al. m. (d) Al. m. ex *obiecto*.

quantum in nobis experimur, scientialis aut creditivus vel opinativus habitus in nobis sunt idem quod habitualis affirmatio vel negatio seu habitualis assensus vel dissensus intellectus de veritate vel falsitate obiectorum suorum, nisi per nomen habitus intelligas habituale [a] acumen ingenii perspicacis vel oppositum eius, scilicet habitualem tarditatem et hebetudinem ingenii rudis et grossi. Habitualis [b] autem assensus, quando est scitivus, dicitur habitus scientiae; quando autem est creditivus vel opinativus, dicitur habitualis credulitas vel opinio. Quilibet autem horum assensuum exigit simplicem et habitualem seu memorialem notitiam terminorum super quorum affirmativam vel negativam compositionem fertur praedictus assensus. Quod autem simplex et memorialis notitia terminorum differat realiter a praedicto assensu [c], saltem sicut formae elementares differunt [d] ab ultima forma mixti, probatur tripliciter: Primo scilicet, quia saepe sciuntur huiusmodi termini absque hoc quod sciamus vel credamus affirmativam vel negativam compositionem ipsorum [e], sicut patet de eo qui scit quid est mulier et quid virgo et quid parere, et tamen nondum scit vel credit mulierem virginem peperisse. Secundo, quia de eisdem terminis nobis notis possumus nunc unam scientiam vel opinionem habere, nunc vero contrariam, et nunc veram, nunc erroneam, nunc probabilem, nunc improbabilem, et hoc per successionem temporum potest sic in infinitum variari. Tertio, quia sicut compositio differt a suis componibilibus, sic scientia vel opinio compositionis differt [f] a simplici et absoluta apprehensione suorum componibilium. Sicut etiam actualis consideratio unius vel alterius termini differt ab actuali consideratione compositionis vel mutuae correlationis eorum: sic et habitualis notitia huius vel illius termini ab habituali notitia compositionis eorum. Nec mirum, quia etiam repraesentatio speciei memorialis differt ab illo actu vel habitu intellectus quo simplices quidditates vel rationes terminorum cum quodam habituali assensu novimus et tenemus et aliquando cum actuali assensu cogitamus et consideramus.

Contra quartum etiam arguitur: Primo, quia causa a qua suus effectus totam suam essentiam et esse absolute et totaliter trahit habet longe praecellentius et plenius quicquid nobilitatis est in suo effectu, ita quod talis effectus se habet ad suam causam sicut analogum ad suum principale.

---

[a] V *habitualem*. [b] Sequitur ras. [c] Ex *assensus*. [d] V *differut*. [e] Sequitur ras. [f] Al. m. ex *differ*.

Sed si praedicti habitus se [a] habent ad intellectum angelicum sicut propriae passiones ipsius ab eius essentia fluentes seu resultantes: tunc se habent modo praedicto ad eum et ipse ad eos; ergo quicquid sapientialis actualitatis et nobilitatis est in habitibus erit principalius et praecellentius in essentia eius, et sic esset essentialiter scientia omnium scitorum suorum; quod est proprium solius Dei. — Secundo, quia habitus determinant potentiam ad certos actus et ad sua propria obiecta; ergo respectu talis determinationis est potentia secundum suam essentiam indeterminata; sed indeterminati non est [b] se ipsum ex solo se ipso ad haec vel illa determinare, et maxime si non sit potentia se ipsam movens, et saltem illam determinationem non posset in se efficere nisi per aliquam primam et intermediam actionem quam hic non est dare; ergo et cetera. — Tertio, quia ceterorum entium creatio et existentia non dependet ab essentia et existentia intellectus angelici nisi apud illos qui erronee ponunt eos esse deos et creatores rerum. Detur ergo unum solum angelum absque ceteris angelis et entibus fuisse creatum: tunc secundum positionem praedictam oportebit quod adhuc necessario habeat totam scientiam essentiae et existentiae ceterorum angelorum et entium, sicut et si essent creata; quod nemo sanae mentis credet. — Quarto, quia omnis intellectus qui non est [c] essentialiter sua scientia tanto est altioris et latioris ambitus, quanto latius et universalius respicit totum ambitum et possibilitatem entis et non entis; ergo ille qui per oppositos actus et habitus potest diversimode determinari ad scibilia et opinabilia est latioris ambitus quam ille qui non potest [d] nisi solum uno genere illorum modorum; ergo illi qui ponunt omnem intellectum creatum, quantum est ex sua essentia, posse determinari per habitus et actus oppositos, utpote per certos et [e] dubios aut veros et erroneos ac scientificos et opinativos ac visivos praesentium et eorundem absentium memorativos, latiorem et universaliorem ambitum sibi attribuunt quam illi qui omnes scientiales habitus sibi determinant tanquam proprias et inseparabiles passiones. — Quinto, quia cum voluntas sit altior aut saltem aeque alta potentia sicut intellectus: ergo ita nobiles habitus respectu omnium debent sibi affigere quasi [f] proprias passiones sicut faciunt intellectui.

---

[a] Al. m. ex *est*. [b] Al. m. mg. *n. e.* [c] Add. interl. al. m. [d] Al. m. mg. *q. n. p.*, del. *qui non potest*. [e] Al. m. in ras. [f] Add. interl. al. m.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum igitur [a] in contrarium dicendum quod aliquando nomine habitus intelligitur non solum id quod est in eo principale, sed etiam omnis dispositio sibi annexa per quam iuvatur ad opus et sine qua non potest in [b] opus. Et hoc modo sumit Augustinus habitum in libro illo. Hoc etiam modo sumitur primus actus ab Aristotele in locis ubi dicit verba illa. Et hoc modo sub habitu scientiali includitur non solum habitualis notitia vel assensus, sed etiam species memoriales sine quibus non potest absentia scire vel cogitare. Praeterea Augustinus semper subintelligit debitam praesentiam alicuius primi obiecti, quia sine illa nullus habitus intellectivus potest exire in actum.

Ad secundum dicendum quod pro quanto habitus includit in se similitudinem suorum obiectorum repraesentativam, pro tanto habet illa repraesentare; pro quanto autem habet elicere actum defixum et terminatum in aliquod obiectum et hoc per praevium aspectum per quem est actualiter ad illud conversus et applicatus, indiget aut reali obiecto aut memoriali gerente vicem illius, et ideo in rerum absentia eget speciebus memorialibus, non pro habitu actus elicitivo, sed potius pro obiecto immediato et in aliud absens manuductivo; species autem memorialis non eget praesentia sui obiecti, quia non dicit actum vel aspectum actualiter conversum et defixum in id cuius est species, sed solum est quaedam repraesentatio seu imago ipsius et talis quod videre eam, in quantum est illius imago, est quasi videre rem cuius est imago.

Ad tertium dicendum quod dato quod per species memoriales non posset repraesentari compositio terminorum, nihilominus sunt necessariae ad repraesentationem ipsorum terminorum. Potest etiam dici quod compositio repraesentatur [c] per coordinationes specierum memorialium [d] aut per quandam speciem memorialem specialem ipsius et speciebus suorum extremorum necessario annexam tanquam illis essentialiter indigentem, verumtamen absque assensu [e]; habitus vero scitivus vel opinativus dicit illam cum assensu, quia est quidam habitualis assensus illius.

---

[a] Ex *ergo*. [b] Add. interl. al. m. [c] Sequitur ras. [d] Al. m. corr. [e] Ex *assensum*.

QUAESTIO XXXVII.

Sexto quaeritur an intellectus angeli possit per virtutem suae naturae simul cognoscere plura.

[Et quod non videtur].

Ad quod quidam dixerunt[a] quod nullo modo potest simul cognoscere plura, nisi solum quando cognoscit res[b] in Verbo seu in rationibus aeternis, sumentes rationem ex quatuor: primo scilicet, ex configuratione seu assimilatione[c] quae fit per species; secundo, ex conversione potentiae ad res[d]; tertio, ex certificatione iudicii quo finaliter certam sententiam damus de obiectis apprehensis; quarto, ex iis quae experimur in nobis[e] ipsis.

Ex primo, scilicet ex configuratione, sic:

1. Omnis materia et[f] potentia simplex, a quacunque forma attingitur, tota attingitur[g], alias haberet partem et partem; ergo a formis seu speciebus disparatis vel oppositis non poterit simul figurari seu informari; sed non possunt plura simul[h] intelligi, quin potentia intellectiva quae est simplex et indivisibilis[i] diversis speciebus plurium obiectorum configuretur et[k] informetur; ergo et cetera.

2. Praeterea, species sic se habet in oppositione ad alteram speciem sicut et obiecta quorum[l] sunt; tum quia causae contrariae, in quantum tales, contraria gignunt, et ita[m] album et nigrum, in quantum sunt sibi contraria, contrarias[n] species gignent[o]; tum quia sic videmus esse in affectibus et habitibus, affectiones[p] enim contrariorum obiectorum sunt contrariae et habitus opinionis affirmativae contrariatur[q] habitui opinionis negantis quod affirmativa opinio affirmabat; sed formae obiectorum contrariae seu disparatae non

---

(a) B[6] *dicunt.* (b) B[6] repetit. (c) Al. m. mg. *s. a.* (d) B[6] om. *a. r.* (e) B[6] add. *ex.* (f) B[6] om. (g) Al. m. mg. *t. a.* (h) B[6] om. (i) Al. m. ex *divisibilis.* (k) B[6] add. *etiam.* (l) V B[6] *quarum.* (m) B[6] *contrarias.* (n) B[6] *contrarie.* (o) B[6] *gignunt.* (p) B[6] *affirmationes.* (q) B[6] *contrarius.*

possunt esse simul in eodem subiecto et praecipue in eodem subiecto simplici; ergo nec eorum species [a].

3. Praeterea, sicut figura corporalis se habet ad materiam corporalem, sic figura spiritualis videtur se habere ad materiam spiritualem; sed materia [b] corporalis non potest simul [c] figurari duabus figuris corporalibus, et si quis ad hoc conetur faciendo secundam figuram, confundit priorem; ergo sic erit in materia intellectus [d] spirituali; sed species sunt quaedam configurationes intellectus; ergo [e] et cetera.

4. Praeterea, qua ratione duae figurae possent simul [f] esse in eadem materia, eadem ratione infinitae, sicut [g] et Aristoteles [1] arguit contra ponentes duo corpora in eodem loco; sed constat quod intellectus non potet simul figurari [h] infinitis speciebus, ergo nec duabus; ex omnibus autem praedictis rationibus sequitur quod non possunt plura simul intelligi, cum hoc non possit [i] fieri nisi per [k] plures species simul in acie intellectus existentes.

5. Item, quando visus transit per vitrum viride vel rubrum, tunc illa quae sunt ultra vitrum videntur quasi viridia vel rubra; cuius ratio, ut dicitur, est: quia pupilla primo fortiter intincta a colore [l] vitri non potest pure et incommixte seu inconfuse suscipere species colorum subsequentium obiectorum, ex quo videtur quod species prima [m] impedit sequentem; sed in intellectu, cum sit simplex, non possunt plures species simul recipi, nisi una sit alteri superposita; ergo una impediet ibi reliquam [n].

Ex secundo, scilicet ex conversione potentiae, sic:

6. Nullum mobile potest simul terminari ad plures terminos, saltem eiusdem generis, nec simul potest moveri pluribus motibus eiusdem speciei aut pluribus motibus contrariis; sed plures conversiones ipsius intellectus habent diversos terminos et sunt quaedam motiones intellectus aut eiusdem speciei aut inter se contrariae; ergo intellectus non

---

[a] B[6] om. *subiecto... species.* [b] B[6] om. *corporalis... materia.* [c] Ita B[6], V om. [d] B[6] om. [e] B[6] om. [f] B[6] om. [g] B[6] *sic.* [h] Sequitur ras.; B *configurari.* [i] B[6] *possint.* [k] B[6] *plures.* [l] Al. m. ex *calore.* [m] Ex *primo.* [n] B[6] om. *Item... reliquam.*

---

[1] Aristoteles nullibi hoc dicere videtur; forte auctor dictum Aristotelis quod duo corpora in eodem loco esse nequeunt inepte interpretatus est: δύο ἐν τῷ αὐτῷ σώματα τόπῳ ἔσαι.. ἔστι δὲ καὶ τοῦτο ἀδύνατον (*De gener. et corrupt.*, I, 5, 321 a 8 sq.); idem, *De anima*, II, 6, 418 b 17.

potest simul diversas conversiones habere; sed aliter non potest simul ad plura obiecta converti, cum quodlibet obiectum sit per se terminus conversionis ipsius intellectus [a], figitur enim conversio seu aspectus eius in ipso obiecto; nisi autem simul ad plura obiecta convertitur, non potest simul intelligere plura; ergo et cetera.

7. Praeterea, simplex, ad quodcunque se convertit, totaliter se convertit; sed potentia intellectus est simplex; ergo totaliter convertitur ad unum [b]; ex quo sequitur quod non possit simul converti ad plura.

8. Item, sicut se habet res ad esse, sic et ad operari; ergo sicut se habet ad unum esse, sic et ad unum operari; non enim videtur res maiorem ambitum habere ad operari quam ad esse [c].

Ex tertio, scilicet ex iudicii certificatione, sic:

9. Iudicium certum requirit fixionem firmam et stabilem super eo de quo iudicium habet ferri [d], et oportet quod illud quod [e] per iudicium ab aliis discernitur et distinguitur [f] distincte et discrete aspiciatur et apprehendatur; sed haec esse non possunt [g], si pluribus obiectis simul et [h] confuse intendatur.

10. Praeterea, iudicium de pluribus non potest solide [i] et infallibiliter dari nisi comparando illa ad aliquod unum seu ad aliquam communem regulam per [k] quam de eis unum commune iudicium dari possit; ergo iudicii certificatio exigit recollectionem intellectualis considerationis ad aliquid unum; sed hoc non potest fieri diffundendo [l] se simul ad plura; ergo et cetera.

11. Praeterea, quanto potentia est magis ad unum intenta et recollecta, tanto perfectius potest intelligere illud et iudicare de illo, unde commune proverbium est [m], « pluribus intentus minor est ad singula sensus », et communis conceptio est quod omnis virtus unita potentior est se ipsa multiplicata; ergo intellectus nunquam secundum suum posse poterit perfecte intelligere seu diiudicare aliquid, nisi illi soli totaliter intendat.

Ex quarto, scilicet ex interno experimento, sic:

12. Communiter enim in nobis experimur quod nos non possumus fixe cogitare de aliquo aut solide et clare diiudicare

---

[a] Al. m. mg. [b] B[6] *visum*. [c] B[6] om. *Item... esse*. [d] B[6] *fieri; et* al. m. mg. [e] Add. interl. al. m. [f] B[6] *discernatur et distinguatur et* pro *d. e. d.* [g] B[6] *potest*. [h] Add. interl. [i] B[6] *simul*. [k] In ras. [l] B[6] *distendendo;* al. m. mg. *se*. [m] B[6] om.

et discernere aliquid nisi sequestrando et recolligendo aciem intellectus nostri ab omni alio cogitatu et aspectu, unde quando pluribus cogitationibus importune sollicitamur, turbatur soliditas nostri iudicii et nostrae inquisitionis; et huic consonat Aristoles, in *Topicis* [1], dicens quod « contingit plura scire, sed intelligere non nisi unum solum »; sed si intellectus angelicus potest per naturam simul plura, nulla est ratio quare noster [a] non possit simul aliqua plura, saltem pauciora; et cetera.

13. Praeterea, animus noster secundum Augustinum, libro *De Trinitate*, ibi est ubi intentionem suam figit, unde, IV libro *De Trinitate*, capitulo 20 [b], dicit [2] quod « cum intelligimus aliquid supermundanum [c], quod tunc non sumus in hoc mundo ». Et Christus dicit [3] quod *ubi est thesaurus tuus* [d], *ibi est et cor tuum*. Et Bernardus dicit [4] quod « anima verius est, ubi amat quam ubi animat »; sed animus noster non potest per naturam esse simul in pluribus locis, ergo nec intendere simul pluribus obiectis.

[Respondeo]

Alii vero dicunt quod intellectus tam angelicus quam humanus potest simul plura videre, sub aliqua tamen unitate alicuius correlationis seu coordinationis [e].

Quod secundum eos ostendit primo [f] diversitas terminorum propositionis. Veritas enim huius negationis « homo non est asinus » non potest ab intellectu sciri, quin simul apprehendam rationes [g] duorum terminorum, hominis scilicet et asini; et idem est de omnibus aliis compositionibus sive negationibus diversorum terminorum.

Secundo, ostendit hoc [h] apprehensio conclusionis et principiorum. Non enim potest sciri conclusio, in quantum talis, nisi simul sciantur [i] sua principia et habitudo necessaria huius ad ipsa, non enim est aliud scire conclusio-

---

[a] Al. m. [b] B[6] om. *l. D. T. c. 20.* [c] Al. m. corr.; B[6] om. *non.* [d] B[6] om. [e] B[6] *recordationis.* [f] B[6] *ostenditur prima* pro *o. p.* [g] Al. m. ex *ratione,* B[6] *rationem.* [h] B[6] om. *o. h.* [i] B[6] *sciatur,* om. *talis.*

---

[1] Lib. II, 10, 114b 34sq. [2] PL 42, 907sq. [3] Matth. 6, 21; Luc. 12, 34. [4] *De praecept. et dispens.,* cap. 20 (PL 182, 892).

nem, in quantum talem, quam videre necessitatem huius habitudinis; hoc autem non potest apprehendi, nisi simul ad invicem comparentur sua extrema ac per consequens nisi simul apprehendantur; sed conclusio cum suis principiis non potest simul apprehendi, quin [a] simul apprehendantur omnes termini ex quibus constituuntur.

Tertio, ostendit hoc apprehensio relationis [b] et correlativorum. Nulla enim relatio [c] potest videri aut [d] cogitari, quin simul cogitentur sua extrema, nec unum correlativorum [e], in quantum tale, potest apprehendi seu cogitari, quin simul cogitetur alterum correlativum ad quod essentialiter refertur [f]; unde nullus potest cogitare patrem, in quantum pater est, quin [g] cogitet filium, et e contrario [h].

Quarto, ostendit hoc apprehensio [i] partium cuiuscunque totius seu ipsius totius [k], in quantum est constitutum ex eis, sive sint partes essentiales sive integrales sive [l] connaturales sive quantitativae [m]. Impossibile est enim intelligere numerum mille [n] hominum seu millenarium seu denarium absolute, quin aliquo modo apprehendatur pluralitas et numeralis diversitas partium ipsius numeri. Quis etiam cogitat [o] duo, non cogitando duas unitates [p]? aut quis cogitat domum vel arborem vel asinum, nullam partium diversitatem in eis [q] cogitando? Quomodo etiam videt homo hanc vel illam lineam totam, si suarum partium nullam habet homo speciem? quomodo [r] enim videbitur ordinata continuatio et protensio earum, si [s] nulla multitudo partium ibi animadvertitur [t]? Idem argui potest de partibus definitionis [u] quarumcunque specierum seu de diversis rationibus generum et differentiarum ex quibus constituuntur; quomodo [v] enim poterit definitio asinae videri, quin simul videam rationes [x] generis et differentiae?

Quinto, ostendit hoc apprehensio et diiudicatio actuum interiorum [y]. Constat enim quod ego nescio me actu vi-

---

[a] B[6] om. *simul... quin.* [b] B[6] *resolutionis.* [c] B[6] *resolutio* [d] B[6] add. *etiam.* [e] Ex *correlatovorum.* [f] B[6] *reformatur.* [g] Al. m. mg. [h] B[6] om. *e. e. c.* [i] B[6] *apprehendendo.* [k] B[6] om. *s. i. t.* [l] Al. m. ex *si.* [m] B[6] *integrales et essentiales sive naturales sive quantitatem* pro *essentiales... quantitativae.* [n] Al. m. corr. [o] B[6] *enim cogitans* pro *e. c.;* sequitur ras. [p] B[6] *non duas unitates cogites* pro *n. c. d. u.* [q] B[6] om. *i. e.* [r] B[6] *Videt quando,* om. *habet homo speciem.* [s] B[6] om. [t] B[6] *advertitur.* [u] B[6] *definitionibus.* [v] B[3] *quando,* om. *asinae.* [x] B[6] *videatur species* pro *v. r.* [y] B[6] *et terminorum,* om. *ego.*

dere vel audire vel velle vel cogitare, nisi quando huiusmodi actus praesentialiter existunt; constat etiam quod quando existunt, tunc ego per intellectum scio me videre et audire et sic de aliis; sed saepissime et quasi semper [a] sunt omnes vel plures potentiae in suis actibus [b], saepe enim simul [c] cum video, audio, odoro [d], tango et gusto, simul etiam cum quolibet horum currit sensus communis diiudicans quemlibet [e] horum et eorum obiecta; ergo tunc simul per intellectum advertam omnes huiusmodi actus et eorum obiecta, et tunc iterum [f] advertam et advertere possum me intelligere ea [g], tunc etiam simul [h] possum velle ea et delectari vel offendi in eis, ex quo [i] iterum sciam tunc vel scire possum me velle vel nolle illa; in omnibus etiam istis semper advertam illos actus esse meos ac per consequens semper apprehendam me esse suppositum illorum actuum; omnem igitur pluralitatem [k] actuum et obiectorum suorum apprehendit simul intellectus.

Sexto, ostendit hoc actus electionis et deliberationis [l] et actus intentionis seu quicunque actus voluntatis [m] quo volo unum propter aliud. Quando enim aliqua aliis praeeligimus, tunc eligendo [n] illa simul respuo et abicio alia; ergo tunc voluntas fertur [o] simul super illa; sed hoc non potest, nisi intellectus simul cogitet illa. Quando etiam intendimus seu volumus unum propter alterum, tunc semper fertur voluntas simul super duo, scilicet super finem et super illud quod est ad finem. Quando angelus primitus peccavit, constat quod pro [p] primo nunc [q] quo peccavit fuit naturaliter prius potens non [r] peccare, ita quod in eodem nunc fuit potens facere bonum et malum; sed hoc non est verum, si intellectus non praesentabat [s] sibi simul bona et mala aut saltem si simul ea praesentare [t] non poterat. Et universaliter considerando quoscunque [u] actus voluntatis in se habentis aspectum ad plura obiecta: semper oportet dare actus intellectus naturaliter praevios [v] et praesentialiter concomitantes [x], qui consimiliter habeant simul plura obiecta. Quando etiam deliberamus vel consiliamur vel qualitercun-

---

[a] B[6] *et quasi saepe* pro *sed... semper.* [b] B[6] *partibus.* [c] B[6] om. [d] B[6] *adoro.* [e] B[6] *divinitas quaelibet* pro *d. q.* [f] B[6] om. [g] B[6] om. [h] Al. m. mg. [i] B[6] om. *e. q.* [k] B[6] *omnemque pluralitatem istam* pro *o. i. p.* [l] B[6] om. *e. d.* [m] B[6] *volendi.* [n] B[6] *intelligendo.* [o] B[6] *refertur.* [p] Add. interl. al. m. [q] B[6] add. *ergo.* [r] B[6] add. *in.* [s] B[6] *repraesentabat.* [t] Sequitur ras. [u] B[6] *quocunque.* [v] B[6] *primos.* [x] B[6] *comitantes.*

que conferendo aliquid inquirimus: tunc oportet plura simul ad invicem comparare ac per consequens plura apprehendere. Positio igitur contraria tollit omnes actus praedictos et potestatem eorum ac per consequens tollit libertatem eligendi et deliberandi, conferendi, intendendi, demerendi et merendi [a].

Septimo, ostendit hoc potestas [b] sensus communis et sensuum particularium. Constat enim quod ego possum simul tangere duos lapides [c], unum una manu et alium [d] altera; et iterum [e] simul cum hoc [f] alios duos, unum uno pede, alium altero; quin potius quot acumina acuum [g] possunt simul percuti vel tangi, tot possum simul sentire. Constat etiam quod auditus non audit [h] voces, nisi dum sunt actu, aliter audiret [i] non entia; illas ergo voces quae totaliter simul sunt [k] et fiunt [l] non potest auris omnes audire, nisi simul audiat illas. Visus etiam [m] impossibile est quod unquam videat [n] aliquid indivisibile, quin potius ita parvae quantitatis posset esse suum obiectum quod non posset illud videre; aut igitur nihil [o] unquam videt [p] aut est dare quod simul videat aliquod continuum divisibile, multas habens partes. Unde illi [q] qui dicunt quod nihil videt fixe et certitudinaliter, nisi solum illud [r] super quod figitur axis speciei radiosae aut ipsius visualis aspectus: non potest stare, sumendo [s] axem pro linea seu radio lineari et indivisibili; quia tunc sequeretur quod non posset fixe videre nisi solum aliquod indivisibile [t], quia acies lineae non potest actu figi nisi super indivisibile. Oportet igitur dare aliquam certam [u] quantitatem super quam visualis aspectus potest [v] simul in uno nunc figi. Detur ergo quod illa quantitas dividatur in duas partes sibi contiguas: adhuc poterit illam simul videre, quia hoc quoad potestatem visus nihil refert. Ergo tunc videbit plura simul, utpote si potest unum lapillulum [x] integrum simul videre, potest et fractum, si [y] solum fracturae sint contiguae, quia non plus occupant de spatio [z], saltem sensibiliter. Constat etiam nos videre distantias et discontinua-

---

[a] B^6 om. *e. m.* [b] Al. m. corr. [c] B^6 *papides.* [d] B^6 *alterum.* [e] B^6 *iter.* [f] B^6 om. *c. h.* [g] V *acies actuum*, B^6 *acumina actuum acies* pro *a. a.*; al. m. mg. *possum*, del. *possunt.* [h] B^6 *audet.* [i] B^6 add. *enim.* [k] Al. m. mg. [l] B^6 *finem.* [m] Sequitur ras. [n] B^6 *nunquam videns* pro *u. v.* [o] Ex *vel.* [p] B^6 *videret.* [q] B^6 *illud.* [r] Al. m. corr.; B^6 *nisi quod aliquid solum* pro *n. s. i.* [s] B^6 *insumendo.* [t] B^6 om. *quia... indivisibile.* [u] B^6 *certum.* [v] B^6 *possit.* [x] B^6 *lapillum.* [y] Ita B^6, V om. [z] B^6 *sapio.*

tiones [a] corporum; hoc autem est impossibile, nisi simul [b] cum hoc videantur extrema [c]. Sensus etiam communis non apprehendit actus sensuum [d] particularium, nisi dum sunt actu; nec potest iudicare de obiectis diversorum sensuum discernendo diversitatem eorum nec de contrariis obiectis eiusdem sensus [e], nisi tunc simul apprehendantur, etiam secundum Aristotelem, II [f] *De anima* [1]; ergo simul apprehendit actus sensuum particularium simul coexistentes et obiecta eorum. Si igitur in potentiis sensitivis est hoc dare, multo magis in [g] altissimis potentiis quarum aspectus est altioris et latioris [h] ambitus.

Octavo, ostendit hoc efficacia virtutum corporalium, utpote lucis vel coloris et consimilium. Videmus enim [i] quod unus punctus lucis solaris simul diffundit suos radios per totum hemisphaerium [k], ita quod simul illuminat omnia corpora, quamvis sint [l] numero valde plura. Nec est vis, si punctus ille non est [m] omnino indivisibilis, quia illi plures radii a toto ipso egrediuntur; non enim per unam partem sui facit unum illorum radiorum et per aliam alium, sed potius quilibet egreditur a toto; sunt enim ei proportionales, et in [n] loco contactus ubi ei continuantur est quilibet eorum aequalis [o] quantitatis cum ipso. Si igitur aspectus virtutum corporalium, etiam in suis [p] partibus quasi punctalibus, est tanti ambitus simul: [q] multo magis virtutes intellectuales debent esse altioris [r] ambitus. Videmus etiam quod diversi radii plurium luminum et diversae species colorum, odorum et sonorum et saporum possunt simul concurrere in eodem puncto seu in eadem parte aeris absque sui confusione, secundum quod vult Dionysius, capitulo [s] *De divinis nominibus* [2]. Si ergo potentia receptiva quae est [t] in aere seu in quocunque medio corporali est tanti ambitus, multo magis hoc esse debet in potentia receptiva potentiarum intellectualium.

Nono, ostendit hoc modus simplicitatis intellectualis, quae non est simplicitas punctalis nec simplicitas parvita-

---

[a] Al. m. [b] Al. m. ex *solum*. [c] B[6] om. *Constat estrema...* [d] B[6] *suum*. [e] B[6] om. [f] B[6] *3*. [g] Ex *et*. [h] Al. m. mg. *e. l.* [i] B[6] om. [k] Al. m. ex *emiperium*. [l] Al. m. corr. [m] Add., interl. al. m. [n] B[6] add. *omni*. [o] Sequitur ras. [p] Sequitur ras. [q] B[6] *vel*. [r] B[6] *altiores*. [s] Sequitur ras. et lac. [t] Al. m. mg.

---

[1] Lib. III, 2, 426b 8sqq. [2] Pseudo-Dionysius, *De div. nom.*, II, § 4 (PG 3, 642).

tis seu ex parvitate proveniens, quin potius quanto [a] simplicior, tanto est potentior et maioris ambitus. Unde videmus quod licet anima sit simplex, potest tamen [b] simul informare omnes partes corporis sui. Et consimiliter angelus, quamvis sit simplex, potest simul esse in qualibet parte loci sui. Sic [c] etiam memoria, quamvis sit simplex, potest in se simul continere multitudinem specierum quasi innumerabilem [d], ita quod una in nullo impedit alteram, immo frequenter una iuvat alteram. Sic etiam videmus quod voluntas potest multos simul capere habitus; et etiam ipsemet intellectus multos habitus scientiarum et opinionum seu credulitatum potest simul habere. Non ergo ex parte suae [e] simplicitatis potest [f] argui quod nullo modo possit simul [g] in plura obiecta, immo potius deberet oppositum argui.

Decimo, ostendit hoc multitudo visionum et rerum visarum quae competit beatis [h] secundum statum gloriae et multitudo visorum quae damnatis competit ad [i] consummationem divinae iustitiae et suae poenae. Si enim simul actu intelligi [k] plura est omnino repugnans naturae et essentiae intellectus creati: tunc [l] in nullo statu posset sibi competere. Sed communiter tenetur a sapientibus quod beati non solum simul [m] videbunt plures rationes et ideas in Deo, sed etiam simul cum hoc quadam inferiori [n] scientia videbunt res creatas in se ipsis. Et secundum Augustinum, XV *De Trinitate*, capitulo 16 [1], secundum illam inferiorem scientiam fortasse [o] uno aspectu videbunt totum quod in eorum memoria continetur, ita quod acies intellectus erit simul formata tot speciebus quot sunt species in memoria ex quibus illae sunt genitae. XX etiam *De civitate*, capitulo 14 [p], loquens de finali omnium [q] iudicio et de apertione libri vitae secundum quem [r] omnium vitae iudicabuntur dicit [2]: « Quaedam igitur vis est intelligenda divina qua fiet ut cuique opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset [s] scientia conscientiam, atque ita simul et omnes

---

[a] Al. m. corr. [b] B[6] om. [c] B[6] *Si.* [d] Al. m. ex *numerabilem.* [e] B[6] *sui.* [f] B[6] *possit.* [g] B[6] om. [h] Ita B[6], V *eis;* sequitur ras. [i] B[6] *secundum.* [k] B[6] *intelligere;* sequitur ras. [l] B[6] om. [m] B[3] om. [n] B[6] *simul in inferiori* pro *simul... inferiori.* [o] B[6] add. *in.* [p] B[6] *IX.* [q] B[6] om. [r] B[6] *quod.* [s] Al. m. corr.

---

[1] PL 42, 179. [2] PL 41, 680.

et singuli iudicentur. Quae vis divina libri nomen accepit, quia in ea quodam modo legitur [a] quicquid ea faciente recolitur »; haec Augustinus. — Si dicatur quod per virtutem supernaturalem potest hoc intellectus quasi miraculose, non autem per naturam propriam, sicut et verba Augustini expresse innuunt, tunc adhuc ex hoc ipso arguitur: quia quomodocunque [b] hoc fiat, oportet quod intellectus tunc habeat potestatem per quam possit attingere plura; quae potestas [c], quamvis non fuerit sibi a principio indita, nihilominus tamen erit creata. Oportet etiam quod tunc eius aspectus feratur simul super omnia illa obiecta et quod simul eius acies informetur pluribus speciebus et quod una visione aut pluribus simul videat omnia illa. Si igitur potestati creatae et aspectui creato haec competere possunt [d], quamvis illa potestas et ille aspectus sint quasi miraculose creati: unde potest contradictio reperiri, si etiam Deus aliquam naturalem potestatem dederit intellectui per quam [e] posset in alia plura, etsi non in tot? — Si autem contra ultimam auctoritatem Augustini importune instetur quod ad eius verificationem sufficit quod hoc fiat [f] in tempore celerrimo seu brevissimo, non autem in instanti: tunc contra istud est primo illud unde ipse est motus ad illa [g] sic exponenda [h]; quia si nomine libri intelligeretur ad litteram aliquis liber creatus in quo omnium hominum merita et demerita essent scripta et in quo omnia perlegerentur, tunc Augustinus arguit quod maxima mora temporis esset ad hoc necessaria, et tamen certe Deus posset dare homini intellectum ita vivacem qui citissime ea percurreret [i], nec enim cogitur intellectus stare in aliquo eorum plus [k] quam per unum nunc, nec potest fieri quod minus stet, quare etiam non posset ita cito percurrere librum sicut et decursum operum bonorum et malorum omnium iudicandorum? Secundo est contra hoc: quia verisimile est quod ab hora iudicii usque in aeternum semper durabit illa universalis cogitatio omnium demeritorum; qua enim ratione in hora iudicii hoc fit [l] ad iustitiam Dei plenius revelandam et culpam reproborum magis exaggerandam et ad poenam [m] eorum maiorem, eadem ratione et [n] ex tunc semper hoc fiet.

---

[a] B[6] *loquitur*. [b] Al. m. ex *quocunque*. [c] B[6] om. *q. p.*
[d] B[6] *possit*. [e] Ex *quas*. [f] Al. m. ex *fit*. [g] Ex *illas*.
[h] B[6] add. *scilicet*. [i] Al. m. [k] B[6] *amplius*. [l] B[6] *fiet*.
[m] B[6] *poenarum*. [n] B[6] om.

Huic igitur secundae opinioni magis assentiendum iudico; prima enim non solum est irrationalis, sed etiam [a] in fide periculosa, sicut ex praedictis satis patere potest.

Si autem quaeratur [b] quae est illa unitas quae ad hoc exigitur aut quare [c] exigitur: dici potest quod quandocunque aliqua plura simul apprehenduntur sub aliqua coordinatione [d] unius totalis numeri vel unius loci vel unius temporis vel unius totius compositi ex eis [e] constituti vel unius correlationis secundum quam ad se invicem vel ad aliquod [f] tertium comparantur, tunc oportet in eis esse unitatem coordinationis vel simultatis vel compositionis vel correlationis. Cum etiam nulla potentia creata possit aliquid apprehendere, nisi actualiter aspiciat illud [g], totalis autem aspectus unius potentiae oportet quod habeat aliquam unitatem [h]. Unde et videmus quod totalis aspectus lucis solaris habet in se unitatem continuitatis sicut et ipsa lux, et non loquor hic de luce vel aspectu radiorum, sed solum de illa [i] quae est in corpore solis. Sic etiam dicimus quod unus angelus oportet quod sit in pluribus partibus sui loci secundum unum totalem aspectum suae substantiae seu [k] secundum unam totalem coexistentiam; unde non posset existere simul in [l] pluribus locis, ita quod in uno haberet totalem existentiam [m] et in alio [n] aliam totalem aut ita quod illa loca nullam habeant inter se continuitatem vel contiguitatem vel coordinationem. Sic [o] etiam sensibiliter experimur quod quamvis oculus plura simul [p] aspiciat, nunquam tamen hoc facit [q] nisi sub uno totali aspectu; unde oportet quod omnia quae simul videt sic se habeant quod sub illo [r] uno totali aspectu possint conspici et apprehendi. Et etiam in sensu tactus de quo minus videtur oportet hanc unitatem assignare secundum correspondentiam [s] unius continuitatis totius [t] sui organi. Haec [u] est igitur unitas sine qua nec naturaliter nec [v] supernaturaliter seu miraculose potest intellectus creatus aliqua plura simul videre; semper enim oportet quod sub uno to-

---

[a] Sequitur ras. [b] Al. m. ex *quaeretur*. [c] Al. m. corr. [d] B[6] *ordinatione*. [e] B[6] *iis*. [f] B[6] *aliquem*. [g] B[6] *id*. [h] Phrasis non est bene constructa, deest enim secunda eius pars. [i] Ex *qua;* B[6] om. *est*. [k] B[6] om. *s. s.* [l] B[6] om. [m] B[6] *unam totalem coexistentiam* pro *t. e.* [n] Ita B[6], V *aliquo*. [o] B[6] *Nos ergo*. [p] B[6] om. [q] B[6] *perficiat*, om. *tamen*. [r] B[6] om. [s] B[6] *corresponsivam*. [t] B[6] om. [u] Ex *hoc*, B[6] om. *igitur*. [v] B[6] om.

tali aspectu ea [a] videat. Hoc autem in Deo non oportet, quia [b] Deus non videt per protensionem [c] aspectus, sicut nec est in pluribus locis per applicationem suae substantiae, sed suum videre est sua essentia; et hinc est quod Deus potest simul infinita finita [d] videre, sicut in quaestione an Deus possit vel sciat [e] actu infinita ostensum est. Totalem autem aspectum idcirco superius dixi, quia [f] quamvis in se sit unus et simplex per carentiam corporalis quantitatis, nihilominus [g] intra se habet virtualiter et spiritualiter magnitudinem [h] proportionalem magnitudini et pluralitati [i] suorum obiectorum. Si quis vero contra hoc instet quia aspectus visionis matutinae quo beati vident res in Deo non videtur aliquam unitatem habere cum aspectu visionis vespertinae quo vident res in se ipsis: dici potest quod [k] pro tanto habent unitatem, pro quanto sunt unius et eiusdem potentiae et pro quanto unus ad alterum coordinatur sicut inferior ad superiorem [l].

[Solutio Obiectorum]

Ad primum igitur quod pro prima positione adducebatur dicendum quod maior est falsa. Materia enim simplex, quamvis pro tanto tota attingatur quod [m] non habet more corporum partem et partem, non tamen propter hoc secundum totalitatem suae capacitatis attingitur.

Ad secundum dicendum quod non oportet quod species sic opponantur sicut et earum obiecta; unde et scientiae contrariorum non sunt sibi contrariae, immo sunt sese invicem consequentes [n] et sibi mutuo connexae et quasi eaedem [o]. Ad contrarietatem enim [p] actuum et habituum intellectualium exigitur quod habeant respectum ad idem obiectum et pro [q] eodem tempore; non enim scire Sortem esse nigrum et Platonem esse album sunt contraria, aut scire hoc de Sorte pro diversis temporibus, sed solum scire hoc de eodem pro eodem tempore. Nec isti habitus aut [r] actus sic gignuntur ab obiectis quod in identitate et contrarie-

---

[a] Al. m. mg. *ea;* al. m. *videat* ex *videa*. [b] B[6] *quod*. [c] B[6] *intentionem*. [d] B[6] *ut infinita*. [e] B[6] *faciat*. [f] B[6] *scilicet*. [g] B[6] add. *autem*. [h] B[6] add. *cum*. [i] B[6] *simplicitati*. [k] Al. m. mg. [l] B[6] om. *Si quis... superiorem*. [m] B[6] *tota attingatur tanto* pro *tanto... quod*. [n] B[6] *commitantes*. [o] B[6] *cohaerentes quasi eadem* pro *connexae... eaedem; Ad* al. m. corr. [p] B[6] *eius*. [q] B[6] *per*. [r] B[6] *et*.

tate [a] eis omnino proportionentur. — Quod autem dicitur quod habitus contrariorum sunt contrarii non est simpliciter [b] verum. Amor enim dulcis et odium amari non sibi contrariantur, immo secundum fundatur in primo. Sed si amarum simul cum dulci diligeretur, et hoc [c], prout sunt inter se contraria, tunc amor dulcis esset contrarius amori ipsius amaritudinis. Si tamen diligerentur [d] secundum aliquam unam rationem, utpote in quantum utrumque est utile, aut si unum diligeretur secundum appetitum [e] vel habitum superiorem et aliud secundum appetitum [f] vel habitum inferiorem: non esset [g] necesse quod ibi esset [h] contrarietas. Sciendum etiam quod subiectum spirituale et simplex habet tantum ambitum quod [i], sicut unum corpus quantum potest absque repugnantia contrarietatis in una parte esse album [k] et frigidum et in alia nigrum et calidum, sic subiectum [l] spirituale, utpote memoria [m] vel intellectus, potest secundum unam partem sui virtualem capere unam speciem et [n] secundum aliam aliam, sive sit disparata sive contraria. Sicut etiam materia corporalis in eadem parte sui potest recipere duas [o] formas inter se naturalem ordinem habentes: sic nihil [p] inconveniens, si memoria vel intellectus recipiunt in se duas species inter se [q] ordinem habentes, sicut habent species generis et differentiae aut species subiecti et accidentis, prout [r] sibi inhaerent, et consimilium; quia sicut illae duae formae concurrunt ad unam formam completam constituendam, sic et illae [s] ad unam repraesentationem completam [t] constituendam.

Ad tertium dicendum quod duae figurae corporales quarum quaelibet occupat totum subiectum non possunt simul stare in eodem subiecto, figurae tamen diversarum partium eiusdem subiecti bene possunt simul esse in eodem subiecto, quamvis non in eadem [u] parte. Species autem non occupant totam [v] magnitudinem virtualem potentiarum intellectualium, sed subiciuntur [x] uni speciei secundum unam sui partem seu rationem virtualem et alteri secundum aliam.

([a]) B[6] *contrarietate identitate et propositio* pro *in... contrarietate.* ([b]) B[6] *simplex.* ([c]) B[6] *sed* pro *e. h.* ([d]) B[6] *diligeretur.* ([e]) Ita B[6], V *appetitivam.* ([f]) B[6] *appetitivum.* ([g]) Ita B[6], V *est.* ([h]) Ita B[6], V *sit.* ([i]) B[6] *quia.* ([k]) Al. m. ex *abum.* ([l]) B[6] *obiectum.* ([m]) B[6] *interiora;* idem subinde. ([n]) B[6] om. ([o]) B[6] *diversas.* ([p]) Al. m. mg.; *sic* ex *sicut.* ([q]) B[6] om. *s. i. s.* ([r]) Al. m. corr. ([s]) B[6] *istae.* ([t]) B[6] om. ([u]) Ex *eodem.* ([v]) B[6] *species non occupet tantam* pro *Species... totam.* ([x]) Ita B[6], V *obiciuntur.*

Huiusmodi etiam [a] species non habent omnino talem [b] rationem figurationis sicut figurae corporales, quia illae non videntur aliud dicere quam modum finalium terminationum [c] quantitatis alicuius rei, istae vero species habent potius rationem luminum seu radiosarum [d] imaginum seu potius nec hoc nec illud proprie et totaliter, sed quoad quid conveniunt cum uno istorum, quoad quid cum [e] altero et quoad multa disconveniunt ab omni forma et specie corporali. Et ideo argumentum a simili non multum hic valet [f], quia non sunt omnino similia, immo in multis valde dissimilia.

Ad quartum dicendum quod illa consequentia non valet, nisi solum quando aeque impossibile est de duobus sicut et de mille vel sicut [g] de infinitis. Non enim sequitur quod si domus potest capere [h] centum vasa, quod idcirco possit mille vel infinita; nec valet [i] quod si una materia potest capere duas formas substantiales et duas accidentales, quod idcirco possit mille vel [k] infinitas.

Ad quintum dicendum quod dato quod illa causa sive ratio sit vera in visu, non propter hoc oportet quod sit vera in intellectu, quia intellectus non est potentia organica, sicut est visus; et ideo non oportet ibi huiusmodi [l] intinctiones vel permixtiones specierum dari. Quibusdam autem videtur quod alia sit causa quare visio coloris vitri impedit puram visionem colorum subsequentium. Quae, ut dicunt, consurgit ex duobus in simul concurrentibus: primum est fortis infixio visionis et visualis aspectus super intensum colorem vitri; secundum est debilitas potentiae visivae ad habendum simul duos aspectus fixos secundum eandem lineam. Quem defectum, ut dicunt, non habet oculus gloriosus, quia oculus Christi post vitrum coloratissimum videt pure ulteriores colores sicut et colorem vitri, potest etiam facere quod feratur libere in ulteriores absque hoc quod figatur in colore vitri [m].

Ad sextum [n] dicendum quod licet unum [o] mobile non possit terminari ad plures terminos quorum quilibet sit totali et toti mobili proportionalis, potest tamen secundum diversas sui partes terminari ad plures terminos partiales

---

[a] B[6] *autem.* [b] B[6] om. [c] B[6] *terminationem.* [d] B[6] *radiorum vel.* [e] B[6] om. *cum... cum.* [f] Al. m. mg.; al. m. corr. *hic.* [g] B[6] add. *et.* [h] B[6] *potest accipere* pro *d. p. c.* [i] Al. m. ex *vale.* [k] B[6] add. *in.* [l] In ras. [m] B[6] om. *Ad quintum... vitri.* [n] B[6] 5[m]. [o] B[6] om.

seu partibus suis [a] correspondentes; una enim pars potest simul moveri ad unum totalem locum, cuius loci una pars erit [b] terra, alia aqua, alia aer, alia ignis. Quia igitur mobile spirituale [c] habet magnitudinem spiritualem quae non minoris est virtutis quam magnitudo mobilis: idcirco, quando unus angelus movetur de loco ad locum, potest unus motus eius terminari ad unum locum, cuius loci partes erunt plures [d] et diversorum corporum. Et consimiliter est in aspectibus seu conversionibus potentiarum. Quamvis enim aspectus visualis non sit quantus quantitate corporali: nihilominus tamen habet intra se quandam [e] magnitudinem per quam quasi commetitur [f] se magnitudini sui obiecti in qua in uno nunc [g] figitur. Omnia igitur obiecta quae simul cadunt sub uno magno et alto [h] aspectu unius potentiae habent rationem unius totalis termini [i] illius totalis aspectus seu illius [k] totalis conversionis; diversa vero obiecta seu diversae partes obiectorum correspondent diversis partibus illius aspectus et sunt partiales termini earum. Non est etiam [l] necesse quod omnes motiones intellectus [m] sint eiusdem speciei aut quod semper sint sibi [n] contrariae, sicut ibi falso dicebatur.

Ad septimum dicendum [o] quod licet illa propositio apud plures sit vulgata, aperte tamen est falsa, etiam quasi in omni genere simplicium, utpote in Deo, in angelis et etiam in puncto qui non secundum totalem ambitum [p] est terminus unius lineae, immo sic est conversus ad unam terminandam quod simul cum hoc potest terminare omnes lineas a tota circumferentia ad ipsum concurrentes.

Ad octavum dicendum quod prima non est secundum omnem modum vera, non enim omni modo quo res se habet ad esse se habet [q] ad operari; sed pro tanto est vera, quia perfectio essendi facit ad perfectionem operandi et imperfectio ad imperfectionem et specifica diversitas essendi exigit diversitatem actionis. Unde alia est actio formae habentis esse spirituale et alia habentis esse corporale. Non autem oportet quod si esse est permanens et unum et simplex aut compositum, quod consimiliter operatio sit permanens aut una vel simplex vel ex pluribus actionibus composita [r].

---

[a] B[6] om. [b] B[6] *est.* [c] B[6] *speciale.* [d] Al. m. ex *plure.* [e] B[6] om. [f] B[6] *continuetur.* [g] B[6] *subiecto.* [h] B[6] *altero.* [i] B[6] *obiecto.* [k] B[6] om. [l] B[6] *enim.* [m] B[6] add. *eiusdem speciei aut quod semper.* [n] B[6] om. [o] B[6] *Ad 6* pro *A. s. d.* [p] B[6] add. *suum.* [q] Al. m. mg. *ad... habet.* [r] B[6] om. *Ad octavum... composita.*

Ad nonum [a] dicendum quod minor est falsa, quin potius nunquam potest iudicium completum de alicuius [b] distinctione dari [c] nec complete ab aliis discerni, nisi simul videantur et diiudicentur [d] illa a quibus distinguitur. Aspectus enim iudiciarius [e] non est ita parvae virtutis quin secundum diversas sui partes seu rationes possit simul in pluribus [f] figi. — Quod autem dicitur quod oportet illud distincte et discrete [g] aspici, hoc potest dupliciter intelligi: aut quod oportet eius distinctionem aspicere et videre aut quod oportet ipsum aspectu distincto [h] videri sic quod tunc [i] nihil aliud aspiciatur. Primo modo est verum, secundo est falsum.

Ad decimum [k] dicendum quod dato quod semper oporteat diiudicanda comparare ad aliquod unum, tunc magis sequitur quod illud unum cum illis iudicandis oporteat simul videre quam quod alterum ipsorum solum. — Et ideo etiam tunc minor est falsa qua [l] dicitur quod intellectus non potest illud [m] unum complete videre, nisi sic recolligat [n] se ad illud quod ad nullum aliud se diffundat [o]; quamvis, quando iudico [p] hominem non esse asinum aut [q] quod ens est divisum a non ente, non oportet aspicere aliquod tertium per quod hoc diiudicem [r]. Et idem est de aliis pluribus.

Ad undecimum [s] dicendum quod « omnium natura constantium est praefixus [t] terminus et determinata [u] mensura », prout Aristoteles [v] ait, libro suo II *De anima* [1]. Non igitur oportet quod [x] una nobilis potentia pro quocunque obiecto etiam perfecte videndo totalitatem suae virtutis suique aspectus [y] ad ipsum solum dirigat, sed sufficit quod sub tanta et [z] tali mensura hoc faciat, quantum exigit natura illius potentiae et perfectio sui actus et conditio sui obiecti. Numquid enim sol omnes [a] radios suos recolligit ad unum colorem perfecte illustrandum [b] aut ad unam arbo-

---

[a] B[6] 7. [b] B[6] *nunquam iudicia completa de aliqua complexione* pro *potest... alicuius.* [c] B[6] add. *diiudicentur.* [d] B[6] om. [e] B[6] *iudicii eius.* [f] B[6] *super diversa* pro *i. p.* [g] Al. m. mg. *e. d.* quae B[6] om. [h] B[6] *distincte* pro *a. d.* [i] B[6] *quia* pro *q. t.* [k] B[6] *VIII.* [l] B[6] *quia.* [m] B[6] *id.* [n] B[6] *colligat.* [o] B[6] *quod ad aliud videndum in se non distendat* pro *quod... diffundat.* [p] B[6] *video.* [q] B[6] om. [r] B[6] *diiudicetur.* [s] B[6] *9.* [t] B[6] *praefatus.* [u] B[6] add. *mensuram.* [v] Ita B[6], V *ille.* [x] B[6] add. *pro.* [y] B[6] *perficere in dicendo totalitatem suae servitutis cuiuscunque aspectus* pro *perfecte... aspectus.* [z] B[5] om. [a] B[6] *omnis.* [b] B[6] *illuminandum.*

---

[1] Cap. 4, 416a 16 sq.

rem perfecte producendam? non, nec oportet [a], immo superflueret [b], et forte noceret. Sicque [c] videmus quod [d] licet visualem aspectum acuere et figere et approximare sit bonum ad perfectius videndum, si fiat sub debita [e] proportione: sic e contrario nocet, si fiat sub immoderata mensura. Propositiones igitur ibi positae sunt intelligendae sub certa [f] proportione quam natura rei et suae unitatis et suae perfectionis exigit. Unde pluribus intentus [g] plus quam ratio perfectae apprehensionis uniuscuiusque exigeret [h] minorem sensum habet ad singula; alias, si sub debita proportione hoc fiat, apprehensio unius iuvat ad pleniorem [i] diiudicationem aliorum [k] potius quam noceat, et e contrario. Sic etiam tantum posset uniri seu [l] constringi in se ipso organum visus quod potius sonaret [m] in coarctationem aut in corruptionem virtutis in eo existentis quam in fortificationem. Rursus [n], praeter hoc sciendum quod sic [o] suscipere in se unam formam quantum inde capi potest in nullo impedit capacitatem materiae ad suscipiendum alteram subsequentem; et maxime, quando prior, quanto est maior, tanto magis disponit materiam ad suscipiendum sequentem; et potissime [p], quando cum hoc sequens forma fortificat priorem et regit et tanquam instrumentum suum ad suas operationes plenius deducit, sicut videmus in formis corporis humani respectu animae rationalis. Tunc [q] quidem toto posse unam illarum capere in nullo impedit susceptionem alterius, sed potius [r] iuvat, non solum propter rationem immediate tactam [s], sed etiam quia [t] una nihil occupat aut occupare potest de illa capacitate materiae secundum quam est alterius capax.

Et haec, prout credo, est causa quare visio Dei et rerum in Deo in nullo impedit visionem rerum in se ipsis aut notitiam [u] rerum in sua memoria [v], sed potius fortificat eas [x] et regit; quia aspectus mentis secundum quem [y] est capax visionis divinae, quantumcunque sit magnus et intensus, nihil [z] penitus occupat de illo aspectu seu de illa capacitate mentis secundum quam est capax aliarum scientiarum seu visionum, et praeter hoc una visio se habet ad alteram sicut superior ad inferiorem.

---

[a] B[6] *non enim debet* pro *n. n. o.* [b] B[6] *superfluet.* [c] B[6] *Sique.* [d] B[6] *quem.* [e] B[6] *id ipsum ad videndum, ut fiat subdita* pro *sit... debita.* [f] B[6] om. *proportione... certa.* [g] B[6] add. *scilicet.* [h] B[6] *exigit.* [i] Sequitur ras. [k] Sequitur ras. [l] B[6] *et.* [m] B[6] *faceret.* [n] B[6] add. *autem.* [o] Ita B[6], V *sicut.* [p] B[6] *potentissime.* [q] B[6] *Quoniam.* [r] B[6] *peius.* [s] B[6] *tantam.* [t] B[6] add. *quod.* [u] B[6] *notitia.* [v] B[6] *materia.* [x] B[6] *eam.* [y] B[6] *quam.* [z] Ex *vel*, B[6] *et nihil.*

Si tamen aliquis quaerat quare [a] nunc in statu viae perfecta contemplatio Dei [b] abstrahit ab omni sensu et ab omni alio [c] cogitatu et quare hanc abstractionem exigit: sciendum quod hoc est [d] tam ex parte modi nostrae contemplationis quam ex parte sensuum et aliorum actuum; quia in hac vita nos non possumus Deum contemplari nisi per speculum creaturae et in aenigmate. Secundum enim Hugonem [1] oculus contemplationis est in nobis quasi caecus, oculus vero rationis quasi lippus, oculus autem carnis [e] apertus; et ideo aspectus per quem [f] in vita ista aspicimus Deum non est omnino [g] alterius rationis ab illo quo aspicimus res creatas in se ipsis vel in nobis ac per consequens aliquid occupat de eo [h] quod spectat ad capacitatem illorum et ideo multa istius [i] intensio et augmentatio impedit plenitudinem aliorum. Rursus, sicut aspectum figi in ipso [k] speculo et eundem transire per speculum ad res alias contuendas [l] sibi quodam modo opponuntur ac per hoc simul bono modo esse non possunt, quin se mutuo impediant: sic suo modo aspectum intellectualem terminari in notitia creaturae et eundem transire per eam tanquam per [m] speculum ad Deum contemplandum sibi quodam modo opponuntur et ideo se impediunt; si autem transire eidem opponitur, multo magis iam, ut [n] ita dicam, pertransiisse et in termino contemplationis fixum esse ei opponitur. Sicut enim aspectus visualis, quando [o] est bene fixus in re quam per speculum videt, utitur quidem speculo — unde praesentia speculi est sibi [p] necessaria ad perseverantiam [q] illius visionis suae —, sed tamen eius intentio [r] ita in rem pertransiit [s] quod quasi speculum non advertit nisi valde latenter [t]: sic est de actu nostrae contemplationis, quando est in termino suo. Quia etiam nostri sensus et nostrae affectiones et cogitationes inferiores sunt valde adhaerentes suis obiectis, et potentiae nostrae currunt cum multo pondere et cum multa inclinatione et impetu ad huiusmodi actus, actus vero contemplationis non quaerit figi in speculo creaturae, sed potius celerrime transire per ipsum et transvolare ab ipso: idcirco in vita

---

[a] Ex *quara*. [b] B[6] *Deum;* praecedit ras. [c] B[6] om. [d] B[6] om. [e] B[6] add. *quasi*. [f] B[6] *quam* pro *p. q*. [g] B[6] add. *quasi*. [h] B[6] *quo*. [i] B[6] *illius*. [k] B[6] *affigimus isto* pro *f. i. i*. [l] Ex *constituendas*. [m] B[6] *eum tanquam* pro *e. t. p*. [n] Corr. mg. [o] B[6] om. [p] B[6] om. [q] B[6] *praesentiam*. [r] Ex *intentionis*. [s] B[6] *pertransit*. [t] B[6] *latentius*.

---

[1] Hugo de S. Victore, *De praep. animae ad contempl. (Beniamin minor)*, capp. 2-5, 14, 18, 19 (PL 196, 2sqq.).

ista mutuo se impediunt, in patria vero non utemur creatura tanquam via distanti a Deo nec tanquam speculo aenigmatico, immo unumquodque videbitur per se [a] ipsum et nihilominus unum in altero. Rursus, quod [b] potentia intellectiva convertat [c] se ipsam simul totis viribus ad superiora et ad inferiora [d] non est ita [e] possibile sicut quod sit [f] a Deo conversa ad utrumque. In vita ista autem non potest contemplari Deum, nisi mens convertat se ipsam ad superiora nec etiam aliter vadit communiter ad inferiora; in patria vero conversio illa seu ille aspectus qui est praevius actui visionis non est a mente factus [g] nec esse potest, sed solum a Deo. Si enim mens creata [h] posset huiusmodi aspectum seu conversionem in se causare [i], posset se facere de non vidente videntem ac per consequens de non beato beatum [k]. Et forte idem est de aliquo aspectu quo erit ad inferiora conversa [l], saltem quoad aliquam dilatationem ipsius aut quoad aliquam potestatem liberius aspiciendi. Et ideo non oportet quod ibi ita se impediant sicut hic.

Ad duodecimum [m] dicendum quod non omnis multiplicatio cogitatuum perturbat nos ab aliquo plene diiudicando. Cogitatus enim principiorum demonstrativorum et probabilium rationum non impediunt plenum iudicium conclusionis, sed potius iuvant. Fateor tamen quod nos in vita ista faciliter impedimur, pro eo quod intellectus noster et eius intellectualis aspectus est in nobis valde depressus et coarctatus et valde obscurus et confusus nec est potens sufficienter regulare et frenare varios et confusos motus phantasmatum et idcirco ad pauca simul perfecte potest nec hoc ipsum sine multo conatu et labore. Aliter tamen fuit in statu innocentiae et multo magis in primo statu angelorum.

Ad decimum tertium [n] dicendum quod verba illa metaphorica sunt. Non enim sumus ibi realiter seu substantialiter, sed solum virtualiter seu intentionaliter. Qui quidem modus essendi [o] aliquas efficacias unionis habet quoad quid maiores quam habeat unio substantiae intellectualis ad suum locum. Et haec est intentio illarum auctoritatum.

---

[a] B[6] *aenigmate vibebitur per* pro *aenigmatico... se.* [b] B[6] add. *quia.* [c] B[6] *convertet.* [d] Al. m. mg. *e. a. i.* [e] B[6] *et non est* pro *n. e. i.* [f] Al. m. mg. [g] B[6] *a mite factus nec est* pro *non... factus.* [h] B[6] *terminata.* [i] B[6] *creare.* [k] B[6] *subiecto subiectum* pro *b. b.* [l] B[6] *conversas.* [m] B[6] *X.* [n] B[6] *XI.* [o] B[6] *existendi.*

Deinde de merito angelorum quaeruntur duo.

QUAESTIO XXXVIII.

Primo quaeritur an angeli in primo instanti quo meruerunt fuerint [a] glorificati.

Dicunt enim quidam quod sic.

1. Quia in eis nullum erat impediens aut retardans quin totum id quod mereri potuerunt meruerint in primo instanti quo mereri coeperunt, nec fuit in eis aliquis defectus volendi aut conandi, cum in eis nullus penitus fuerit defectus vitii aut peccati; sed in eodem nunc in quo habuerunt meritum consummatum debuerunt praemiari, quia ex tunc nulla fuit ratio eorum praemium differendi.

2. Item, secundum Augustinum, libro *Super Genesim ad litteram*, angeli in primo nunc suae creationis viderunt Deum et in Deo res fiendas. Nam I libro [1] dicit quod per factionem lucis significata est formatio angelicae creaturae per conversionem sui ad lucem sapientiae increatae, ita quod sua prior informitas nomine caeli prius significata non praecessit eam tempore, sed solum ordine naturali. Et IV libro, bene post medium [2], dicit hoc ipsum, addens quod quia ceterae creaturae infra ipsam factae [b] non sunt sine angeli cognitione factae, quae cognitio vim diei habuit: ideo septem dies illius lucis significant septem cognitiones quibus angeli omnia fienda cognoverunt primo in Verbo ac deinde in ipsismet rebus, ita quod primus dies fuit cognitio sui ipsius in Verbo; et quia haec cognitio non praecessit factionem angeli, ideo hic inter *fiat* et *factum est* non interponitur « et fecit », sicut fit de reliquis, quia Deus prius ordine causali fecit res in cognitione angelica quam essent factae in se ipsis. Ubi et subdit [c 3]: « Quapropter cum sancti angeli quibus post resurrectionem coaequabimur [d] semper videant faciem

---

[a] Al. m. ex *fuerin*. [b] In ras. [c] Sequitur ras. [d] Corr. in ras.

---

[1] Capp. 9, 10 (PL 34, 251 sqq.). [2] Cap. 22 (PL 34, 311 sq.).
[3] Cap. 24 (PL. 34, 313).

Dei Verboque eius perfruantur, in quibus prima omnium creata est sapientia, procul dubio universam creaturam prius noverunt in ipso Verbo Dei tanquam in eo per quod facta sunt omnia ac deinde in ipsa creatura ». Ac deinde primam cognitionem vocat diem, secundam vero absolute sumptam vocat vesperam, eandem vero ut relatam ad laudem Dei vocat [1] mane. Et vult [2] quod omnes septem dies, id est, cognitiones sex operum et quietis diei septimae fuerunt in angelo simul et etiam quod dies et vespera et mane cuiuslibet diei fuerunt in eo simul, licet ibi fuerit ordo causalis, quem Scriptura per ordinem dierum et narrationis vult intelligi. Et idem dicit, XI *De Civitate*, capitulo 29 et 30 [3]. Ergo secundum eum angeli in primo nunc suae creationis per sui conversionem ad lucem aeternam qua facti sunt lux meruerunt Dei visionem et gloriam et obtinuerunt.

3. Praeterea, mali angeli facti sunt ad bonum impossibiles et ad malum necessitati [a] in primo instanti sui peccati; sed huiusmodi prostratio potestatis eorum fuit quaedam damnatio eorum et praecipitatio; ergo in primo instanti quo demeruerunt fuerunt damnati; sed Deus est pronior ad praemiandum bonos quam ad damnandum malos aut saltem aeque pronus; ergo saltem aeque cito fuerunt boni glorificati sicut mali damnati.

[Respondeo]

Alii vero dicunt contrarium, quia ut dicunt, impossibile est esse simul in statu viatoris et promeritoris divinae visionis nondum habitae et habere praemium ipsius visionis; sed positio praefata ponit hoc in eodem instanti fuisse in angelis, quia in primo instanti quo mereri coeperunt fuerunt in statu tendentium ad visionem Dei et quasi in termino a quo, ergo in illo eodem [b] instanti non videbant Deum; si ergo in eodem instanti ipsam visionem pro praemio acceperunt: ergo in illo eodem instanti Deum viderunt et non viderunt [c].

Forte dicetur quod in eodem instanti fuerunt primo naturaliter et ex se non videntes nec beati, sed nihilominus ex divina influentia in eodem nunc facti sunt videntes, sicut et aer in primo nunc quo per solis irradiationem fit de non

---

(a) Al. m. ex *necessiti.* (b) Al. m. mg. (c) Al. m. mg.

---

(1) L. c. (2) Cap. 26 (PL 34, 314). (3) Cap. 29 (PL 41, 343).

lucido lucidus fuit respectu eiusdem nunc prius naturaliter non lucidus quam lucidus; prioritas enim naturalis non contradicit simultati durationis vel temporis, et ideo non est contradictio, si inter aliqua duo est naturalis prioritas et posterioritas et durationis simultas. Unde et Augustinus[1] dicit lucis igneae vel solaris splendorem vel radium esse sibi coaequum; et tamen constat quod radius est naturaliter posterior luce ipsum gignente, sicut omnis effectus est posterior sua causa.

Sed contra hoc illi obiciunt tripliciter: Primo quidem, quia quandocunque aliquis effectus habet sic obtineri per aliquem actum praevium quod oportet illum actum praevium prius finivisse (a) et desiisse, antequam ille finalis actus adveniat: tunc impossibile est ambo illa esse simul; sed sic est de actu intellectus et voluntatis tendentis in aliquid ut in (b) absens, illius enim absentis praesentia non potest obtineri, nisi praevius actus tendentiae sit finitus, unde in tali casu talis causa non solum est prior naturaliter suo effectu, sed etiam tempore. — Secundo, quia sicut nullus ex se obtinet actum gloriae, immo prius naturaliter oportet in ipsum influi habitum gloriae: sic nec ex se habet actum meriti aut iustificantis gratiae, nisi prius naturaliter susceperit habitum gratiae. Aut igitur Deus in primo nunc meriti angelici dedit eis (c) primo habitum gratiae sub illis proprietatibus sub quibus spectat ad solum statum viae et cum quibus est incompossibilis cum perfectione habitus gloriae aut dedit ab initio habitum gratiae ut habentem in se perfectionem habitus gloriae. Si primo modo, tunc impossibile est quod in eodem nunc habuerint habitum gloriae; si secundo modo, ergo non prius natura vel duratione habuerunt gratiam ad merendum quam ad Deum beate videndum et fruendum, immo secundum hoc nunquam habuerunt gratiam ad merendum et consequendum illum habitum gloriae illis ab initio datum. — Tertio, quia secus est dicere istum nunc ex se et ex suis naturalibus non videre Deum et secus dicere ipsum nunc simpliciter non videre Deum (d). In primo enim negatio non fertur directe super actum videndi, sed solum super talem causam et modum; negat enim tantum naturalem causam et modum, id est, quod videre Deum

(a) In ras. (b) Corr. interl. (c) Al. m. mg. (d) Al. m. corr.

(1) *De Trin.*, VI, 1 (PL 42, 923).

non procedit in isto a solis suis principiis naturalibus. In secundo vero [a] simpliciter negatur actus videndi. Sed quando quis ponitur esse in statu et opere promerendi primum influxum habitus gloriosi et in statu et actu tendendi ad illum, eo ipso simpliciter ponitur in statu non videndi Deum et simpliciter ponitur non videre Deum, quia alias de quocunque, quantumcunque beato, potest semper dici quod ex se et ex solis suis naturalibus non videt nec videbit Deum; et tamen propter hoc non dicuntur esse in statu non videndi, immo simpliciter in statu videndi. Quamvis igitur in eodem nunc possit Dei visio veraciter affirmari et naturalis causa videndi negari, non tamen potest simul cum hoc ipsa visio simpliciter negari, nec de tali potest dici quod in uno et eodem nunc fuerit in statu non videndi et videndi [b] Deum. Praeterea, ubicunque fit translatio de statu ad statum et maxime de statu imperfecto ad statum perfectum, semper fit aliqua mutatio tollens statum priorem et prius habitum [c]; sed non potuit simul haberi et tolli seu esse ablatus [d]; ergo impossibile est quod in eodem nunc fuerit habitus et ablatus. Ex his etiam respondent ad exemplum datum de aere quod pro illo nunc in quo factus est lucidus nunquam fuit non lucidus, quamvis possit dici quod tunc ex se [e] non fuit lucidus, id est, quod ipse non fuit sibi causa efficiens suae luciditatis.

Sed adhuc fortasse dicetur quod sicut Christus in primo instanti suae incarnationis meruit [f] et habuit substantialem gloriam redemptoris, id est, illam quae sibi nunquam potuit competere ac per consequens nec dari, nisi voluisset pati et mori pro humano genere redimendo: sic videtur in angelis posse fuisse meritum cum suo praemio simul.

Ad quod respondetur quod secus est de Christo et de quacunque pura creatura. Sicut enim in magna quaestione de merito Christi est tactum, Christus potuit mereri per habitum gloriae, in quantum erat connexus statui viae, potuit etiam per unum actum suae caritatis mereri id quod sibi alias competebat et etiam quasdam rationes triumphalis gloriae absque hoc quod radicalis actus suae caritatis, per quem radicaliter omnia merebatur tenderet in [g] correspondens substantiale praemium tanquam in absens; altiores enim et nobiliores modi merendi fuerunt in eo quam esse potue-

---

[a] In ras. [b] Al. m. mg. *e. v.* [c] Sequitur ras. [d] V *ablatum;* sequitur ras. [e] Al. m. corr. [f] Al. m. mg. [g] Add. interl. al. m.

rint [a] aut debuerint in aliqua pura creatura. Unde et forte idem actus secundum diversos sui respectus et rationes fuit in eo meritum et sui meriti praemium; in quantum enim ad passionem efficaciter volendam erat applicatus, habuit rationem meriti, in quantum vero hoc ipsum volendum Deo erat gloriosum et triumphalem redemptoris coronam et gloriam in se gerens [b], habebat rationem praemii. Nec de hoc mireris, quia etiam peccatum potest esse culpa et suae culpae poena, et secundum Boethium, libro *De consolatione* [1], omne bonum virtutis et meriti est sui ipsius praemium, pro quanto scilicet magna perfectio hominis et multa gaudendi ratio et materia consistit in sola participatione ipsorum; quamvis et forsitan possit dici quod habitus gloriae Christi habet et habuit plures partiales actus, et unus plus habuit rationem meriti, alter vero praemii; velle enim pro redemptione [c] mundi pati plus habuit de ratione meriti, simul vero cum hoc iucundari et in Deo singularem iucunditatem recipere de primo velle plus habuit de ratione praemii.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum dicendum quod si per impedimentum retardans intelligatur aliquid reale contrarium menti aut virtuti angelicae, retardans eam a quocunque profectu sibi mox competenti: sic nullum habuit retardans [d]. Si vero per hoc intelligatur naturalis limitatio et defectus secundum quem non potest sic omnia in primo nunc consummare sicut facit Deus: sic habuit retardans. — Quod autem post [e] aliquam morulam sui actus meritorii potuerit plus mereri et etiam per totam successionem et successivam continuationem illius actus plus meruerit triplici ratione probatur. Prima est, quia eadem causa ceteris paribus plus potest cum alio sibi cooperante quam sine illo; sed mens angelica per actum bonum in se praeinchoatum aggeneravit in se aliquam bonam dispositionem quae sibi ad eiusdem actus ulteriorem consummationem aut ad alterius productionem habuit cooperari; ergo cum illa perfectius potuit producere illa ulteriora quam praeinchoata. Declaratio autem minoris est: quia qua ratione mens nostra, dum est in statu viae, potest per actus se ipsam

---

[a] Ex *potuerunt*. [b] Supra ras. [c] Sequitur ras. [d] Al. m. ex *retandans*. [e] Sequitur ras.

---

[1] Lib. IV, prosa 3 (PL 63, 797 sq.).

magis ac magis afficere et acuere ad eundem sive consimilem actum et [a] ad eius obiectum, eadem ratione potuit hoc et angelus; et etiam tanto magis, quanto fuit potentior ad viandum et quanto eius actus fuit efficacior ad imprimendum et assimilandum et quanto eius subiectum fuit capacius et purius ad suscipiendum. Nec potest contra hoc dici quod ideo nulla habilitas potuit in ipso [b] per eius actus aggenerari, quia in primo nunc suae creationis vel primae susceptionis gratiae ad merendum fuit in omni habilitate et habitu [c] consummatus, quantum citra gloriam potuit consummari, quia tunc in initio [d] termini a quo debuit proficisci fuisset positus in termino ad quem et hoc absque suo merito, quod quidem meritum debuit esse medium perducens a termino a quo ad terminum consummationis in gratia et merito. — Secunda est, quia ordo divinae gratiae et sapientiae dictat quod bene [e] merenti per donum gratiae prius datae paulative magis et magis amplior gratia adderetur ac per consequens quod circa terminum sui meriti esset in gratia cumulatior [f] et in actu merendi potentior et efficacior. — Tertia est, quia saltem continuatio actus meritorii cum facultate oppositum agendi et volendi erat magis meritoria quam sola inchoatio eius; ergo saltem ad aliquam maiorem consummationem sui meriti ac per consequens et praemii debuit sibi dari non solum unum nunc, sed etiam aliquod tempus merendi. Praeterea, si vera est positio quod nihil possit durare aut existere per solum unum nunc aut saltem non aliqua actio agentis creati: tunc actus angeli meritorius duravit plus quam per unum nunc ac per consequens et suus status merendi; sed status gloriae non introducitur nisi in ultimo termino meriti; ergo saltem ante statum gloriae suum meritum plus quam per unum nunc perduravit et crevit.

Ad secundum dicendum quod licet Augustinus opinative posuerit angelos in primo nunc suae creationis Deum vidisse et res fiendas in Deo et etiam fuisse beatos, sicut praeter loca praedicta dicit XI *De civitate*, capitulo 12 [1]: nihilominus voluit [2] eos postmodum meruisse suam confirmationem et certam scientiam ac securitatem ipsius. Et ideo adhuc ex dicto suo non sequitur quod in eodem instanti quo talem confirmationem mereri coeperunt obtinuerint ipsam.

---

[a] Al. m. mg. [b] *In ipso* ex *ipso*. [c] Sequitur ras. [d] *In initio* ex *initio*. [e] Sequitur ras. [f] In ras.

---

[1] Cap. 11 (PL 41, 327). [2] *De corr. et gratia*, cap. 10, n. 27; cap. 11, n. 32 (PL 44, 932, 935).

Prima enim Dei visio [a] et beatitudo quam secundum eum in primo nunc habitualiter acceperunt praecessit in eis causaliter et naturaliter omnem actum eorum meritorium [b], et ideo illa secundum eum non fuit praemium sui meriti. Ulterius dicendum quod beatus Augustinus tanquam in parte sequens dogma Platonicum credidit omnem intellectum in actu intelligentiae immediate illustrari a luce aeterna et immediate contueri aliquas aeternas regulas eius ac deinde cetera in regulis illis [1]. Propter quod hoc multo fortius credidit de primo homine ante lapsum et adhuc multo altius de angelis. Nos autem sequentes sententiam Dionysii [2] et etiam Scripturae Sacrae dicentis [3] Deum dixisse Moysi *faciem meam videre non poteris, non enim videbit me homo et vivet* et dicentis per Paulum [4] *videmus nunc per speculum et in aenigmate, tunc autem facie ad faciem* et quod [5] *quamdiu sumus in hoc mortali corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus et non per speciem* et [6] quod *spe, non autem re salvi facti sumus, quod enim videt quis, quis sperat?* et iterum [7] quod *fides est substantia rerum sperandarum et argumentum non apparentium*, id est, rerum non visarum et dicentis, per Iohannem [8] scilicet, *Deum nemo vidit unquam*, nemo scilicet huius vitae, de his enim solis ibi loquitur: hoc, inquam, sequentes pro certo tenemus quod nullus angelus vidit facialiter [c] Deum in primo nunc suae creationis nec quamdiu fuit in statu viatoris sive tendentis et inhiantis ad Dei visionem sibi absentem.

Ad tertium dicendum quod illa prostratio daemonum quae fuit facta per solum actum sui peccati non fuit eorum damnatio, sed potius illa aeternitas reiectionis et poenae quae est eis a Deo propter eorum priorem culpam postmodum inflicta et adhuc amplius infligenda. Praeterea, non est simile de casu peccati et de profectu meriti, quia facilius [d] est se ipsum repente occidere et occidendo se, quantum est

---

[a] Al. m. *D. v.* ex *divisio.* [b] Al. m. ex *merito.* [c] Al. m. ex *faciliter.* [d] Ex *faciliuus.*

---

[1] *De lib. arb.*, II, 14 (PL 32, 1262); *Confess.*, XII, 25 (PL 32, 840); *De magistro*, cap. 11 (PL 32, 1216); *De Trin.*, VIII, 3 (PL 42, 949 sq.); IX, 6 (966 sq.); XIV, 15 (1052). [2] Cfr. Pseudo-Dionys., *De div. nom.*, cap. 1 per totum (PG 3, 586 sqq.); *De myst. theologia*, cap. 5 (PG 3, 1047). [3] Exod. 33, 20. [4] 1 Cor. 13, 12. [5] 2 Cor. 5, 6. [6] Rom. 8, 24. [7] Hebr. 11, 1. [8] Ioh. 1, 18.

ex se, ad resurgendum impossibilitare et ad semper esse mortuum necessitare quam se ipsum conservando immobilem perpetuitatem vitae sibi dare. Licet autem Deus sit pronior ad miserandum, nihilominus non est contra rationem suae misericordiae naturas permittere agere cursus suos et permittere eis proprietates ipsis connaturales.

QUAESTIO XXXIX.

Secundo quaeritur an gloriam prius habitam possint mereri per actus subsequentes

Sicut quidam scripserunt

Moti ad hoc:

1. Primo, a([a]) simili: quia saepe videmus quibusdam solvi stipendium quod nondum meruerunt, sed sunt postmodum promerituri([b]).

2. Secundo, quia non est verisimile angelos nihil mereri in omnibus quae propter Deum circa nos regendos([c]) usque ad novissimum diem extremi iudicii operantur.

3. Praeterea, constat quod angelus secundum gratiam praeacceptam efficaciter operans est eo ipso dignior habere praeacceptam gratiam quam prius esset; ergo hanc dignitatem meruit per actum subsequentem.

4. Praeterea, per hoc fit dignus ut sibi eadem conservetur; ergo pro tanto eam promeretur.

[Respondeo]

Sed contrarium tenetur et certe rationabilius.

Cuius prima ratio ex parte Dei gratiam infundentis sumitur, quia ipse non dat nec infundit nec efficit talem gratiam conditionaliter, sed potius absolute et liberaliter et mero amore amicitiae; per hoc enim donum facit suscipientem esse suum specialem filium et amicum. — Secunda sumitur ex parte ipsius doni, quod quidem est prima iustificans gratia; et ideo secundum Apostolum([1]) contra eius rationem est

([a]) Ex *ac.* ([b]) In ras. ([c]) Sequitur ras.

([1]) Cfr. Rom. 3, 24 sqq.; 4, 2 sqq.; 9, 15 sqq.; 11, 5 sqq.

quod cadat sub merito nisi forte congrui, quamquam nec sic, si sit omnino prima. — Tertia sumitur ex parte actus meritorii talem gratiam subsequentis; constat enim quod talis actus accipit rationem virtuosi et meritorii ex praeaccepto habitu gratiae; ergo perinde est dicere quod per talem actum praeacceptam gratiam mereatur, acsi diceretur quod eadem gratia se ipsam mereatur. Praeterea, effectus non est causa productionis suae causae; meritorium autem est per viam promerentiae causa dationis et productionis sui formalis praemii; ergo non potest esse effectus talis praemii. — Quarta sumitur ex ratione habitus gloriosi, qui quidem, in quantum talis, habet rationem ultimi finis et termini et impossibile est quod respectu ipsius habeat rationem tendentis et viatoris; et si aliquo modo in aliquid aliud tanquam in finalem terminum et praemium tendit, eo ipso sequitur ipsum nondum esse in gloria consummatum. Nec est [a] contra hoc illud quod de Christo [b] in praecedenti quaestione praemisimus, quia ipse secundum animam fuit simul passibilis et beatus ac viator et comprehensor, et promerentia sua fuit longe disparis rationis ab omni alia promerentia. — Quinta sumitur ex causa propter quam angeli facti sunt primo in statu in quo peccare et a quo cadere potuerunt, iuxta quod et quidam eorum de facto ceciderunt. Constat enim secundum Anselmum [1] et secundum rectae rationis dictamen quod huius causa fuit, ut iuxta quod decebat primo mererentur gloriam, antequam acciperent eam. Si enim essent facti impossibiles ad peccandum, tunc nihil boni eorum posset eis tanquam primae causae secundum aliquam rationem adscribi, unde et in omnibus potius haberent rationem accipientis quam dantis et electi quam eligentis, pro eo quod essent a Deo necessitati ad omne bonum suum; nunc autem pro quanto peccando potuerunt a Dei amore averti, pro tanto habent rationem eligentis et dantis et primae causae boni quod elegerunt, sicut alibi plenius et ostensum. Sed si post acceptum statum et habitum gloriae eam sufficienter promereri possunt, tunc haec ratio nullum habuit hic [c] locum, immo est simpliciter falsa. — Huic autem sententiae attestatur Augustinus, libro *De moribus Ecclesiae*, dicens [2]: « Vita aeterna est totum praemium cuius promissione gaudeamus, nec prae-

---

[a] *Nec est* ex *est nec.* [b] Al. m. mg., del. *ipso.* [c] Al. m. mg.

[1] *De casu diaboli*, capp. 3, 5 (PL 158, 328sqq.). [2] Lib. I, 25 (PL 32, 1331).

mium potest praecedere merita nec prius homini dari quam dignus sit; quid enim hoc iniustius? et quid iustius [a] Deo? non ergo debemus poscere praemium, antequam mereamur accipere ».

[Solutio Obiectorum]

Ad primum vero alterius partis dicendum quod illud non est simile; tum quia tale stipendium non habet in sua essentia rationem amicitiae et merae gratiae; tum quia potest recompensari ipsi danti per aliquod aequivalens aut etiam praevalens; tum quia opera tale stipendium promerentia non efficiuntur ab ipso stipendio nisi forte per modum alicuius extrinseci coauxiliantis, in quo quidem plus habet rationem sumptus quam stipendii vel praemii. Contraria autem horum reperiuntur in proposito.

Ad secundum dicendum quod angeli possunt nunc mereri augmentum gloriae quod nondum habent; rationabile enim est quod eorum gloria cum incremento gloriae hominum per eorum ministerium salvandorum excrescat et tandem in eorum consummatione finaliter consummetur. Quod autem nunc merentur et mereri possunt provenit ex merito quo ante suam gloriam meruerunt; ex hoc enim quod, cum possent se a Deo avertere, elegerunt in aeternum permanere cum ipso, totius sui boni quod per hoc meruerunt et tandem obtinuerunt facti sunt quodam modo prima et libera et gratuita causa. Et ideo ex relatione ad primum meritum potuerunt sortiri quandam rationem merendi suam ampliorem consummationem.

Ad tertium dicendum quod per illud non probatur quod dignitatem gratiae quam prius habebat meruerit per actum sequentem, sed solum quod aliam ipsius condignitatem ex hoc meruit; nec ista condignitas est praemium illius meriti, immo est ipsum meritum quod, pro quanto est gloriosum, est quodam modo sui agentis praemium.

Ad quartum dicendum quod conservatio gratiae subsequens primam creationem ipsius subsequitur et actum ipsam promerentem; ex hoc autem non sequitur quod per eundem actum promereatur ipsam gratiam, pro quanto fuit primo [b] data et habita. De hoc autem solo erat quaestio.

---

[a] Al m. ex *iustus*. [b] Al. m. mg.

Deinde pro peccato et casu daemonum quaeruntur octo [1].

QUAESTIO XL.

Primo quaeritur an Deus possit facere aliquam potentiam intellectivam aut liberam essentialiter inerrabilem et impeccabilem.

Et [a] quod sic videtur.

1. Quia hoc non contradicit essentiae creatae, quia virtus, et praecipue virtus caritatis, est essentialiter impeccabilis et multae naturae [b] irrationabiles.

2. Item, huiusmodi peccabilitas tollitur per gloriam et gratiam [c] consummatam; ergo non est [d] essentialis potentiae; ergo eius oppositum, scilicet impeccabilitas, non contradicit essentiae potentiae; Deus autem potest omne illud in quo non cadit contradictio.

3. Item, si liberum arbitrium est essentialiter peccabile: aut hoc competit sibi, quia est de nihilo, aut competit sibi, quia liberum, et tunc peccabilitas seu potentia peccandi est essentialis pars libertatis. Cuius contrarium dicit Anselmus, libro *De libertate arbitrii*, capitulo 1 et 2 [2]; cuius ratio est duplex: prima est, quia tunc Deus et angeli non haberent liberum arbitrium, cum non habeant potentiam peccandi; secunda est, quia potestas peccandi addita voluntati minuit eius libertatem et eius demptio [e] auget libertatem, quia liberior est qui sic habet quod decet et expedit ut hoc amittere non queat quam qui sic habet hoc ut perdere possit et qui ad hoc quod decet valet adduci.

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Al. m. mg., in textu del. *naturae* (al. abbr.). [c] In ras. *e. g.* [d] Al. m. mg. [e] In ras.

---

[1] De facto quaeruntur novem, vide quaestionem XLVIII. [2] PL 158, 489 sqq.

Respondeo

Quod impossibile est aliquam praedictarum potentiarum fieri essentialiter inerrabilem et impeccabilem. — Unde Damascenus [a], libro II, capitulo 17, loquens de angelo dicit [1]: « Est igitur natura intellectualis et arbitrio libera vertibilis secundum mentem, scilicet voluntatem; omne enim creabile est vertibile, solum enim increabile est invertibile ». Et paulo post: Ut creabilis, ut vertibilis est habens facultatem manendi et proficiendi in bono et ad malum vertendi. Item, Augustinus, XII *De civitate*, capitulo 6, dicit [2] quod voluntas facit in se voluntatem seu affectionem malam, non ex eo quod est quaedam natura, sed eo quod de nihilo facta est; sed constat quod esse de nihilo est impossibile tolli ab aliqua voluntate creata.

Ad iudicandam autem huius impossibilitatis causam vel rationem attendenda est natura potentiarum istarum. Nam essentialiter sunt tanti ambitus quod omne ens et omne verum et bonum habent pro obiecto. Rursus, de essentia [b] voluntatis est quod sit libera, et de essentia intellectus est quod sit libere mobilis ab illa. Si igitur essent essentialiter inerrabiles et impeccabiles, tunc oporteret quod habitualis et actualis ordo earum ad omnia sua obiecta sub debito ordine sumptus inesset eis essentialis, ita quod omnem rectum ordinem quem respectu cuiuscunque obiecti possunt suscipere essentialiter in se haberent. Hoc autem est idem quod dicere omnem [c] virtutem eis esse essentialem; quod est impossibile et plenum contradictione. Primo quidem, quia si quaelibet virtus est forma vel pars essentialis potentiae cuius est: tunc aut omnes virtutes erunt una simplex forma et omnino idipsum aut erunt formae essentialiter diversae. Si autem omnes [d] sunt una: tunc una non erit superior altera, quia idem non est se superius, et ita in creatura amor aliorum propter Deum erit essentialis amori Dei propter se, quod rectus ordo nullatenus patitur. Item, si omnes sunt una simplex forma: ergo illa erit transcendentissimi ambitus et generis, quia in sua

---

[a] Ex *Damacenus*. [b] V *essentiae*. [c] Sequitur ras. [d] Al. m. mg.

---

[1] *De fide orth.*, II, 3 (PG 94, 867). [2] PL 41, 353 sq.

simplicitate comprehendet [a] omnes specificas rationes virtutum et suorum obiectorum. Si autem sunt [b] essentialiter diversae: tunc quot erunt virtutes, tot erunt et potentiae, quia quaelibet virtus erit una potentia respectu suorum actuum, et cum amor Dei imperet omnibus virtutibus, solus ille erit potentia libera. Quae omnia plena sunt inconvenientiis, quia cum potentia per unamquamque virtutem feratur in bonum absolutum et purum, oportebit quod quaelibet habeat eandem universalem rationem boni pro obiecto ac per consequens quod omnes sint eadem potentia. — Secundo, quia omnis virtus quae in nobis aut in quocunque altero invenitur esse accidens se habebit ad virtutes illas essentiales analogice et quasi aequivoce; essentiales enim erunt incomparabiliter transcendentiores quam nostrae accidentales, et consimiliter potentiae quarum forma essentialis erunt ipsae virtutes erunt omnino alterius generis et speciei a nostris et ab omnibus quae non habent virtutes pro forma essentiali, sed solum pro accidentali. — Tertio, quia oportebit quod illae essentiales actualiter seu habitualiter attingant omnia obiecta et omnes modos agendi ad quae potentia voluntatis extendi potest; ex quo sequitur quod sint actu infinitae et infinita simul in sua virtute comprehendentes. — Quarto, quia potentia cuius erunt nullo modo erit in potentia ad vitia, etiam in potentia remotissima, immo nec vitia contrariabuntur ei nisi eo modo quo contrariantur virtutibus Dei, quae scilicet sunt ipsa essentia Dei. Si enim vitia essent eis contraria, tunc ad eandem potentiam spectarent; et tunc oporteret [c] virtutes esse accidentia, sicut sunt et ipsa vitia, quae utique impossibile est [d] esse substantialia naturis aut potentiis. — Quinto, quia si voluntas aut forma voluntatis est ipsa virtus: tunc aut voluntas talis non est libera aut oportet quod virtus eius sit indeterminata ad sua obiecta et ad suos actus et hoc sic quod nullo formali sibi addito possit se determinare nunc ad hoc nunc ad illud, sicut facit Dei voluntas; quia si virtutes praedictae sunt determinatae seu potius determinationes potentiae ad sua obiecta, sicut utique sunt nostrae, tunc oportet quod illa determinatio fuerit eis indita a creatore [e], voluntas autem ab altero agente totaliter determinata [f] non est proprie et plene libera. — Sexto, quia tunc tales potentiae non poterunt in aliqua virtute perfici

---

[a] Ex *comprehendas*. [b] Al. m. mg. [c] Ex *oporterent*.
[d] Al. m. mg. [e] Al. m. ex *creatoe*. [f] Al. m. ex *terminata*.

vel minui aut variari nisi cum substantiali sui augmento vel diminutione aut variatione. — Septimo, quia si virtus est essentialis forma voluntatis, tunc omnis amor existens in ea erit virtus, et ita naturalis amor sui aut cuiuscunque alterius rei erit in ea non solum virtutibus regulatus, sed etiam ipsa virtus, sicut utique est in [a] Deo. — Octavo, quia secundum hoc sequitur quod materia seu primum materiale potentiae informetur immediate per amorem Dei tam gratuitum quam beatificum et quod habitus gratiae et gloriae sint substantialis forma ipsius. — Nono, quia qua ratione ponitur quod potentia per essentiam suam habeat omnes ordines virtutum quos ad quaecunque obiecta potest habere: eadem ratione debet aut potest hoc poni de omni alio ordine omnium potentiarum et potentialitatum suarum; et tunc substantia talis habebit actu omnes ordines quos unquam habere potest vel potuit eo modo quo et de Deo dicimus quod Deus habet actu quicquid in se formaliter habere potuit [b] aut potest. — Decimo, quia qua ratione Deus poterit facere quod virtus sit essentialis, eadem ratione poterit facere quod actus virtutum sit ipsa forma essentialis, sicut et sunt in Deo, ita quod non sint producti a potentia, sed potius sint formale esse ipsius potentiae; et e contrario, qua ratione improbatur hoc de actibus potentiarum, eadem ratione improbatur hoc de habitibus.

Ex praedictis autem facile est advertere quod virtus non potest esse substantialis alicui substantiae praeterquam Deo. Unde philosophi nunquam posuissent eas esse substantiales intelligentiis separatis, nisi supposuissent ipsas esse deos invariabiles et aeternos et actu infinitos.

Qui autem vult breviter intueri qua ratione nostrae potentiae aut earum consimiles se habent ad virtutes sicut ad accidentia, sciat quod hoc ostendit primo contrarietas vitiorum ad virtutes quarum sunt susceptibiles; ex quo oportet quod nostrae potentiae ex sua essentia sint capaces virtutis et vitii. — Secundo ostendit hoc ordo potentiarum nostrarum ad sua obiecta et ad suos actus; habent enim totum ens pro obiecto et ex sua essentia non sunt determinatae ad omne ens seu ad omne obiectum nec esse possent sine actuali infinitate tam capacitatis quam habituum seu formalium determinationum. — Tertio, ostendit hoc ordo potentiarum nostrarum ad actus suos, quia sic qui-

---

[a] Add. interl. al. m. [b] Al m. ex *potest.*

busdam suis actibus dominantur quod, quantum est ex se, possunt in actus oppositos; quod non posset fieri, si habitus determinantes potentias ad actus essent eis essentiales. — Quarto, ostendit hoc ordo potentiarum nostrarum ad Deum ut ad principium movens et ut ad exemplar regulans et dirigens et ut ad finale obiectum terminans et complens; si enim virtutes essent nobis substantiales, tunc non indigeremus nisi Deo creante ad quaecunque opera gratiae vel gloriae aut oportet (a) dicere quod in essentiali respectu nostrae creationis non solum includitur respectus ad Deum ut creantem, sed etiam respectus ad Deum ut ad regulam et obiectum actuum nostrorum. — Quinto, ostendit hoc ordo transcendentiae virtutis et gratiae et gloriae super naturam potentiarum nostrarum et super ordinem earum mere naturalem. — Sexto, ostendit hoc ordo voluntatis ad intellectum et ad regulam rationis et legis; si enim intellectus noster non potest essentialiter esse omnis recta cognitio et scientia omnium nec solum potest habere habitum scientiae, immo et opinionum et errorum: multo minus potest nostra voluntas esse essentialiter omnis regula et rectitudo virtutis. — Septimo, ostendit hoc earum potentialitas subicibilis variis accidentibus, ex quo oportet quod habeant talem formam substantialem per quam possint ordinari ad ulteriores perfectiones seu defectiones accidentium; virtutes autem non possunt esse tales formae nisi forte solum respectu suorum actuum, quia virtus est ultima determinatio potentiae ad actum et ad certum modum agendi. Rursus, facile est intelligere quod ex quo experimur nos saepe carere virtutibus et plenos esse vitiis et saepe transire de uno ad alterum, quod impossibile est nostras potentias sub eadem specie sua manentes posse ad hoc elevari a Deo ut virtutes fiant substantiales formae earum aut quod ipsae ex sua absoluta essentia sint immobiliter et inseparabiliter colligatae ad illas.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum dicendum quod licet essentia virtutis sit de se impeccabilis, quia eius essentia est contraria vitio, nihilominus essentiae substantiarum vel potentiarum quibus insunt contradicit esse ex se impeccabiles propter rationes praedictas. Naturae autem irrationales ea ratione qua non sunt capaces virtutis non sunt capaces vitii virtutibus con-

(a) Ex *oporteret.*

trarii, quamvis in defectus quosdam innaturales [a] seu suae naturali rectitudini oppositos possint incidere.

Ad secundum dicendum quod prout peccabilitas dicit solum ordinem potentiae remotae, aut prout dicit possibilitatem competentem voluntati sine habitu ad contrarium determinante sumptae, sic est essentialis nostrae voluntati; prout vero dicit ordinem potentiae propinquae et dispositae aut de facili disponibilis et mobilis a se ipsa ad malum, sic non est essentialis et ideo potest tolli per gratiam et gloriam consummatam.

Ad tertium dicendum quod peccabilitas seu potentia peccandi, in quantum defectibilis, includit in se generalem rationem deficiendi et ultra hoc specialem, quia non est potentia ad quemcunque defectum, sed solum ad defectum voluntarium et vitiosum. Sua igitur ratio generalis inest voluntati ex hoc quod est de nihilo, specialis vero inest ei ex hoc quod est voluntas libera [b] et de nihilo, ut sic sumatur simul ratio generalis cum speciali. Verum [c] est ergo quod non competit sibi ex hoc solo quod est de nihilo aut solum quia libera, sed coniunctim, quia scilicet habet talem libertatem quod est de nihilo, ex hoc enim habet libertatem defectibilem. — Ad verificationem autem verbi Anselmi duplex distinctio est subintelligenda: prima est, quia potentia peccandi potest sumi aut pro essentia potentiae volitivae, in quantum habet vim causalem simul et subiectivam seu receptivam defectivi actus peccati, aut pro sola defectibilitate ipsius potentiae, per quam scilicet nihil causat entis, sed solum dum aliquid causat, deficit ab aliquo [d] bono vel est apta nata deficere. Et de hoc secundo modo verum est verbum Anselmi, non autem de primo. Secunda distinctio est, quia per partem essentiae seu potentiae potest designari quodcunque positivum illius potentiae vel essentiae constitutivum aut quaecunque ratio, sive positiva sive negativa seu defectiva, essentialiter inclusa in essentia talis potentiae. Primo modo est verum verbum Anselmi, non autem modo secundo. In secunda tamen ratione Anselmi ibidem tacta sumitur ratio peccandi pro dispositione seu facili mobilitate vel pronitate ad peccandum; hoc enim modo minuit libertatem gratiae, quamvis non minuat nostram libertatem essentialem.

---

[a] Al. m. ex *naturales;* al. m. *quosdam* ex *quodam.* [b] Ex *libertas.* [c] Al. m. corr. [d] Al. m. mg., del. *aliod.*

QUAESTIO XLI.

Secundo quaeritur an potentia peccandi sit pars nostrae libertatis.

Et videtur quod non.

1. Quia Anselmus, libro *De libertate arbitrii*, capitulo 1 [1], arguit primo contra hoc sic: « Quamvis liberum [a] arbitrium Dei et angelorum et nostrum differant, definitio tamen libertatis in ipsis secundum hoc nomen [b] debet esse eadem; licet enim animal differat ab alio [c] animali substantialiter vel accidentaliter, definitio tamen animalis secundum nomen suum est omnibus eadem »; sed liberum arbitrium Dei et bonorum angelorum non potest peccare; ergo posse peccare non pertinet ad definitionem libertatis arbitrii, quia tunc inesset omnibus habentibus libertatem; sed quod non pertinet ad definitionem libertatis non est libertas nec pars libertatis nec aliquid essentiae eius; ergo et cetera.

2. Secundo arguit sic [2]: « Illa voluntas quae sic vult et potest non peccare ut nullatenus flecti valeat a rectitudine non peccandi est liberior quam illa quae aliquo modo potest flecti ad peccandum, quia liberior est qui sic habet quod decet et quod expedit ut hoc amittere non queat quam ille qui sic habet hoc ipsum ut perdere possit et ad hoc quod dedecet nec expedit valeat adduci; sed illud quod additum minuit libertatem et separatum auget ipsam non est libertas nec pars libertatis; potentia autem peccandi minuit eam », ut iam declaratum est; ergo potentia peccandi non est libertas nec pars eius.

3. Tertia ratio trahitur ex iis quae 2 capitulo [3] dicit respondendo ad obiectionem sibi factam qua dicitur quod « omnis peccans peccat sponte vel ex necessitate »; si autem sponte: ergo per liberum arbitrium; si autem non sponte:

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. mg. [c] In ras.

---

[1] *De libero arbitrio*, cap. 1 (PL 158, 489 sq.). [2] L. c. (PL 158, 490 sq.). [3] PL 158, 491 sq.

ergo ex necessitate. Respondet enim ad hoc quod « peccavit quidem sponte et per liberum arbitrium, sed non per hoc unde est et erat liberum, quia non peccavit per potestatem qua poterat non peccare, sed per potestatem peccandi, quae quidem non (a) iuvabatur ad hoc a libertate non peccandi ». Ex hoc enim arguo sic: liberum arbitrium est liberum ex hoc quod potest non peccare et a servitute peccati se praeservare; sed ex hoc quod potest non peccare non habet potestatem peccandi; ergo ex hoc quod est liberum non habet potentiam (b) peccandi; ex quo sequitur quod potentia peccandi non sit pars libertatis.

4. Quarta ratio trahitur ex ultimo capitulo (1), ubi probat quod « perfecta definitio libertatis nihil habens superfluum vel diminutum est potestas servandi rectitudinem voluntatis propter ipsam rectitudinem ». Ex hoc enim sequitur quod posse peccare non includatur in definitione libertatis nec in aliqua parte eius. Primum autem, scilicet quod sit perfecta et indeficiens, probat sic (2): « Nam 'potestas' est genus libertatis; quod vero additur 'servandi' segregat eam a potestate aliorum (c) actuum, scilicet ridendi vel ambulandi; addendo vero 'rectitudinem' secernitur a potestate servandi quodcunque aliud quod non (d) est rectitudo; per additionem vero 'voluntatis' segregatur a potestate servandi rectitudinem aliarum (e) rerum, ut virgae vel semitae; per hoc autem quod additur 'propter ipsam rectitudinem' distinguitur a potestate servandi rectitudinem propter aliud, ut cum servatur propter pecuniam vel naturaliter, sicut canis servat naturaliter rectitudinem voluntatis, cum amat catulos suos aut dominum suum sibi benefacientem ». Et subdit (3): « Quia igitur non est aliquid in hac definitione quod non sit necessarium ad concludendum libertatem arbitrii rationalis voluntatis et ad excludendum omnia alia, ita quod ipsa sufficienter includitur et alia excluduntur: ergo haec definitio nihil habet superfluum nec diminutum ».

5. Quinta ratio est: nullum excludens aliquod essentialium libertati seu libero arbitrio potest simul stare cum ipsa, saltem non ipsam (f) minuendo sed potius perficiendo; sed necessitas servandi iustitiam excludit potentiam peccandi, non

---

(a) Al. m. mg. (b) Al. m. corr. (c) Al. m. corr. (d) Sequitur ras. (e) Al. m. corr. (f) Ex *ipsam non.*

(1) Cap. 4 (PL 158, 494). (2) Cap. 13 (PL 158, 505). (3) L. c.

autem libertatem liberi arbitrii, immo potius perficit ipsam, sicut patet in beatis; ergo potentia peccandi per huiusmodi necessitatem exclusa non est essentialis libero arbitrio.

6. Sexta ratio est: pura negatio seu nihil non est essentia vel pars essentiae alicuius entis; sed ([a]) posse deficere est pura negatio et defectus et nihil, quia non est aliud quam defectus seu negatio immutabilitatis seu indefectibilitatis; ergo non est essentia nec pars essentiae liberi arbitrii.

7. Septima est: liberum arbitrium, in quantum liberum, est praedominans et dicit praedominium; sed ipsum, in quantum potest peccando deficere, non est praedominans nec dicit praedominium, sed potius defectibilitatem cadendi in servitutem peccati.

8. Octava est: quia Anselmus, libro praefato, capitulo 3 ([1]), dicit quod illa potestas qua illud quod potest impedire actum videndi vel alium dicitur conferre illum actum, quando non impedit eum, dicitur improprie potestas videndi seu agendi illum actum; quia non impedire non est aliquid illius actus efficere, sed est tantum non auferre. Sed ipse, libro *De concordia gratiae cum libero arbitrio* ([2]), dicit quod « hoc habet homo in bonis iustitiae, quia cum posset ea sibi ([b]) auferre deserendo iustitiam et peccando, non sibi ea abstulit, sed cum gratiae auxilio ipsa servavit ». Ergo potestas peccandi non cooperatur proprie et per se, sed improprie et per accidens ad meritorios actus iustitiae; ergo non est pars illius libertatis quae proprie et per se cooperatur gratiae seu cum gratia ad actum merendi.

Et haec ratio sufficiat pro altera parte alterius quaestionis quà quaeritur an posse peccare cooperetur seu conferat ad rationem merendi.

In contrarium autem arguitur.

Quia Hieronymus, in secunda epistola *Ad Demetriadem*, dicit ([c] [3]): Quare Deus fecit hominem cum potestate faciendi male sive peccandi et non potius astrictum ad immutabilis boni necessitatem? Et respondet: « Quia in hac

([a]) Al. m. ex *se*. ([b]) Al. m. ex *sib*. ([c]) Al. m. corr.

([1]) Capp. 3, 4 (PL 158, 494 sq.). ([2]) *De concordia praesc. cum lib. arb.*, cap. 14 (PL 158, 540). ([3]) Haec epistola non est S. Hieronymi sed Pelagii haeretici ad Demetriadem, ponitur tamen inter illius epistolas, ep. 1, cap. 3 (PL 30, 17 sq.).

utriusque partis libertate positum est rationalis animae decus, hinc totius naturae nostrae honor consistit, hinc dignitas, hinc denique optimi quique laudem merentur, hinc praemium, nec esset omnino ulla virtus in bono perseverantiae, si is ad malum transire non potuisset; utriusque enim partis possibilitatem homini inserendo fecit Deus proprium eius esse quod vult, neque enim aliter spontaneum habere poterat bonum, nisi illa quae mala sunt habere posset; utrumque nos posse voluit Omnipotens, sed solum unum facere, scilicet bonum, quod et imperavit, malique facultatem ad hoc tantum dedit, ut voluntatem eius ex nostra voluntate faceremus; unde hoc quoque ipsum quod etiam male facere possumus bonum est, bonum, inquam, quia boni partem efficit meliorem, facit enim ipsam voluntariam sui iuris non necessitate devinctam sed iudicio liberam; licet enim nobis eligere et refutare, probare et respuere nec est quo magis rationalis creatura ceteris praeferatur, nisi quod cum omnia alia tantum habeant naturalis conditionis et necessitatis, haec sola habet etiam voluntatis »; haec Hieronymus. In quo expresse videtur tenere oppositum rationum praemissarum utriusque quaestionis.

Item, Damascenus, libro II [1], ubi agit de libero arbitrio, dicit quod « eorum quae fiunt haec quidem sunt in nobis, haec autem non in nobis; in nobis autem sunt quae nos sumus liberi arbitrio facere et non facere, haec autem sunt omnia quae per nos voluntarie aguntur et simpliciter omnia quae sequitur laus vel vituperatio et super quibus est lex; principaliter autem sunt illa de quibus consiliamur, consilium autem est eorum quae pariter contingunt, pariter autem contingens est quod et ipsum possumus et oppositum eius, puta moveri et non moveri, impetum facere et non facere, mentiri et non mentiri, dare et non dare, laetari et non laetari in quibus oportet vel in quibus non oportet, et quaecunque talia in quibus sunt opera virtutis et malitiae; haec enim sumus liberi arbitrio facere »; haec Damascenus. Ergo secundum eum mala facere fiunt a nostro libero arbitrio, in quantum est liberum; et essentiale est ei posse facere illa et utramque partem oppositorum praedictorum. Ex quo etiam sequitur quod nostrum liberum arbitrium non sufficienter definitur per solam potestatem servandi iustitiam, immo debet ibi poni potestas ad omnia opposita per nos

[1] *De fide orth.*, II, 26 (PG 94, 598 sq.).

libere factibilia. Item, paulo ante [1] dicit: Si homo non est causa et principium actuum, oportet Deo ascribere turpes actus et iniustos, quod non est fas, aut [a] necessitati vel fortunae aut casuali eventui aut naturae. Quorum oppositum ibi breviter ostendit. Ex quo infert: relinquitur itaque ipsum hominem, agentem scilicet turpia et iniusta, esse principium propriarum operationum et arbitrio liberum; sed hoc nihil est, si non fiunt ab eo, in quantum est liberum.

Item, Augustinus, libro *De duabus animabus*, capitulo 12 [2], volens probare quod nostra voluntas est a Deo bono, non a deo malo, ut dicunt Manichaei, creata, dicit: « Nobis voluntas nostra est notissima, nec enim scirem me velle, si quid sit voluntas ipsa nescirem; definitur itaque hoc modo: voluntas est animi motus cogente nullo ad aliquod non admittendum vel adipiscendum [b] ». Et subdit [3]: Omnis qui cogitur, si facit, nonnisi invitus facit; restat igitur ut volens a cogente sit liber. Capitulo etiam 13 [4], mota quaestione quid adiuvat eum hoc contra Manichaeos dicit: « Sine prius [c] definiamus etiam peccatum quod sine voluntate esse non posse omnis mens apud se divinitus legit; ergo peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat et unde liberum est abstinere ». Et subdit [5]: « Quamquam nisi sit liberum, non est voluntas, sed malo grossius [d] quam scrupulosius definire hanc rem ». Ergo secundum Augustinum, peccatum, in quantum peccatum et in quantum a iustitia vetitum, est a nostra potestate, in quantum libera et libere potente abstinere ab ipso; ex quo sequitur quod potestas peccandi est de essentia nostrae libertatis. Item, Augustinus, libro III *De libero arbitrio* [6], dicit: « Motus quo aut huc aut illuc voluntas convertitur nisi esset voluntarius atque in nostra positus potestate, non esset homo laudandus, cum ad superiora, neque culpandus, cum ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem [e] voluntatis ». Haec autem et plura alia dicit ibi ad monstrandum quod si quid per meam voluntatem mali facio, non est tribuendum nisi mihi [f], non autem Deo. Ergo dicere quod potestas per quam facio mala non sit libera et pars nostrae libertatis est negare praedictam propositionem et eius [g] conclusionem.

---

[a] Ex *an.* [b] Al. m. ex *adipicendum.* [c] Sequitur ras. [d] Al. m. [e] Sequitur ras. [f] Sequitur ras. [g] Al. m. corr.

---

[1] Lib. II, 25 (PG 94, 958). [2] Cap. 10 (PL 42, 104). [3] L. c. [4] L. c., cap. 11 (PL 42, 105). [5] L. c. [6] Cap. 1 (PL 32, 1272).

Item, his concordat Aristoteles, IV libro *Topicorum* (1), dicens quod licet male agere sit malum, potestas tamen ad illa agenda est de genere bonorum eligendorum. Libro etiam III *Ethicorum*, capitulo 4, definiens voluntarium liberum dicit (2) quod « voluntarium est cuius principium est in ipso agente sciente singularia et singulares circumstantias in quibus est operatio ». Et capitulo 8 (3) dicit quod operationes virtutum et malitiarum sunt secundum electionem voluntariae, et infert hoc tanquam probatum ex praemissis. Probat etiam hoc ibi subdens (4); quia « virtus est in nobis, id est, in nostra libera potestate, similiter autem et malitia; quorum enim operari est in nobis, eorum non operari est in nobis; quare si illud operari quod est bonum est in nobis, sequitur quod illud non operari quod est in se malum est in nobis »; et idem ostendit sequi, si sumantur e contrario. Item paulo post dicit (5) quod « ad monstrandum quod tam (a) mala quam bona sunt voluntaria quorum principium est in nobis, id est, in nostra libera potestate, testificantur ea quae fiunt a legislatoribus et etiam a singulis, puniunt enim et increpant operantes mala scienter et libere, non vi nec propter ignorantiam, honorant autem operantes bona et hos ad bona provocant, alios autem a malis agendis prohibent ».

Item, Ecclesiastici 31 (6), in laudem viri iusti dicitur: *Qui potuit* (b) *transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit;* sed illud quod ex sua ratione non est bonum nec positivum sed defectivum non dat rationem laudabilis et meritorii; ergo potentia peccandi est secundum se quid bonum et positivum.

Item, quando potentia activa efficit aliquem negativum defectum (c) per hoc solum quod efficit aliquod positivum in quo illa negatio fundatur: tunc illa negatio seu defectus non redundat in vim activam illius potentiae nec provenit ex defectu ipsius; alias omnis defectus creaturarum quo deficiunt ab immensitate et plenitudine summi entis et etiam a propriis entitatibus ceterarum creaturarum proveniret (d) ex defectu creatricis potentiae, quia per hoc quod creavit eas finitas et limitatas et particulatas dedit eis praedictos defec-

(a) Add. interl. al. m. (b) Ex *patuit*. (c) Al. m. mg. (d) V *provenirent*.

(1) Cap. 5, 126 a 30 sqq. (2) Cap. 3, 1111 a 22 sqq. (3) Cap. 7, 1113 b 3 sqq. (4) L. c., 1113 b 6 sqq. (5) L. c., 1113 b 21 sqq. (6) Eccli. 31, 10.

tus et negationes in earum essentiali limitatione fundatas; ergo defectus peccati non provenit ex defectu activae virtutis potentiae qua efficimus peccatum.

Item, si posse peccare non spectat ad liberum arbitrium, in quantum liberum, oportet quod spectet ad ipsum, in quantum non est liberum; ac per consequens spectat tantum ad ipsum, in quantum est necessitatum ad peccandum et ad agendum; quod patenter est erroneum.

Item, culpa, in quantum culpabilis, est libere facta et sic in suam causam, in quantum liberam et libere agentem, relata; quod si aliter fiat a sua causa, non habet proprie vel saltem plene rationem culpae; ergo potentia activa culpae, in quantum culpae, est libertas vel pars libertatis.

[Respondeo]

Ad evidentiam quaestionis huius est primo distinguendum de potentia peccandi: nam uno modo sumitur passive et alio modo active. Et passive quidem dupliciter: primo scilicet, prout recipit seu potest recipere in se privationem formae virtutum; secundo, prout potest recipere in se actum vel habitum vitiosum et eorum defectivam vitiositatem. Active etiam sumitur dupliciter: primo scilicet, per respectum ad obiectum ad quod se convertit et ad actum quem se convertendo efficit; secundo, per respectum ad obiectum a quo se avertit seu recedit et per respectum ad defectus vitiosos seu negativos suo actui annexos. Utraque etiam sumitur aliquando pro potentia remota seu essentiali, aliquando vero pro potentia propinqua et disposita seu accidentali.

Igitur, prout potentia peccandi sumitur solum passive, sic non est proprie libera, sed solum libere mobilis [a]; et si sola forma et vis activa liberi arbitrii vocetur libertas, tunc non est pars eius, sicut materia non est pars suae formae substantialis. Si vero compositum ex utroque vocetur libertas, tunc est pars ipsius, sicut materia est pars sui totius. Sua tamen dispositio accidentalis per quam ad peccandum disponitur seu inclinatur nullo modo est pars nostrae libertatis substantialis.

Prout autem sumitur active, sic quidam sequentes Anselmum dicunt quod non est libertas nec pars libertatis, quia potius est defectiva et

---

[a] In ras.

ad deficiendum quam effectiva vel ad [a] efficiendum. Et licet sit activa actus vitiosi, non est ex hoc activa actus vel habitus spectantis ad libertatem, sed potius ad servitutem oppositam libertati. Et ideo dicunt quod potentia peccandi, in quantum talis, non solum non dicit quid liberum, immo etiam nec quid positivum, sed solum dicit defectibilitatem seu possibilitatem deficiendi. Attribuitur tamen haec potentia nostrae libertati, quia est eius et in ipso, non in quantum est libera, sed in quantum est a summa libertate deficiens et defectibilis.

Alii vero sequentes Hieronymum et Damascenum et Augustinum et etiam Aristotelem dicunt quod potentia peccandi, et maxime prout sumitur active, non dicit purum defectum seu negationem, immo magnam et nobilem entitatem libertatis creatae et substantialis, cum defectu tamen essentiali suae limitationi per quam deficit a summa libertate Dei substantialiter impeccabili et indefectibili. Sicut enim posse se ipsum movere dicit magnam potentiam, quamvis a summa et incommutabili potentia et essentia deficientem, quia illi nequaquam competit posse moveri vel pati: sic est et de potentia peccandi activa.

Isti autem moventur auctoritatibus et rationibus secundae partis et etiam ultra hoc triplici ratione. Quarum prima est: quia sicut libertas creata differt essentialiter a libertate increata, sic definitio libertatis creatae [b] debet in se includere differentiam illam; haec autem est quod est [c] participata et essentialiter, seu quantum est ex se, mobilis et vertibilis et peccabilis [d]. — Secunda est: quia sicut libertas increata habet duplicem rationem libertatis, quarum prima est, quia in omne suum volitum fertur ut a se et sui gratia [e], non autem ut ab alio mota vel inclinata vel necessitata; secunda autem est, quia in obiecta creabilia habet praedominium super utramque partem oppositorum, ita quod in hoc vel in oppositum potest libere ferri [f]: sic libertas creata habet per quandam disparem analogiam haec duo. Unde de sua essentiali libertate est quod possit praedominative ferri super opposita; et quia actus oppositi actibus virtuosis non contradicunt essentiae suae, sicut con-

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. mg. *s. d. l. c.* [c] In ras. [d] Al. m. corr. *e. p.* [e] Ex *gratia sui.* [f] Al. m. mg.

tradicunt essentiae et potestati summae et increatae: ideo de essentiali praedominio libertatis creatae est quod sit essentialiter potens super actus oppositos virtutibus et super eorum obiecta, et ideo huiusmodi potestas et praedominium debet poni in definitione ipsius. — Tertia est: quia si supradicta definitio libertatis ab Anselmo data est sufficiens et omnia essentialia eius continens: tunc necessario sequitur quod daemones et damnati non sint in usu liberi arbitrii nec faciant aliquem actum procedentem ex libertate, in quantum est libera. Et idem sequitur de nobis respectu omnium actuum nostrorum indifferentium vel non virtuosorum; ex quo sequitur quod nulla locutio vel ambulatio nostra causetur a nostro libero arbitrio, in quantum libero, nisi solum illae quae sunt virtuosae. Quod non solum est (a) erroneum et contra catholicam fidem, sed etiam communi iudicio omnium auferret nobis magnam partem nostrae libertatis.

Praedicti etiam cum sanctis praedictis dicunt quod activa potestas faciendi malos actus peccatorum confert per se ad primam et radicalem rationem merendi et non solum per accidens, ut dicunt alii sequentes Anselmum; et loquor hic de merito purae creaturae, non autem de merito Christi vel beatorum angelorum quo nunc dicuntur mereri ex vi primi meriti eorum.

Probant autem dictum suum triplici ratione. — Prima est: quia posse peccatum vitare et in bono perseverare non minus distat a peccato quam posse peccare distet a virtute; sicut ergo prima radix culpae seu reatus inexcusabilis non potest dari absque potestate vitandi peccatum et perseverandi in bono: sic nec prima radix meriti personalis potest dari absque potestate peccandi et meritum relinquendi. — Secunda est: quia actus factus a causa quae potuit ipsum non facere pro nunc (b) pro quo ipsum fecit multum differt ab actu facto a causa quae non potuit ipsum non facere. Nam sicut ex parte praedictarum causarum multum differunt modi faciendi, sic et ex parte ipsorum actuum, et ideo primus modus actuum et factionis eorum multo aliam rationem bonitatis vel malitiae trahit a sua causa quam alius actus necessario factus a sua causa. Ex quo etiam patet dissolutio cuiusdam rationis quae pro parte contraria solet adduci, scilicet quod cum actus meritorius nihil suae essen-

(a) Al. m. mg. (b) Al. m. mg. *p. n.*

tiae trahat a potentia peccandi, sequitur quod nullam rationem meriti vel meritorii trahat ab ipsa. Dissolvitur enim hoc dupliciter: primo quidem, quia eo ipso quo potestas merendi exigit potestativum praedominium in actum bonum et in malum sibi oppositum, ita quod quodcunque ipsorum fecerit absque tali praedominio et absque modo agendi sic praedominativo, non est ibi dare primam rationem meriti vel demeriti: eo, inquam, ipso potestas peccandi cooperatur ad meritum et potestas non peccandi ad demeritum; non enim sunt realiter duae potentiae, sed una continens vim quasi duarum et eo ipso praedominanter potens in utrumque actuum oppositorum et cum tali praedominio ipsos agens; unde ipsi actus trahunt suam essentiam a praedominio suae causae, prout in se continet vim quasi duplicis potentiae. Secundo dissolvitur, quia saltem differens modus factionis ipsis actibus essentialis trahitur a causa super utrumque oppositorum praedominante; qui quidem modus essentialiter concluditur in ratione meriti et demeriti, et dato quod ille modus sit accidentalis ipsis actibus, nihilominus est essentialis rationi merendi et demerendi. — Tertia ratio sumitur ex dicto alterius partis dicentis quod potentia peccandi cooperatur per accidens ad rationem merendi. Ex hoc enim arguunt isti dupliciter: primo quidem, quia causa per se sumpta absque causa per accidens non minus causat suos per se effectus quam quando est simul cum causa per accidens; nam aedificator non minus aedificat, si non est albus quam si est, nec fossor fodiens sepulcrum ex intentione inveniendi ibi thesaurum minus invenit ipsum quam si propter aliud foderet et sic a fortuna seu praeter suam intentionem illum [a] inveniret. Sed non est sic in proposito, quia potestas agendi bonum sumpta absque potestate illud non agendi et faciendi oppositum non potest facere actum meritorium, saltem sic plene et proprie. Secundo arguunt: quia causa [b] per accidens non dat causae per se specialem vim et modum agendi; albedo enim aedificantis non dat aedificatrici potentiae specialem vim et modum aedificandi. Contrarium autem est in proposito, sicut patet ex supradictis; nam liberum arbitrium potens peccare facit bonos actus sub alio modo et sub alia praedominativa efficacia quam faciat, quando non potest peccare. Praeterea, eadem ratione oporteret quod posse vitare peccatum esset solum causa per

---

[a] V *illud*. [b] Al. m. corr.

accidens reatus seu demeriti ipsius peccati, ac per consequens ex circumstantia talis potestatis non aggravaretur [a] reatus peccati; quod est contra fidem catholicam et contra dicta sanctorum et contra commune iudicium omnium.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum autem partis contrariae respondent dupliciter: primo quidem, quia in aequivocis seu analogis non est eadem ratio seu definitio secundum idem unum, sicut est in univocis. Unde et Aristoteles, in suis *Praedicamentis* [1], dicit quod aequivoca sunt quorum ratio secundum idem unum est diversa; sanitas enim analogice dicta de cibo et urina et animali non habet in eis eandem definitionem, immo diversam; sanitas enim cibi est esse conservativum sanitatis animalium, urinae vero est esse significativum sanitatis animalis. Secundo dicunt quod quamvis illa ratio libertatis quae est communis libertati Dei et angelorum et nostrae sit secundum illam communitatem eadem, non propter hoc sequitur quin differentia per quam libertas creata differt ab increata sit pars nostrae libertatis et suae definitionis; sicut et differentia per quam substantia creata differt ab increata vel substantia composita a substantia simplici est pars substantiae compositae et suae definitionis. Nec curo an pars dicat hic solam partialem rationem totalis rationis entis absque reali diversitate et compositione, immo iste modus magis spectat ad materiam huius quaestionis.

Ad secundum dicunt primo quod illa libertas quae est essentialiter inobliquabilis et impeccabilis [b] est essentialiter liberior quacunque obliquabili; illa autem quae non est essentialiter inobliquabilis, sed solum ratione accidentalis habitus gloriae et gratiae sibi adiuncti non est ex hoc essentialiter liberior, sed solum accidentaliter. Secundo dicunt quod hic aequivocatur libertas: sicut enim ens dicitur aequivoce de substantia et accidente, sic libertas dicitur aequivoce de potentia liberi arbitrii et de accidentali habitu eius, scilicet de habitu gratiae vel gloriae.

Ad tertium dicunt primo quod maior propositio eius qua dicitur quod liberum arbitrium est liberum ex hoc quod

---

[a] In ras.; *reatus* ex *reactus*. [b] Ex *peccabilis*.

---

[1] *Cat.*, cap. 1, 1a 1sqq.; *Top.*, I, 15, 107a 3sqq.

potest non peccare et iustitiam servare non dicit totam rationem propter quam est liberum, sed solum unam partem eius; nam etiam ex hoc est liberum quod potest praedominanter in oppositum. Secundo dicunt quod minor qua dicitur quod ex hoc quod potest non peccare non habet potestatem peccandi est duobus modis falsa, quamvis sit vera uno alio modo ex quo conclusio non sequitur. Est enim falsa, si sit sensus quod ex eadem essentia potentiae liberi arbitrii per quam potest non peccare non possit peccare, sed per aliam essentiam alterius potentiae; aut si sit sensus quod posse non peccare non cooperetur dominativo modo agendi peccatum et aggravationi sui reatus nec includatur in praedominativa potestate peccandi. Vera tamen est, si sit sensus quod rationes potestatis peccandi et potestatis non peccandi sunt secundum modum intelligendi diversae tanquam ad diversos actus relatae. Praeterea dicunt quod licet ex hoc solo quod potest non peccare non habeat potestatem peccandi, habet tamen ex hoc ut concurrente cum alia potestate.

Ad quartum dicunt quod illa definitio Anselmi nimis patenter deficit, quia non accipit universalissime formale obiectum et actum nostrae libertatis nec omnes [a] modos agendi et possendi sibi essentiales. Unde est sicut si [b] definiens visivam potentiam oculi humani diceret quod est potestas videndi albedinem. Sicut enim ex hoc sequitur quod potestas videndi nigrum et ceteros colores non sit actus praedictae potentiae nec videre cum oculo corporeo et hoc non bovino vel brutali sed humano: sic ex praedicta definitione Anselmi sequitur quod potestas agendi vel conservandi malitias vel agendi actus indifferentes vel quamcunque partem oppositorum non sit potestas nostrae libertatis; quod est expresse tollere omnem rationem culpae et magnam partem nostrae libertatis. Unde praedicta definitio est acsi definiens nostrum intellectum diceret quod est potestas servandi habitum scientiae metaphysicae, acsi potestas servandi alios habitus aliarum scientiarum vel potestas addiscendi et acquirendi ipsas scientias vel potestas opinandi et credendi et dubitandi et errandi, id est, falsas opiniones tenendi non spectent ad potentiam nostri intellectus.

Ad quintum dicunt primo quod essentialis necessitas conservandi iustitiam, qualis utique est in solo Deo, excludit omnem [c] potentiam peccandi [d]; sed accidentalis necessitas,

[a] Al. m. [b] Al. m. mg. [c] Al. m. [d] Al. m. mg.

qualis est illa quae est ex accidentali habitu gloriae, non excludit essentialem potentiam peccandi, sed solum accidentalem. Nam inter accidentales potentias peccandi computatur privatio habitus immobilitantis nos ad bonum seu immobiliter confirmantis nos in bono; privatio enim eius est nobis accidentalis, unde et tollitur per adventum [a] talis habitus. Inter potentias etiam accidentales ponitur esse in statu viae quasi mediae inter statum quasi immobilem in bono et inter statum immobilem in malo. Secundo dicunt quod [b] ex hoc quinto argumento non minus sequitur, immo aliquo modo amplius, potentiam servandi iustitiam tolli per aeternam damnationem vel per totalem privationem omnis habitus iustitiae seu virtutum. Sicut ergo hic concedunt quod potentia essentialis et remota remanet, non autem accidentalis seu disposita et propinqua: sic debent concedere de potentia peccandi.

Ad sextum dicunt quod quando potestas ad deficere non potest venire in illum defectum nec referri ad ipsum nisi per actum quem potest efficere [c] et hoc sic [d] quod tam actum quam eius defectum respicit libere et dominative: tunc talis potentia non dicit purum defectum, immo magnum gradum entis et potestatis, quamvis non summum. Si vero respiceret ipsum defectum absque omni suo actu et absque aliqua potestate activa, sicut potestas versionis in nihilum respicit annihilationem creaturae: tunc talis potentia diceret purum defectum. Primo autem modo est in proposito. Unde et quando dicitur quod liberum arbitrium potest peccare, quia est de nihilo: non dicitur tota causa nec causa propinqua, sed remotissima; nam propinquior causa est libertas praedominans, sed non summa nec omnino per habitum gratiae et gloriae confirmata.

Ad septimum dicunt quod liberum arbitrium, in quantum est praedominative potens in actum peccati, non est servituti peccati subiectum [e], sed solum ex quo se voluntarie prostravit in ipsum, nec etiam tunc quoad amissionem essentialis libertatis, sed solum quoad recuperationem essentialis libertatis gratiae quam per se recuperare non potest et quoad exitum de accidentali captivitate peccati et obligationis ad poenam sibi debitam.

Ad octavum dicunt quod in quantum potestas peccandi est necessaria ad iustitiam sic praedominanter servan-

---

(a) Ex *adductum*. (b) V repetit. (c) Sequitur ras. (d) Ex *sic hoc*. (e) V *subiectus*.

dam quod praedominanter potest in hoc et in eius oppositum, in tantum confert et cooperatur ad meritum et ad rationem meriti; et ideo non solum cooperatur ex hoc quia non impedit, cum posset, sed etiam modo praedicto. Praeterea, quod potentia peccandi abstinet gratis et libere a peccato, nonne dicit actum abstinendi voluntarium et gratuitum et merito acceptandum et laudandum?

Si vero adhuc obiciatur ex hac positione sequi quod nobilius et liberius sit esse in statu merendi in quo quis potest in opposita, scilicet in bonum et malum, quam esse in statu gloriae in quo quis non potest velle nisi bonum: dicendum quod sicut status gloriae est nobilior sub ratione finalis termini et praemii, sic status meriti cum potentia peccandi est nobilior sub ratione initii et ordinatioris ascensus ad (a) statum praemii. Nam laus et gloria meriti semper refulget in praemio per ipsum acquisito; nam ex hoc ipsum praemium habet semper rationem promeriti, quod nequaquam haberet, si meritum cum potentia peccandi non praecessisset. Ipsum etiam praemium non esset absque hoc praeambulo decenter datum a Deo, prout in tractatu de (b) originali peccato parte tertia per plures rationes ostendi. Sicut igitur in substantiis (c) creatis materiale fundamentum ipsarum et suarum formarum tenet magnum et initialem seu radicalem et necessarium locum: sic in pura creatura rationali tenet magnum et initialem et radicalem gradum meriti (d) et praemii et libertatis dominativa potestas in bonum et malum seu merendi et demerendi.

QUAESTIO XLII.

Tertio quaeritur an angelus potuerit peccare in primo nunc suae creationis.

Ad hoc dixerunt quidam quod sic, moti primo ex verbo Christi, Iohannis 8 (1), ubi de diabolo ait: *Ille homicida erat ab initio et in veritate non stetit*, et ex capitulo 3 primae

(a) Al. m. ex *a*. (b) Sequitur ras. (c) Ex *substantis*. (d) Sequitur ras.

(1) Ioh. 8, 44.

epistolae Iohannis dicentis (1): *Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat.* Cum enim le « ab initio » sumatur simpliciter in duabus propositionibus praedictis, videtur quod sumatur pro initio creationis, sicut Genesis 1 (2), cum dicitur: *In principio creavit Deus caelum et terram*, et Iohannis 1 (3), cum dicitur: *In principio erat Verbum.* Dicere etiam quod in veritate, scilicet iustitiae, non stetit videtur idem acsi diceretur quod in veritate non fuit.

Secundo moti sunt ex ratione, quia causa effectiva et receptiva peccati stant simul cum ipso peccato et sunt naturaliter priores ipso nec sunt ipsa malitia vel privatio peccati, immo sunt naturale bonum naturae rationalis a Deo creatum, non etiam sunt alia virtus contraria peccato et incompossibilis cum eo; ergo tota causa seu potestas peccandi potuit a Deo dari in primo nunc creationis.

Item, huic opinioni videtur favere Augustinus, XI *De civitate Dei*, capitulo 14. Nam postquam in 13 capitulo (4) praemiserat quod « angeli qui ceciderunt habuerunt aliquam beatitudinem, si tamen vitam egerunt ante peccatum, et quod aequalis beatitudinis omnes ab initio creati sunt », subdit in 14 capitulo (5): « Nisi forte quis dicat id quod Dominus ait de diabolo, *ille homicida erat ab initio et in veritate non stetit* sic esse accipiendum ut non solum homicida fuerit ab initio humani generis, sed etiam ab initio suae conditionis in veritate non steterit et ideo nunquam beatus cum sanctis angelis fuerit; ut sic etiam intelligatur quod beatus Iohannes ait: *Ab initio diabolus peccat*, hoc est, ex quo factus est, iustitiam recusavit ». Et subdit Augustinus (6): Huic sententiae (a) « quisquis acquiescit non cum haereticis (b) Manichaeis sapit qui dicunt diabolum habere naturam substantialiter malam a deo malo qui est contrarius deo bono ».

Sed contra supradictam opinionem arguit, capitulo 15 (7), ex hoc quod Isaiae (c) 14 (8) dicitur: *Quomodo de caelo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris;* et ex hoc quod Ezechielis (d) 28 (9) de eodem Lucifero dicitur: *Tu signaculum*

(a) Supra *sententiae* ras. (b) Ex *aereticis.* (c) In ras. (d) In ras.

---

(1) 1 Ioh. 3, 8. (2) Gen. 1, 1. (3) Ioh. 1, 1. (4) PL 41, 329. (5) Cap. 13 (PL 41, 329). (6) L. c. (7) PL 41, 330. (8) Isaias 14, 12. (9) Ezech. 28, 12. 13.

similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum; et paulo post (1): *O cherub, posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te.* Ex his enim infert Augustinus (2) quod diabolus fuit aliquando sine peccato. Ex his etiam concludit quod « illud quod dictum est: *In veritate non stetit* non est sic accipiendum quod in veritate non fuerit, sed quod in ea non perseveraverit; quando etiam dicitur quod *ab initio diabolus peccat*, non est intelligendum de initio suae creationis sed de initio peccati, quia ab ipsius superbia coepit esse peccatum ».

Quod etiam verba Christi et Iohannis sic debeant intelligi patet ex ipsismet (a) verbis; nam diabolus non fuit homicida nisi ab (b) illa hora qua totum genus humanum occidit faciendo primum hominem peccare; constat autem quod ante hoc fuerant (c) angeli creati et etiam primus homo. Quando etiam Christus per signum evidens probat ipsum in veritate non stetisse, quia veritas non est nunc in eo: constat quod per hoc non probatur quod veritas nunquam in eo fuerit, sed solum quod usque nunc in ea non perseveraverit. Quod etiam Iohannes omnem facientem peccatum esse de parte diaboli probat ex hoc quia ab initio diabolus peccat, non est vis probationis in hoc quod ab initio suae creationis peccaverit, sed solum in hoc quod ipse est peccati initium et quod ab illo peccati initio ipse semper peccat seu in peccato perseverat; ex hoc enim patet quod ipse est princeps et pater peccati, ac per consequens quod omnis peccans, in quantum peccans, est de eius regno et progenie (d).

Ratio etiam praemissae opinionis non valet, quia licet tota causa effectiva et receptiva primi peccati fuerit in angelo in suo primo nunc, non potuit tamen tunc esse in eo nisi sub tali habitu vel statu qui simul stare non potuit cum actu peccati, prout inferius ostendetur.

Omnes ergo moderni in hoc consentiunt quod angelus non peccavit nec etiam peccare potuit in primo nunc suae creationis, attamen

(a) V *ipsimet.* (b) Al. m. mg. (c) Ex *fuerunt.* (d) Ex *proienio.*

(1) Ezech. 28, 14. 15. (2) L. c.

in reddendo causam vel rationem quare non potuit multum diversificantur. Et ideo primo tangam septem rationes defectivas et earum improbationes et ultimo subdam veram, ut vera ratio clarius secernatur a falsis et ne veram conclusionem in falsa ratione fundemus.

Prima igitur ratio quorundam est: quia secundum eos nulla creatura potest agere in primo nunc sui esse, nam prius est esse quam operari; sed angelus non potuit peccare nisi aliquam actionem malam agendo; ergo non potuit peccare in suo primo nunc.

Sed prima propositio huius rationis est patenter falsa; nam anima Christi vidit et amavit Deum et etiam meruit nobis in primo nunc suae creationis; et secundum Augustinum [1] splendor a sole vel igne exiens est eis coaevus. Praeterea, eius falsitas per necessariam rationem convincitur, quia posita causa activa et passiva sufficienter actuali et disposita ad agendum et patiendum immediate potest agere et pati, et si est causa necessitata ad agendum, habet tunc necessario agere. Quod vero dicitur quod prius est esse quam agere verum est de prioritate naturali, sed non semper de prioritate durationis; nulla enim est contradictio, si esse et agere concurrant in eodem instanti.

Secunda ratio quae Hugoni de Sancto Victore [2] adscribitur est: quia potestas non est libera seu potens in opposita nisi respectu actuum futurorum seu nondum factorum, quia actus, dum fit vel est factus, non potest non fieri; ergo potestas qua angelus potuit peccare fuit tantum respectu futuri ad primum nunc suae potestatis.

Haec autem ratio fallit, quia prima propositio eius est falsa, nisi futurum sumatur ibi communiter tam ad posterius natura et non duratione quam ad posterius duratione; unde millies dicitur quod potestas talis est respectu fiendi, et hoc sive sit fiendum in eodum nunc praesenti sive in alio [a] nunc futuro. Quod autem sub hoc secundo modo fiendi sit prima propositio falsa, probatum est sufficienter in quaestione an in nobis sit liberum arbitrium; nam si in eodem nunc et respectu eiusdem nunc non potest nostra

---

[a] Supra *alio* ras.

---

[1] Cfr. *De Trin.*, VI, 1 (PL 42, 923). [2] *De sacramentis*, lib. I, pars V, cap. 22 (PL 176, 256).

voluntas disiunctive in opposita, ita quod in eodem nunc est prius naturaliter potens hoc velle vel nolle quam illud in eodem nunc velit vel nolit, et ita quod in eodem nunc in quo illud voluit potuit illud nolle: impossibile est ipsam (a) esse liberam in opposita, sicut ibi est probatum. Constat enim quod nihil possumus agere in futuro nunc, usquequo illud futurum nunc advenerit; unde nulla potentia nostra est plene et ultimate potens exire in actum fiendum in futuro nunc, usquequo illud (b) futurum nunc sit praesens. Si ergo in nullo nunc, dum est praesens, potest disiunctive agere in ipsa (c) opposita: tunc in quolibet praesenti est necessitata et necessario determinata ad alterum oppositorum; ex quo sequitur quod nunquam sit plene potens in opposita. Quod vero dicitur quod actus, dum fit vel factus est, non potest non fieri: non propter hoc sequitur quin, prout eius causa est in eodem nunc prius naturaliter quam suus actus in eodem nunc factus, quin, inquam, ipsa, in quantum talis, potuerit illum actum non agere. Praedictus enim actus habet in eodem nunc duplicem respectum. Quorum primus est, prout in eodem nunc est naturaliter posterior sua causa tanquam fiendus ab ipsa; secundus est, prout iam est factus et (d) in se ipso existens. Postquam autem est sub hoc secundo respectu, non potest non fieri; potest tamen, quamdiu est sub solo primo, si eius causa est libera in opposita.

Tertia ratio est: quia primum peccatum angeli non potuit ab eo fieri per actionem indeliberatam, immo oportuit quod fieret per electivam et deliberatam; electionem autem deliberatam praecedit deliberativa et consiliativa inquisitio; hanc autem inquisitionem praecedit dubitatio; haec autem tria non potuerunt esse simul in eodem instanti; ergo electiva actio peccati non potuit esse in primo nunc angeli.

Haec autem ratio fallit, quia deliberata seu consiliata et certa electio fuit et esse potuit in angelis absque praevia dubitatione et ignoratorum inquisitione, alias in nimia ignorantia eligendorum fuissent creati. Numquid enim indubitabiliter sciverunt solum Deum esse propter se diligendum et reliqua propter ipsum? Numquid etiam sciverunt omnem praesumptionem et superbiam et inanem gloriam esse mala et a Deo eis prohibita et virtutes his oppositas esse bona

(a) Al. m. ex *ipsum*. (b) Al. m. in ras. (c) V *ipso*. (d) Add. interl. al. m.

et eis a Deo praecepta? Numquid etiam sciverunt quod poterant se ipsos et suam gloriam propter se et ambitiose amare, sed non absque Dei offensa et absque recessu a Deo? Praeterea, perfecti habitus virtutum agunt et sua obiecta eligunt repentine; unde secundum Aristotelem, in *Ethicis* [1], hoc est signum perfectorum habituum. Item, perfecta virtus habet perfectum iudicium practicum de propriis obiectis sibi annexum ac per consequens habet perfectum iudicium de contrariis sibi odibilibus et respuendis; secundum autem Ezechielem [2] diabolus ante suum lapsum fuit *plenus sapientia et perfectus decore virtutum et in deliciis paradisi Dei.*

Quarta ratio quorundam est: quia consiliata electio praeexigit collationem diversorum terminorum ad invicem. Oportet enim quod ratio conferat et referat ea quae sunt ad ipsum finem et e contrario; huiusmodi autem collatio non potest fieri in instanti, quia intellectus non potest in uno nunc intelligere [a] seu considerare plures terminos, sed tantum unum. Rursus dicunt quod appetitus eligendorum praecedit plenum et electivum consensum eorum; primum autem peccatum angeli non potuit esse in appetitu praecedente plenum consensum. Iterum subinducunt quod velle deliberatum est motus vel fit cum motu; motus autem non est simul in termino a quo et ad quem, immo dicit quid medium intermedium inter ambos.

Sed omnia haec fundantur in falsis. Nam si plures termini non possunt in eodem nunc considerari et ad invicem referri: tunc nulla relatio nec aliquod relativum potest in uno nunc cogitari nec aliqua propositio, cum omnis propositio constet ex duobus terminis, id est, ex subiecto et praedicato; negatio etiam unius oppositi de opposito non posset in uno nunc cogitari. Praeterea, electio qua unum propter alterum eligitur includit simul illa duo tanquam duos terminos; ergo oportet quod in illo instanti quo fit huiusmodi electio praesententur et cogitentur simul ambo per intellectum, aut in nullo instanti poterit aliquid eligi propter aliud. Falsum etiam est quod omnem plenum et electivum consensum praecedat tempore vel duratione aliquis appetitus; nec primum malum consensum angeli praecessit aliquis ap-

---

[a] Sequitur ras.

---

[1] Lib. III, 11, 1117a 18 sqq. [2] Cfr. Ezech. 28, 12. 13.

petitus vitiosus qui inclinaret eum ad malum. Falsum etiam est quod omne velle deliberatum fiat cum motu successivo et non valenti simul stare cum termino ad quem, quin potius plenus actus volendi est potius terminus seu in termino; quem non semper oportet praeire terminum a quo sibi oppositum, id est, actum vel habitum volendi sibi oppositum. Quando autem Anselmus [1] dicit quod « voluntas est instrumentum se ipsum movens »: patens est quod non loquitur ibi de illo genere motus qui semper est inter terminos oppositos, ita quod in neutro eorum existere potest.

Quinta ratio quorundam est: quia in angelis fuit duplex ordo, scilicet naturalis ad obiecta connaturalia seu sibi naturaliter proportionata et ordo supernaturalis ad supernaturalia; in eodem autem instanti non potuit simul ferri ad utraque et utroque modo; cum ergo prius naturaliter haberet ferri ad naturalia quam ad supernaturalia et prius ordine naturali quam supernaturali, sequitur quod in primo instanti non potuit ferri nisi ad naturalia et ordine naturali; sed tali motu naturali non potuit peccare contra ordinem naturalem nec deviare ab ipso; ergo non potuit in primo instanti peccare.

Haec ratio super duobus falsis fundatur. Primum est quod in eodem instanti non potuerit ferri ad utraque et utroque modo. Constat enim quod dum per gratiam vel gloriam fertur supernaturaliter ad supernaturalia, fertur simul per naturam ad naturalia, nam semper amat bona naturalia. Secundum est quod ad naturalia non potuerit ferri nisi motu naturali et non deviando ab ordine naturali; constat enim quod amare se ipsum est ei naturale; amare autem se non ad Deum nec propter Deum, sed solum sibi ipsi et propter se ipsum non est ordinis naturalis nec supernaturalis, immo est corruptio seu infectio utriusque ordinis; nam hoc est se habere ad se ut ad summum bonum et ut ad suum summum et ultimum finem. Praeterea, praedicti sub ordine naturali includunt amare propter se et super omnia Deum, ut est per naturalem rationem cognoscibilis et cognitus; constat [a] autem quod peccatum deviat ab isto ordine. Numquid etiam praesumptio et ambitio corrumpit in eis rectam et humilem de se ipsis

---

[a] Ex *constatat.*

---

[1] *De concordia praesc.* cum lib. arb., cap. 11 (PL 158. 537).

aestimationem et aliquam moderantiam affectus non se effundentem ad ambitiosa [a]?

Sexta ratio eorundem est: quia primus [b] actus rei factae vel creatae potius est a suo efficiente quam ab ipsa, et ideo non est plene liber; et si illud efficiens non potest in sua actione deficere, sicut utique non potest creator, tunc [c] prima actio quam dat creaturae non potest in se habere defectum peccati seu culpae.

Prima propositio huius rationis, prout ad propositum applicatur, est falsa; nam prima actio creaturae non plus est a Deo quam secunda, si utraque sit bona, nec prima minus est ab agente creato quam secunda, nec prima debet dici actio creaturae, nisi sit ab ea sicut ab agente. Praeterea, anima Christi est vere creatura et tamen habuit actum liberum et meritorium in suo primo instanti. Praeterea, ex quo angelus fuit creatus in usu liberi arbitrii, quid est dicere quod non potuerit in eodem nunc eius usum, id est, liberum actum habere? Praeterea, creatura non minus est nec minus dependet a Deo in secundo vel tertio instanti quam in primo; ergo si propter dependentiam creationis non potest in primo instanti libere agere, eadem ratione propter dependentiam suae sequentis existentiae seu conservationis non poterit in aliquo nunc sequenti libere agere.

Septima ratio quorundam est: quia non potuit a Deo creari nisi honus et innocens; si autem in eodem nunc peccasset, in eodem nunc factus esset malus et nocens; ergo in eodem nunc fuisset [d] bonus et malus ac nocens et innocens; quod est aperta contradictio. Item, a quibusdam formatur sic: malum est privatio alicuius boni habiti; ergo si in primo nunc habuisset peccatum, in primo nunc fuisset privatus aliquo bono habito; sed non potuit privari aliquo habito in priori nunc vel tempore, cum in nullo priori habuerit aliquod esse; ergo in eodem nunc esset privatus bono quod in eodem nunc habuit; quod apertam contradictionem includit.

Maior huius rationis secundo formatae est falsa; malum enim non semper est privatio boni habiti, sed solum habendi vel debiti haberi, sicut patet in caeco nato qui nunquam habuit visum et in privatione iustitiae in originali peccato inclusa et in peccato quo [e] nunc continue daemo-

---

[a] Ex *ambitiosam*. [b] V *prius*. [c] Sequitur ras. [d] Ex *fusset*. [e] Al. m. ex *uo*.

nes peccant; non enim nunc continue corrumpitur in eis aliquod bonum confestim prius habitum. Prima etiam rationis hic primo formatae est duplex. Aut enim loquitur de essentiali bonitate et innocentia naturae quae potest simul stare cum malitia peccati tanquam eius subiectum; et sic in conclusione nulla est (a) contradictio, quia in eodem nunc potest quis esse bonus essentiali bonitate naturae et malus accidentali malitia culpae; unde anima infantis in suo primo nunc creatur a Deo bona et innocens quantum ad essentialem bonitatem suae naturae, et tamen in eodem nunc fit mala et rea per culpam originalem. Si autem prima propositio loquitur de bonitate virtutis quae non potest simul stare cum peccato, tunc bene infertur contradictio; sed isti sub hoc sensu non supponunt primam esse semper et necessario veram; et certe, in creatione animae infantis non est vera, non enim creatur sic virtutibus et gratiis bona quod simul cum illis nullum habeat (b) originale peccatum.

Vera igitur ratio quare angelus non potuit peccare in primo nunc est: quia non potuit peccare, nisi esset conditus vel positus in tali statu et habitu per quem plene posset vitare peccatum et stare in aliqua rectitudine contraria obliquitati (c) peccati. Hoc autem dato seu praesupposito impossibile est quod absque contradictione posset in primo nunc peccare, quia tunc simul esset in statu et obliquitate peccati et in statu rectitudinis repugnantis peccato et potentis vitare peccatum. Primi autem probatio patet ex (d) dictis in quaestione an omnis creatura rationalis de iure naturali teneatur diligere Deum propter se et super omnia et ex quaestione an ex (e) puris naturalibus absque dono caritatis seu virtutis possit aut potuerit hoc implere. Si enim non potuit in primo nunc vitare actum peccati, tunc ponitur fuisse creatus cum necessitate agendi actum quo peccavit, ac per consequens quod non ipse in hoc peccavit, sed potius creator eius. — Si autem dicatur quod ex sola essentia et natura suarum potentiarum potuit omne peccatum vitare et etiam peccare: patet hoc esse impossibile. Primo, quia aut ideo dicitur ex solis substantialibus potuisse vitare peccatum, quia ex solis substantialibus nihil potuit agere, aut saltem quia nihil potuit libere agere, aut saltem quia nihil perverse seu vitiose, aut ideo quia ex solis substantialibus po-

---

(a) Al. m. ex *cum*. (b) Ex *habeant*. (c) Ex *obliquitate*. (d) Add. interl. al. m.; V *ditis* pro *dictis*. (e) Al. m. in ras.

tuerit agere recte virtuosa et cavere vitiosa. Si igitur fuit altero trium priorum modorum, tunc ex solis substantialibus non poterat peccare; quartus autem modus quoad utramque sui partem est impossibilis, quia ex solis substantialibus non potest nec potuit virtuose agere virtuosa nec virtuose cavere vitia (a). — Secundo, quia absque illo amore quo Deus propter se amatur non potest creatura se amare propter Deum, sed solum propter se ipsam aut propter aliud quod (b) non est Deus; qui modus amandi est in voluntate electiva et libera; vitiosus ergo non potuit elective se amare absque vitio, nisi per amorem Dei se diligeret et referret ad Deum et propter Deum. Si autem istum amorem Dei propter se et sui propter Deum, antequam primo peccaret, non habuit, tunc aut non poterat elective se amare aut habuit necessario in peccatum ruere, se ipsam propter se et non propter Deum elective amando; sed hoc est impossibile et blasphemum in Deum. Ergo angelus non potuit in primum peccatum labi, nisi prius habuisset amorem Dei propter se et super omnia; ex hoc autem ulterius sequitur quod non potuit peccare in primo nunc. — Tertio, quia primo peccato peccare nequivit nisi libere eligendo (c) aliquid non eligendum quod elective tunc tenebatur et poterat odire et respuere; sed electivum odium vitii et vitiosorum est actus virtutis et non solorum substantialium; ergo primum peccatum facere non potuit, nisi prius haberet virtutem peccato contrariam per quam illud posset respuere et odire (d).

Si autem quaeras quare in sequenti nunc hoc potuit absque praedicta contradictione potius quam in primo, cum in secundo ita habuit naturaliter prius virtutem per quam posset vitare primum peccatum in ipso nunc factum sicut et habuit eam in primo nunc (e). Et breviter detur quodcunque nunc in quo primo peccavit, oportet quod in illo nunc prius naturaliter potuerit vitare illud peccatum; et ita in eodem nunc in quo peccavit habuit virtutem peccato contrariam per quam potuit illud vitare. — Item, eadem contradictio sequeretur, quandocunque virtus per peccatum sibi contrarium destruitur, quia corruptio virtutis per peccata non praeit naturaliter ipsum peccatum, immo aut naturaliter sequitur ipsum aut saltem sunt naturaliter simul. Si ergo actio peccati est naturaliter posterior sua causa, quae utique ponitur

---

(a) Ex *vitio*. (b) Al. m. mg. (c) Al. m. mg. (d) Al. m. ex *dire*. (e) Phrasis non completa.

virtute informata, usquequo per actum peccati non fuit virtus eius corrupta: sequitur quod virtus prius naturaliter sit in eodem instanti in quo per peccatum corrumpitur; et ita in eodem instanti est quis virtuosus et vitiosus et habet virtutem et non habet.

Dicendum quod in illo nunc in quo virtus per peccatum corrumpitur nullo modo in propria existentia extitit illa virtus; unde non debet dici quod in illo nunc fuerit prius naturaliter quam fuerit corrupta.

Ad primam igitur rationem dicendum quod sicut causa efficiens actus pravi fuit in eodem instanti prius naturaliter quam illa actio: sic in eodem instanti naturaliter praeivit actualem conservationem virtutis quam in illo instanti potuit facere non faciendo actum peccati. Quando ergo dicitur quod in illo nunc in quo peccavit potuit prius naturaliter vitare peccatum, duplex potest esse sensus: unus enim sensus est quod illa potestas quo potuit peccatum vitare fuit prius natura; secundus sensus est quod non solum ipsa fuit prius natura, sed etiam quod actum vitandi et odiendi peccatum potuit facere prius naturaliter quam fecerit actionem peccati. Et hic secundus sensus est falsus. Potestas igitur ad utrumque actum fuit prius naturaliter ad utrumque actum [a] ut possibilem ab ea fieri.

Quod autem subditur quod non potuit fugere vel odire peccatum nisi per virtutem peccato contrariam, et ita pro quanto in illo nunc prius naturaliter potuit peccatum vitare et virtutem conservare, habuit in eodem nunc ipsam virtutem prius naturaliter quam peccaverit: dicendum quod ex hoc solo quod usque ad illud instans sic habuit virtutem quod et in illo instanti perseveraret in ipsa [b], si non peccaret [c], ex hoc, inquam, solo potuit in illo instanti peccatum vitare et virtutem conservare [d]. Et ideo falsum est quod in illo instanti non potuerit peccatum vitare, nisi in illo instanti virtutem haberet; sufficit enim ad hoc quod usque ad illud instans virtutem illam habuit sub modo praefato. — Sciendum enim quod virtutis seu gratiae conservatio dependet a tribus: primo scilicet a Deo, secundo a subiecto in quo existit, tertio ab actu mentis. Quantum autem ad duo prima et etiam quantum ad essentiam ipsius virtutis quae de se dicit essentiam formae permanentis et ad firmiter permanendum aptae

---

[a] Al. m. mg. *fuit... actum.* [b] Al. m. ex *ipso.* [c] Sequitur ras. [d] Al. m. mg. *e. v. c.*

haberet potius existere in illo nunc in quo per peccatum destruitur, nisi tertia causa suae conservationis, scilicet virtuosa actio mentis, sibi deesset et contraria, scilicet actio peccati, adveniret. Et pro tanto quasi prius naturaliter fuit [a] ibi virtus in eodem nunc ante suam deletionem factam per peccatum, pro quanto tam ex se quam ex parte Dei quam ex parte subiecti habebat omnino ibi in illo nunc existere, nisi actio peccati fieret ibi in illo nunc. Alias autem non debet dici quod in eodem nunc fuerit et non fuerit, sic tamen quod suum esse et non esse [b] fuerint simul natura in illo nunc, sed suum esse fuerit prius naturaliter ac deinde et posterius suum non esse; quia sicut in eodem instanti non potest idem succedere sibi ipsi, sic nec totalis negatio eius potest in eodem nunc succedere sibi, quia tunc poneretur esse negatio eius, non pro quanto illud ens ante ipsam extitit, sed pro quanto postmodum existeret [c], si per eam non esset annihilatum. Quia tamen effectus prius naturaliter est in sua causa quam in propria existentia, idcirco nihil inconveniens, si virtus in suis causis prius naturaliter extitit in aliquo nunc quam secundum propriam existentiam extiterit in illo aut antequam secundum propriam existentiam esset delata in illo. Igitur pro quanto virtus in suis causis prius naturaliter extitit in illo nunc in quo secundum se desiit esse: pro tanto potentia volitiva potuit in illo nunc per eam bene agere [d] et vitare et odire peccatum. Vel potest dici quod quando dicitur quod in illo nunc potuit per virtutem mereri, duplex potest esse sensus: aut quia scilicet per virtutem in illo nunc habitam hoc potuit, et sic est falsum; aut quia si non voluntarie cecidisset in peccatum, habuisset in illo nunc virtutem per quam in illo nunc potuisset mereri, et sic est praedicta locutio vera, et hoc realiter redit in idem cum ea qua dicitur quod in illo nunc potuit retinere in se habitum virtutis per quem sic retentum posset in illo nunc mereri.

Ad secundam rationem dicendum quod minor qua dicitur quod actio peccati est naturaliter posterior sua causa est quoad hoc vera. Quantum ad id tamen quod subditur quod causa primi peccati erat virtute informata, usquequo per actum peccati non fuit virtus deleta, potest falso accipi et intelligi. Nam per le « usquequo » potest designari [e] ultimus

---

[a] Sequitur ras. [b] Non del. [c] V *exsteret.* [d] Al. m. mg. [e] Sequitur ras.

terminus durationis virtutis, et sic propositio est vera; sed ille terminus non fuit in illo nunc in quo virtus est deleta, sed solum in praecedenti nunc vel tempore. Si vero per le « usquequo » non solum designetur terminus durationis, sed etiam possibilitatis seu potestatis ad durandum: sic est locutio illa falsa, quia in illo nunc in quo est deleta potuit existere et perdurare, non tamen in eo extitit nec perduravit, illud autem posse perdurare praeivit naturaliter actionem peccati et deletionem virtutis.

Si quis autem ex quodam superius dicto, quod scilicet angelus in illo nunc in quo primo peccavit potuit mereri per virtutem in illo nunc deletam, pro eo quod habuit eam in tempore immediate praeeunte, si quis, inquam, ex hoc arguat quod potestas ad opposita est et esse potest respectu nunc futuri, prout tertia ratio superius data dicit: dicendum quod ex hoc non sequitur, quia non est sensus quod ex hoc quod habuit virtutem in praecedenti tempore potuerit in sequenti nunc mereri, nisi pro quanto in hoc supponitur quod virtus potuit in sequenti nunc perdurare; constat enim quod absque hac duratione non potuit a virtute exire actio meriti ex hoc solo quod virtus praeextitit in tempore immediate praecedenti.

QUAESTIO XLIII.

Quarto, quia vero quibusdam philosophantibus videtur incredibile quod primus angelus sic peccaverit sicut doctrina fidei tradit, idcirco aliquid breviter de hoc subdo.

Et arguo primo pro parte illorum.

1. Incredibile enim videtur quod primus angelus id quod clarissime videbat nullius esse valoris respectu boni divini quod sibi clare et sine omni molestia [a] vel impedimento offerebatur vellet huic praeeligere.

2. Item, incredibilius [b] videtur quod ab eo quod elegit scienter vellet bonum divinum et bonum virtutis excludere,

---

[a] Al. m. ex *molesti.* [b] In ras.

quia bene videbat quod illud sumptum cum isto melius et delectabilius et utilius et gloriosius erat quam sumptum per se et propter se absque isto; sed hoc ponitur in eius peccato contigisse; ponitur enim quod eligit in se ipso gloriari et ceteris dominari et ab eis honorari absque relatione ad Dei gloriam et dominium, cum tamen bene videret quod haec relatio non diminuebat bonum suum, immo multum augebat, de ceteris vero ponitur quod elegerunt isti adhaerere eique subesse absque relatione ad dominium Dei, cum tamen viderent quod incomparabiliter gloriosius erat ei adhaerere cum relatione ad Deum aut soli Deo plus quam ipsi soli.

3. Item, adhuc incredibilius videtur quod elective appetierit illud quod omnino erat impossibile et contra suum naturalem appetitum, immo et contra naturam sui esse; sed hoc ponitur in eius peccato, quia ponitur appetiisse aequalitatem Dei aut simpliciter aut in aliqua Dei proprietate, ut in omnipotentia vel in summa et insubicibili dominatione; hoc enim videbat esse impossibilissimum [a] et contradictione plenum, et dato quod posset fieri, hoc non posset nisi per mutationem sui esse finiti et dependentis a prima causa in esse infinitum et independens, et pro tanto etiam erat contra naturalem eius appetitum, quia contra naturam est appetere illud in quo includitur destructio sui esse et suae naturae.

4. Item, incredibile videtur quod appetierit illud quod erat omnino contrarium et amarum seu abominabile affectioni suae; sed ipse fuit in tali rectitudine conditus quod suae rectitudini omne peccatum erat contrarium et amarum et abominabile; ergo et cetera.

5. Item, ceteri angeli, antequam peccarent, habuerunt abominari foeditatem peccati quam in altero a se videbant [b]; sed ipsi ponuntur, antequam peccarent, apprehendisse peccatum primi angeli, et primus angelus dicitur hoc eis primo ostendisse; ergo potius habuerunt foeditatem eius horrere quam ei consentire.

6. Item, ipsi omnes bene sciebant proprietatem suae naturae et aequitatem iustitiae Dei; ergo videbant quod si caderent, casus eorum esset irreparabilis tam respectu suae naturae quam respectu iustitiae Dei; sed nullo modo est credibile quod in primo nunc sui primi peccati elegerint perpetuam damnationem et irreparabilem casum; ergo et cetera.

---

[a] In ras; corr. interl. *et.* [b] Al. m. ex *videret.*

7. Item, aut ille fuit supremus angelus aut non; si sic: quomodo est credibile quod maiori parte stante in bono, immo et adhuc omnibus stantibus, ipse elegerit ruere a bonitate eorum, eligendo scilicet statum quem bene noverat esse contrarium statui in quo tam ipse quam illi conditi erant et multo magis statui gloriae ad quem habendum finaliter facti erant? si vero non fuit supremus: tunc quomodo potuit velle suis superioribus dominari aut quomodo potuit credere quod eorum consensum traheret ad suam pravam sequelam, cum hoc valde incredibile appareret (a)?

[Respondeo]

Ad horum evidentiam sunt quatuor praenotanda.

Primum est superabundans experimentum malitiae quam nunc habent. — Nam ab initio saeculi usque nunc nimis sunt homines experti quosdam esse spiritus fallaces et illicientes (b) malos homines ad malum et expetentes se adorari ac in idolis et maleficiis multa dantes responsa malitiae plena. Non solum autem est credibile, immo et per rationes necessarias demonstratum et demonstrabile quod ipsi secundum suam substantiam sunt creaturae summi Dei, et quod malitia eorum non potuit esse a Deo nec potuit eis esse ab initio (c) naturalis et quod non potuit esse ab alio (d) quam a libera voluntate eorum, et hoc sic quod ipsam a principio plene potuerunt vitare. Quantumcunque igitur (e) in speciali ignoremus modum lapsus eorum: in generali tamen non solum est credibile, immo experimento et ratione certum quod ipsi propria voluntate peccaverunt ac per consequens quod peccaverunt aliquid volendo et (f) eligendo quod debuerunt et potuerunt nolle. Hoc igitur praesupposito tanquam certo nullus modus rationabilior et credibilior in speciali nobis occurrit quam ille qui a sanctis et doctoribus nostris datur, quia defectus corporis seu carnis in eis et praecellentia intellectualis naturae et dignitatis eis ab initio datae probabiliter ostendunt eos per superbam praesumptionem et ambitionem peccasse.

Secundum ergo praenotandum est quid est illud quod peccando appetierunt seu amave-

(a) Al. m. corr. (b) Al. m. mg. (c) Ex *initi*. (d) Sequitur ras. (e) Al. m. mg. (f) Al. m. corr.

runt. — Et primo videndum est hoc de primo angelo [a], secundo de ceteris. Ad quod [b] quidem valet advertere quid fuit eis et in eis appetibile sive amabile in quo facilius et primordialius possent deordinari [c]. Ad hoc autem intuendum sex [d] sunt consideranda.

Est igitur primo sciendum quod licet ipsi cognoscerent Deum, non tamen ipsum visibiliter videbant, sicut se ipsos, nec fruebantur eius visibili societate, sicut sua societate visibiliter fruebantur. Unde eorum intellectus ferebatur in Deum ut absentem, quamquam longe altiori modo ferrentur [e] in Deum quam nos. Inter cetera autem ad quae facillime [f] et vehementissime movetur affectus est visibilis experientia boni amati, quamquam sit secundum se longe minus quam sit aliud bonum absens et visibiliter inexpertum.

Secundo sciendum quod in eis fuit duplex affectio: una quidem mere naturalis per quam tam ad se quam ad visibiles socios amicabiliter et delectabiliter ac multiformiter afficiebantur, secundum scilicet mensuram et proportionem delectabilitatis et multiformitatis [g] naturalium bonorum quae erant in eis. Altera fuit affectio virtualis quae ab Anselmo [1] vocatur affectio iustitiae. Principalis autem radix huius erat amor Dei propter se et super omnia. Et quia ordo istius amoris non potest ad plenum videri absque visione sui principalis obiecti in quo figitur et ad quod totus refertur: idcirco ordo rectitudinis virtualis eorum ad Deum non fuit eis ita plene visibilis sicut erat ordo et habitudo eorum mere naturalis [h]. — Cuius est et alia ratio: quia ordo virtutis [i] tantum transcendit ordinem mere naturalem quantum bonitas virtutis [k] et virtualis amicitiae Dei transcendit solam naturalem bonitatem naturae creatae. Et ideo intellectus eorum naturalis ad sua naturalia ferebatur tanquam ad ea quae suo naturali lumini plenissime subiacebant propter illum ordinem naturae qui est ad Deum ut ad causam creantem [l] et conservantem; ordinem vero virtutis, saltem illius quae est directe ad Deum, non habebat proprie ut sub se, sed quasi

---

[a] Al. m. mg. [b] Supra *quod* ras.; al. m. corr. *quidem* ex *quod*. [c] Al. m. in ras. *p. d.* [d] Al. m. [e] Al. m. in ras. [f] Al. m. ex *facilime*. [g] Al. m. in ras. [h] Sequitur ras. [i] Ex *virtualis*. [k] Al. m. ex *virtus*. [l] V *creante*.

---

[1] *De concordia praesc. cum lib. arb.*, capp. 11, 13 (PL 158, 534 sqq.); *De casu diab.*, cap. 14 (PL 158, 346 sqq.).

ut super se, et ideo illud non poterat plenarie contemplari nisi cum extatica sursum actione in Deum. — Est adhuc et tertia ratio: quia ordo virtutis, saltem [a] illius quae est immediate ad Deum, oportet quod sit in intimo cordis, in illa scilicet radice affectus et intellectus [b] in qua Deus simplicissime et secretissime [c] illabitur menti. Et ideo ordo et decor virtutis unius angeli non videbatur plene ab altero nec a se ipso nisi ad sua intima intime et attentissime recollecto.

Tertio sciendum quod ex naturali sui amore erat in eis naturale desiderium beatitudinis et omnium bonorum suae naturae et suo ordini naturali competentium [d]. Quorum quaedam erant eis absolute seu propter se bona, quamvis ex eis nullam aliam utilitatem consequerentur. Et ideo naturalis appetitus eorum ferebatur in illa propter se et absolute, quamvis per aliam superiorem affectionem affectus illi naturales referrentur ad finale obiectum affectionis superioris. Qua exclusa affectus illi inferiores habebant ferri in suos fines infinite et sine mensura; quia amor finis, etiam secundum mundanos philosophos, est [e] infinitus, nisi per ordinem ad finem alterum mensuretur; unde amans propter se sanitatem vel honorem aut gaudium vel lucrum non ponit terminum vel mensuram in eis, sed quanto plus habere posset, tanto plus vellet, et quanto hic maiora cogitat, tanto maiora vult.

Quarto sciendum quod sicut amor est radix omnium affectionum, sic amor sui est radix omnium affectionum non virtualium; et ideo oportet quod primus defectus peccati inchoetur in vitioso sui amore potius quam in appetitu seu desiderio procedente ab ipso. Unde Augustinus, XIV *De civitate*, capitulo ultimo [1], dicit quod « duas civitates fecerunt duo amores, terrenam scilicet amor sui procedens usque ad contemptum Dei, caelestem vero amor Dei pertingens usque ad contemptum sui ». Amor autem sui ex hoc solo redditur vitiosus, si non refertur in Deum, sed propter se absolute sibi [f] ipsi per amorem homo inhaeret [g]. Et quia talis modus inhaerendi est valde elongatus a rectitudine et altitudine et virilitate et subiectione quam habebat vel ha-

---

([a]) Al. m. ex *sate*, V *salte*. ([b]) Al. m. mg. *e. i.* ([c]) Al. m. ex *cretissime*; add. interl. al. m. *et*. ([d]) In ras. ([e]) Add. interl. al. m. ([f]) Al. m. mg., del. *si*. ([g]) Al. m. mg. *h. i.*

([1]) Cap. 28 (PL 41, 436).

beret, si per Dei amorem totus referretur et suspenderetur in Deum: ideo amor sic sibi propter se inhaerens habet in se maximam obliquitatem et infimitatem (a), id est, infimam sui in sua nihilitate inviscerationem (b) et quandam fluxam et enervatam mollitiem. Et habet plenum praedominium, quia nulli est alteri voluntati subiectus nec subici valens, in quantum talis. Et (c) ideo naturali ordine sibi mox ingignitur sensus et affectio praesumptionis, et maxime quando talis in se ipso invenit multa apparentia bona quae magni pendere valeat, quia multum aestimamus etiam ea quae nullius (d) sunt valoris, ex (e) quo multum amantur a nobis. Quia vero vitiosus et praesumptiosus sui amor fertur sine regula et mensura ad fines suos: idcirco honorem et potestatem et reliqua sibi propter se appetibilia, quantum est ex se, appetit infinite, et praecipue si secundum suam caecam praesumptionem aestimet se aptum ad illa. Et ideo ambitio est naturaliter connexa praefato amori. Ex praedictis autem facile est colligere quod prima initiatio peccati angelici non fuit in actu electionis proprie sumpto, prout scilicet electio dicitur esse de iis quae sunt ad finem aut de quibuscunque quae quis potest non amare seu nolle, quia fuit in amore sui. Pro tanto tamen potest dici fuisse in actu electivo, pro quanto ille actus fuit a voluntate libere exiens, et pro quanto voluntas potuit non exire in ipsum quantum ad illud quod est in eo vitiosum.

Quinto sciendum quod fortius et facilius amat quis bonum proprium secundum illum respectum secundum quem illud bonum occurrit ut maius et gloriosius et deliciosius. Constat autem quod bonum propriae naturae et personae ut praesentialiter et visibiliter connexum cuidam magnae universitati bonorum in eius facultate existentium aut simpliciter aut quoad actum fruendi occurrit ut longe maius et gloriosius quam si separatim sumatur ut solum. Et ideo primus angelus facilior fuit ad se ipsum amandum in tota universitate angelorum et omnium creatorum sibi subiecta quam sumendo se sine illis, et praecipue quia in quolibet illorum sentiebat se quasi duplicari; videndo enim se esse in corde uniuscuiusque tanquam singulare et universale caput omnium et videndo potestatem suam super unumquemque, sic videbat se multiplicatum et magnificatum, sicut homo qui videt se

---

(a) Ex *infirmitatem*. (b) V *inviscationem*. (c) Add. interl. al. m. (d) V *nullis*. (e) Al. m. ex *in*.

simul in multis speculis. Videndo etiam unumquemque illorum esse suum fruibile et suum subditum, sic amplectebatur omnia illa sibi tanquam proprium amatum vel bonum, sicut rex vel dominus, quando aspicit omnes divitias et possessiones suas et omnia desiderabilia sua. Quia autem bonum proprium sub tali correlatione sumptum tanto ad sui rectam ordinationem eget altiori regula virtutis, quanto tota huiusmodi relatio est prae ceteris creatis amplius vanificans, nisi fortissime tota referatur in Deum et nisi subiectissime stet sub Deo tanquam sub domino principali, immo et totali: hinc est quod in amore sui ut sub ista correlatione sumpto facilius et fortius potuit primus angelus peccare. Quia vero tota universitas ut ab eo dilecta sibi et propter se ipsum habuit rationem boni concupiscibilis tanquam obiectum amoris concupiscentiae: idcirco inchoatio deordinationis amoris videtur potuisse inchoari aut in praefato amore concupiscentiae aut in amore amicitiae quo se ipsum tam in se quam in omnibus amabat. Sive autem hoc fuerit naturaliter prius quam illud vel e contrario, sive fuerint naturaliter simultanea et aeque prima, quod magis consonat naturae correlationis [a] praefatae: semper tamen vitium illud fuit vitium ambitionis simul et elationis [b] et vanae gloriationis; ambitionis quidem, pro quanto illam dominationem et gloriam absolute amabat et pro quanto appetebat illam de futuro durare et crescere; gloriationis vero inanis, pro quanto in ipsa ut praesentialiter optata et visa est inaniter delectatus; elationis vero, in quantum in corde suo ex tanta potestate et gloria totus in altum super omnia efferebatur.

Sexto quoad ceteros angelos sciendum quod si societas Evae fuit Adae amabilis et desiderabilis: non mirum, si societas primi angeli fuit angelis [c] inferioribus amabilis et delectabilis, et praecipue quia sic erant ei connexi sicut membra suo capiti et sic videbant se esse in illo sicut filios in corde patris; et ideo sequestrari ab illo et ab amicitia [d] illius secundum se et absolute erat contrariissimum naturali nexui et voluntati eorum. Pro quanto [e] autem erat eis visibilior quam Deus, pro tanto potuerunt faciliter ferri in illum absque relatione in Deum. Quia etiam unusquisque incomparabiliter sentiebat se ipsum esse maiorem ut sumptum cum illo et in illo quam ut sumptum sine illo [f], et prae-

---

[a] Al. m. corr. [b] Ex *eleationis*. [c] Al. m. mg. [d] Ex *amitia*. [e] Al. m. mg. [f] Al. m. mg. *et... illo*.

cipue quia separari ab illo, pro quanto erat caput [a] omnium, erat quodam modo separari ab omnibus sibi subiectis, sicut et separari a gratia regis est separari a regno ipsius: hinc est quod facilius et fortius potuerunt deordinari in amore sui ut ad illum relato. Quia vero illi innitendo per illum habebant trahi et reduci in Deum, illo stante in rectitudine sua: ideo non fuit facile illos peccare, illo stante recto [b]; illo autem se eis modo opposito exhibente, potuerunt facilius ipsum sequi, et maxime quia tunc oportuerunt vel separari ab eo vel sibi inaniter et indebite adhaerere. Et hinc est quod ipse non [c] inconvenienter creditur primo peccasse; ipsi vero ponuntur consequenter peccasse, illum sibi indebite amando et se ipsos in illo seu in relatione ad illum et in complacentiis et desideriis ac praesumptionibus et confidentiis tali amori annexis. Et attende quod [d] ea ratione qua per nexum amoris erant unum illi in illius gloria quasi in sua superbiebant et gloriabantur et etiam in gloria omnium consociorum, quia totum erat unum corpus ex capite et membris compactum.

Tertium principaliter praenotandum est modus lapsus seu labilitatis eorum; quem, ex quo cadebant, oportebat esse maximum [e] triplici de causa.

Prima est ex parte activae potentiae eorum. Quanto enim fuit potentior et efficacior in agendo et quanto maius et intimius [f] dominium habuit in se ipso [g] et in potentiis sibi subiectis, tanto habuit altius et profundius et efficacius ire in principalia [h] et finalia volita sua. Quia autem in ipsis adhuc rectis omnia supremae potentiae et supremae virtuti subicibilia [i] et subicienda erant plenissime et potentissime subiecta: idcirco oportuit quod primum peccatum eorum inchoaretur [k] in supremo supremae libertatis et potestatis eorum, ac per consequens oportuit eorum primum peccatum esse radicalissimum [l] et impetuosissimum; quia sicut machina, quanto est fortior ad lapidem proiciendum, tanto impetuosius [m] proicit illum, et quanto virtus et eius actio est radicalior, tanto et defectus eius — unde videmus quod vita radicis extincta aut vitiata eo ipso vitiatur vita ramorum, et non sic e contrario —: sic superiori radicali causa

---

[a] Al. m. mg. [b] Melius *recte*. [c] Add. interl. al. m. [d] Corr. [e] Sequitur ras. [f] Al. m. ex *intimus*. [g] V *ipsa*. [h] In ras. [i] Supra *subicibilia* ras. [k] Ex *inchoarentur*. [l] V *radicatissimum*. [m] Ex *impediosius*.

turbata oportet perturbari omnes causas sibi subnexas, in quantum tales.

Secunda causa est ex parte obiecti. Quanto enim obiectum formale et finale est maius et delectabilius, tanto fortius est ad inviscerandum et imbibendum sibi potentiam propter se inhaerentem; ergo quanto maior fuit tota gloria et dominatio angelorum peccantium, tanto fortius inviscerati, sunt ei, ex quo sibi propter se adhaeserunt. Quanto autem bono creato fortius propter se adhaeserunt, tanto a bono increato fortius sunt aversi; quanto autem a bono increato fortius sunt aversi, tanto in eius oppositum fortius et profundius sunt demersi et praecipitati. Et quia bonum increatum est summa entitas et unitas ac veritas et aequitas seu bonitas: idcirco, quanto fortius sunt ab ipso aversi et ad bonum creatum conversi, tanto in maiorem nihilitatem seu vacuitatem et in maiorem dispersionem affectus et cogitatus et in maiorem falsitatem intentionalium et affectualium obiectorum et in maiorem iniquitatem seu obliquitatem et malitiam corruerunt. — Quod in speciali sic breviter patet: nam quanto altior fuit entitas virtutis quam amiserunt, tanto magis ab ente defecerunt. Quanto etiam ad altius obiectum et ad altiorem finalis perfectionis gradum erant ordinati, tanto eorum capacitas ab illis frustrata magis vacua et exinanita [a] remansit. Quanto etiam fortius et intensius bonum creatum dixerunt esse bonum summum, tanto maior falsitas fuit in eis. Item, quanto quis vas maius et pretiosius aestimat minimo et vilissimo posse perfici et repleri, tanto plus fallitur; ergo quanto se ipsos super omnia magnos et nobiles conditos vilissimo amore et vanissima gloria aestimaverunt perfici et repleri, tanto falsiores fuerunt. Quanto etiam uno vero bono relicto infimitatem [b] creatorum appetibilium secundum omnes suae facultatis aspectus sunt fortius insectati, tanto utique fortius sunt in plura dispersi. Quanto etiam Deum magis tenebantur amare et de maioribus donis acceptis gratiores esse et quanto iustitiam acceptam plenius poterant observare, tanto magis impii et ingrati et iniusti fuerunt. Quanto etiam suas potentias fortius ad illicita converterunt, tanto ipsas fortius distorserunt.

Tertia causa est ex parte iustitiae Dei. Quae quanto absque omni eorum cooperatione maiora ipsis bona contule-

---

[a] Ex *exinaniata*. [b] Al. m. mg., del. *infinitatem*.

rat et maiorem potestatem ad standum et ad casum vitandum, tanto ipsos voluntarie cadentes debuit amplius permittere sibi ipsis et casui suo et tanto plus eis subtrahere gratuita dona influentiarum suarum et tanto acrius [a] a se et suis eos reicere et reiectiva percussione et increpatione ferire. Unde et mox cum tota universitate sanctorum angelorum sic eos a se reicere coepit quod statim in summam indignationem et invidiam et impatientiam et blasphemiam in Deum et suos effremuerunt, ita quod contra Deum et suos se toto posse univerunt et armarunt et affectualiter irruerunt. Est autem natura cadentis quod quanto ab altiori gradu et quanto maiori impetu se prosternit, tanto ceteris paribus habet irretentibilius et velocius ac profundius ruere et conteri in fine suae ruinae. Quanto etiam erant Deo immediatiores, tanto egebant plus et immediatius per continuas et immediatas influentias Dei illuminari et regi et ideo illis subtractis magis habuerunt tenebrescere et frigescere tanquam non habentes mediatorem per quem restaret eos reaccendi et illuminari, iuxta illud Christi [1] ad Apostolos [b]: *Si sal evanuerit, non est per quod iterum saliatur;* unde et quando doctor errat et praecipue circa principia prima, non est per quem reformetur et edoceatur, sed potius ducit suos subditos in errorem.

Attamen sciendum quod quia voluntas creata a contrario in contrarium, id est, a bono in malum se ipsam movens et movendo habitum vitiosum de se ipsa educens verisimiliter plus potest sub aliqua certa quantitate temporis quam in primo instanti sui motus, saltem quando agit secundum facultatem suae naturae sibi relictae: idcirco verisimile est quod peccatum daemonis nec actu nec habitu fuit [c] ita intensum nec ita multiformiter diffusum et ramificatum in primo instanti sicut fuit postmodum. — Sciendum etiam quod ipse angelus, antequam peccaret, non potuit [d] praedeliberare an peccaret vel non aut quomodo peccatum perficeret, quia hoc facere non potuisset absque peccato; deliberans enim an peccabit vel non non est prout debet fixus contra peccatum nec prout debet ad partem iustitiae determinatus, deliberans vero quomodo pec-

---

[a] Al. m. corr. [b] Al. m. ex *polos*. [c] Al. m. corr. [d] Sequitur ras.

---

[1] Matth. 5, 13.

cabit iam habet appetitum et intentionem peccandi. Habuit igitur a principio certam scientiam quod malum nullo modo secundum Deum et iustitiam erat sibi eligendum, immo toto posse vitandum. — Item, non potest dici quod aliquis appetitus inordinatus (a) aut ad (b) aliquid deordinatum inclinans fuerit in eo ante peccatum; unde oportuit quod a libero consensu peccatum eius inchoaretur. — Rursus sciendum quod cum nihil poenale potuerit esse in eo ante peccatum, sequitur quod nullus poenalis timor alicuius poenae nec aliquis poenalis seu afflictivus aut dolorosus horror culpae potuit esse in eo ante primum peccatum; et ideo non fuit in eo fuga poenae vel culpae per aliquem sensum vel stimulum offensivum et per experimentalem sensum punctionis vel offensivae passionis retrahentem a malo, sed solum fuit per simplicem notitiam utriusque mali et per impoenale odium utriusque causatum ab amore boni tam naturalis quam virtualis. — Ulterius sciendum quod sicut ex praedictis patet, primum peccatum eius non potuit ab expresso contemptu Dei initiari, sed potius ab amore boni creati secundum se sumpti, quamvis ipse in hoc videret interpretativum Dei contemptum includi, pro quanto scilicet erat contrarium divinae voluntati et suo honori. Bonum autem creatum, secundum quod amatur et aestimatur ab amore perverso, omnino occurrit ut nullum et ut quasi annihilatum amori recto, quia amor rectus nullo modo amat aut aestimat ipsum ut propter se bonum, sed solum ut ad Deum et propter Deum et ut est a Deo et in Deo; et loquor de amore recto, quia est ipsa virtus. Et hinc est quod duplex bonum obiective primo angelo offerebatur, scilicet bonum divinum et bonum creatum ut secundum se sumptum et ut erat visibiliter notum. Et licet istud secundum veritatem esset nihil respectu boni divini, nihilominus secundum se erat valde magnum et praesentialius ac visibilius suam visibilem fruibilitatem offerens quam se divinum bonum offerret (c). Et ideo quamvis angelus nullam inclinationem ad ipsum indebite amandum (d) haberet, potuit tamen ad hoc deflecti.

Quartum praenotandum est quod licet primus angelus ante suum casum speculative sciret quod peccare non poterat absque maxima sui deordinatione, non tamen noverat hoc ex-

(a) Al. m. mg. (b) Al. m. mg. (c) Al. m. in ras. ex *offeret*. (d) Sequitur ras.

perimentaliter, quia nihil tale in se vel in altero unquam erat expertus. — Scimus autem quod aliter afficit expertum quam inexpertum. Licet etiam speculative sciret quod si peccaret, secundum meram Dei iustitiam esset aeternaliter damnandus, non tamen in se vel in altero expertus erat severitatem divinae iustitiae, etiam vel minimam, nec scivit nec indubitabiliter credidit quod si peccaret, Deus ei non misereretur. Quod probat Anselmus, libro *De casu diaboli* (1): quia si hoc infallibiliter scivisset, tunc nunquam posset peccato alicui consentire, quia solo timore poenae ab eo, si peccaret, indubitabiliter expectatae ab omni peccato se cohibuisset etiam absque amore iustitiae, pro eo quod plus tantam poenam timuisset quam aliquod pravum appetibile adamare potuisset, et ita timor esset omnino praepotens ad vitandum talem amorem. Eo ipso igitur quo supponitur peccasse et potuisse peccare ponitur hoc nescivisse nec indubitabiliter credidisse. Et certe, arcanum divinae voluntatis et libertatis ad miserandum vel puniendum non potuit scire nisi per specialem revelationem quae sibi non debuit fieri ante lapsum; tum ea ratione qua debuit fieri cum potestate merendi et demerendi; tum quia secundum Anselmum (2) non fuit decens quod solo timore poenae abstineret a malo, quia talis abstinentia non haberet rationem meriti nec laudis.

Si vero contra hoc obiciatur quod ipse multo certius noverat et nosse poterat inconvenientia quae sequerentur, si sibi peccanti Deus misereretur quam nos nunc sciamus, et tamen secundum rationes Anselmi (3) et quorundam aliorum doctorum satis clare probatur multa inconvenientia ad hoc sequi, quia non poterat nec debebat eis dari redemptor in quo iustitia satisfactoria cum misericordia indulgentiae servaretur ad plenum: potest ad hoc responderi, primo scilicet quod multa ex postfacto patent inferioribus quae ante factum non patebant superioribus. Et praecipue est hoc verum in contingentibus et praecipue in praecellentioribus operibus et iudiciis divinae praedestinationis et praescientiae; evidentia enim operum multum iuvat intellectum nostrum ad notitiam ipsorummet operum suarumque causarum. — Secundo dicendum quod licet rationes doctorum probabiliter quaedam inconvenientia concludant, non

(1) Cap. 23 (PL 158, 356). (2) L. c., capp. 23, 24 (PL 158, 356).
(3) L. c., cap. 23 (PL 158, 355 sqq.).

tamen faciunt hoc sub necessitate nobis indubitabili; quin potius ad contrarium magis inconveniens videtur quod Deus quamcunque iniuriam sibi factam non posset libere et decenter absque satisfactione aliqua indulgere propter internam contritionem quae in ipsa indulgentia continetur. De hoc autem in tractatu de gratia et merito redemptionis latius disseretur. — Rursus sciendum quod sicut ex praecedenti quaestione patet, alia (a) est ratio praeeligibilitatis ex convenientia ordinis divinae iustitiae sumpta et alia ex convenientia visibilis decoris et delectabilitatis bonorum creatorum seu naturalium sumpta. Est autem pro certo supponendum quod licet angelus fuerit sic perfecte priori ordini connexus quod excusabiliter ab illo divelli non posset: nihilominus non fuit in illo sic radicatus quin ad oppositum se movere posset. Et ideo damnum poenae aeternae a Dei iustitia praefixae non ita sibi offerebatur quod eius affectum redderet impossibilem ad peccandum. Facile autem fuit Deo ipsum in tali temperamento creare; licet enim primus ordo ex se esset incomparabiliter praevalentior, et quamvis habitus iustitiae in primo angelo perfecte praedominaretur affectioni naturali, nihilominus ordo secundus habuit praevalentiam visibilioris praesentialitatis, et libertas arbitrii fuit praedominans utrique habitui, affectioni scilicet iustitiae et affectioni naturali, pro quanto scilicet per eam poterat ad bona creata propter se vel propter Deum ferri.

[Solutio Obiectorum]

Et per hoc patet ad primum pro contraria parte factum: quia licet certitudinaliter sciret bonum increatum esse in infinitum melius bono creato, nihilominus bonum creatum occurrebat ut visibilius et quoad hoc ut magis accessibile.

Ad secundum dicendum quod angeli peccantes non directe voluerunt bonum virtutis a suo actu excludi, quia nec hoc communiter volunt homines, dum peccant, immo si per impossibile fieri posset, vellent suum peccatum non habere culpae defectum, sed potius quod esset licitum et iustum et Deo placitum; ex consequenti tamen, pro quanto scilicet videbant actum sui peccati non se posse compati cum ordine iustitiae, interpretative et indirecte (b) elegerunt illum excludi. Licet autem bonum creatum sumptum cum Deo et prop-

(a) Al. m. corr. (b) Al. m. ex *directe*.

ter Deum esset delectabilius secundum veridicam rationem et suavitatem ordinis iustitiae, non tamen secundum illam rationem delectabilitatis quam habebat ut propter se sumptum; immo, sicut supra tactum est, haec ratio tota annullabatur, quandocunque sumeretur seu amaretur solum propter Deum. Unde [a] et omnino altera fuit in eis ratio delectationis [b] vitiosae a ratione delectationis virtuosae quam habuissent de bonis creatis ut solum propter Deum dilectis. Figere etiam suum amorem in bono creato quandam consummationem quietationis et delectationis addit ad amorem naturalem, prout est communis et indifferens ad figi finaliter in bono creato et ad referri in Deum, licet praefata quietatio sit essentialiter vitiosa.

Ad tertium dicendum quod nihil inconveniens, si in appetitu vitioso contradictoria includantur ex parte intentionalis obiecti, immo hoc necessario habet esse; quia quod bonum creatum ametur ut summum bonum et ut ultimus finis quasi idem est quod in suo affectu et affectuali cogitatu seu gustu assumere illud ut Deum. Sicut autem intellectus erroneus potest credere aliquam compositionem in se contradictoriam implicative esse veram, sic et affectus potest affici ad illam. Non est [c] autem intelligendum quod angelus aliquam divinam proprietatem directe appetierit, prout est ipse Deus imparticipabilis ab omni creato, sed solum appetiit eas sub falsa compositione illarum ad suum bonum proprium, utpote appetendo quod sua formalis dominatio et gloria et delectatio esset infinita et summa et nulli subiecta nec subicibilis et quod sua formalis potentia esset potens ad omnia. Appetitus enim vitiosus bene potest esse impossibilium, non tamen potest in aliquid tendere nisi cum praesuppositione quod salvetur sua natura, praeterquam quando ex horrore poenae eligit non esse. Unde nunquam diabolus appetiit nec appetit nec appetere posset quod sua natura converteretur in illam naturam divinam quae vere est ipse Deus, eo scilicet modo quo panis convertitur in corpus Christi; sed eo modo quo intellectus et appetitus possunt in generali accipere generales rationes summi boni et summi posse et summi esse et consimilium, non determinando an illae sint Deus, sed acsi essent universales et pluribus individuis communicabiles: sic potest appetitus vitiosus eas accipere quasi compositas seu determinatas ad suum sub-

---

[a] In ras. [b] Al. m. ex *delectatio*. [c] Add. interl. al. m.

iectum vel ad suum proprium et determinatum obiectum. Rursus, sciendum quod [a] appetitus primi angeli non potuit in hoc ab initio primo et principaliter ferri, ut scilicet primum appetibile sui peccati esset omnipotentia aut quodcunque consimilium, sed oportet quod prius naturaliter ferretur in aliquod bonum creatum propter se et inordinate; et tunc eo ipso quod sic ferebatur in illud sequebatur [b] quod ferretur in illud nullam ponendo ibi regulam iustitiae nec mensuram ex ulteriori fine moderatam. Et ad hoc sequebantur praedictae compositiones erroneae. Ulterius sciendum quod aliter appetit illa quae videt sibi possibilia et aliter huiusmodi [c] impossibilia; nam illa appetit et eligit cum conatu et intentione prosequendi et obtinendi, huiusmodi vero impossibilia [d] appetit absque tali intentione et conatu. Unde certitudo impossibilitatis dat quandam fortissimam repugnantiam et compressionem appetitùi tali.

Ad quartum dicendum quod naturali affectioni angeli non fuit abominabile id quod prave appetiit, quantum erat ex se, sed affectioni iustitiae et affectioni naturali, pro quanto regebatur ab illa; immo primordialis ratio illius obiecti fuit de se valde complacibilis affectioni naturali, quia nec illa de se erat contraria iustitiae, sed solum ratione modi perversi sub quo fuit acceptum. Sic autem acceptum non fuit ita abominabile [e] angelo secundum suam affectionem iustitiae quin posset illud amare et eligere, et praecipue quia eo ipso quo eligebat illud, in eodem nunc repellebatur ab eo affectus iustitiae; et ideo pro illo nunc non repugnabat vitio.

Ad quintum dicendum quod inferiores angeli non poterant ita visibiliter et immediate videre virtutes cuiuscunque alterius angeli et praecipue virtutes superiorum sicut bona eorum naturalia secundum suam exteriorem faciem secundum quam unus ab altero facilius et immediatius videtur. Praeterea, quando supremus angelus eos ad suam perversitatem trahere voluit, utique in omni decentia et affabilitate qua scivit et potuit se eis exhibuit; et sicut in bonum creatum perverso modo sumptum potuit eius voluntas ferri, sic etiam voluntas inferiorum. Unde quando se ipsum et suum amorem quo tam se quam illos coeperat perverse amare eis visibiliter exhibuit et exhibendo propalavit, licet secundum suam affectionem iustitiae haberent illud detestari,

---

[a] In mg. *s. q.* [b] Al. m. mg. *i. i. s.* [c] In ras. [d] Al. m. corr. [e] In ras.; in mg. *ita.*

eorum tamen libertas per affectionem naturalem sic absque affectione iustitiae potuit se movere quod perversum amorem primi angeli sibi oblatum potuit perverse amare in quo principalius quilibet se ipsum perverse amabat.

Ad sextum dicendum quod sicut iam tactum est, ipsi nesciverunt quod Deus eos, si peccarent, irrevocabiliter damnaret. Non etiam oportet quod ipsi ad plenum sciverint [a] totam possibitatem seu labilitatem suae naturae suarumque virtutum; unde ipsi fortasse non praecogitaverunt quod primus pravus eorum consensus haberet necessario tam immensam peccatorum ruinam et sequelam, utpote quod praecogitaverint quod non possent aliquid perverse amare, quin eo ipso ab illo nollent in aeternum divelli nec ad Dei iustitiam in aeternum redire. Et quamvis scirent quod nunquam ex se poterant ad plenum redire ad bonum, non oportet quod scirent se ita expoliandos ab omni affectu virtutis et iustitiae quod nullo modo possent, saltem in modico, de suo malo poenitere et ad suum reditum [b], saltem in modico, cooperari. Hoc autem dico, dato quod ipsi non potuerint sic peccare quod aliquae reliquiae rectitudinis virtualis eis remanerent, sicut in hominibus [c] peccantibus remanere videmus. Et quidem, si hoc in eis esse non potuit, non est credendum hoc provenisse ex hoc quod eorum potentiae sint essentialiter irrevertibiles ab his ad quae se convertunt, prout in quaestionibus de libero arbitrio ostendi. Sed potius putandum est hoc provenisse ex tribus causis magnitudinis sui lapsus seu [d] sui modi labendi superius in tertio praenotato tactis; quamvis mihi non constet quod nullae [e] reliquiae virtutum in eis ante suam de caelo eiectionem remanserint per quas possent [f] ad poenitentialem reditum [g] aliquantulum cooperari, nec video unde pro certo aut etiam multum probabiliter probari possit.

Si quis autem quaerat an in primo initio sui peccati possent scienter et expressa intentione illud quod prave elegerunt pro tota futura aeternitate eligere, ita quod in primo initio sui peccati expresse includeretur consensus in aeternum recessum a iustitia et virtute: aestimo quod non. Nec tamen oportet quod a principio proposuerint usque ad aliquod tempus et non plus in suo peccato manere, immo potuerunt sic absolute consentire in illud quod actualiter non intenderent an ad tempus vel in aeternum in illo manerent; quamvis per

---

[a] Ex *sciverunt.* [b] Ex *redditum.* [c] In ras. *i. h.* [d] Al. m. corr. [e] Sequitur ras. [f] Partim al. m. corr. [g] V *redditum.*

quandam occultam efficaciam eorum pravus affectus aeternitatem in suo finali obiecto quaereret et amaret (a). Unde et ad fortem eius initiationem naturali ordine vel in eodem nunc vel paulo post sequebatur quod expresse proponerent et intenderent in finali obiecto sui primi consensus aeternaliter iniacere, nisi Deus eos vellet ad contrarium stimulare et illam intentionem infringere vel impedire. Vel potest dici quod ab initio simpliciter consenserunt in illo permanere, quanto tempore possent; conditionaliter vero elegerunt quod in aeternum, scilicet si fieri posset et si permitteretur a Deo. Si tamen in primo initio sui peccati potuerunt hoc simpliciter et expresse et absque conditione intendere et proponere: tunc, si hoc ita fecerunt, longe maius et inexcusabilius fuit peccatum eorum. Ego autem idcirco non puto hoc fieri potuisse, quia primus pravus consensus eorum non videtur potuisse ferri super illud quod certitudinaliter sciebant sibi et Deo iusto esse impossibile; ipsi autem certissimi fuerunt quod divina iustitia nulla ratione posset (b) permittere eos sic in aeternum delectabiliter permanere, immo oporteret quod vel eos aeternaliter puniret vel ad se revocaret.

Ad septimum dicendum quod a tempore Gregorii (c [1]) et citra communiter tenetur ipsum fuisse supremum. Et certe sacer textus hoc satis expresse dicit, Iob 40 (2), ubi Deus dicit: *Ipse est principium viarum Dei*, et quando sequenti capitulo (3) dicit: *Non est potestas super terram quae comparetur ei qui factus est ut nullum timeret*, id est, ut nulli praeterquam Deo subesset. Item, Ezechielis 28 (4), sub typo regis Tyri hoc satis aperte innuitur ubi signaculum similitudinis Dei fuisse dicitur et opertus omni lapide pretioso, et subduntur novem genera lapidum in typo novem ordinum angelorum; et post (5) vocatur cherub super alios (d) extentus et alios quasi sub alis suis protegens. Item, capitulo 31 (6), sub typo regis Assur dicitur quod nulla arbor paradisi Dei fuit eius altitudini aequalis nec eius pulchritudini similis, immo omnes admirati sunt sublimitatem eius. — Praeter hoc autem ratio (e) probabilis sacro textui innitens huic rei attestatur;

(a) In ras. (b) Al. m. mg., del. *potest*. (c) In ras. (d) In ras. (e) Al. m. corr. *a. r.*

(1) *Moral.*, XXXII, 23 (PL 76, 664 sq.). (2) Iob 40, 14. (3) Iob 41, 24. (4) Ezech. 28, 11-13. (5) Ezech. 28, 14. (6) Ezech. 31, 2-9.

nam Scriptura [1] aperte ponit eum regem omnium filiorum superbiae et caput omnium [a] impiorum et super omnia astra caeli, id est, super omnes angelos voluisse innaniter exaltare solium seu dominium suum. Non est autem verisimile quod si habuit superiores, quin illi qui secuti sunt eum multo libentius etiam secundum suam affectionem naturalem et secundum maiorem delectabilitatem visibilis amicitiae eligissent adhaerere superioribus plus quam illi. Non etiam est verisimile quod ipse non plus secundum suam affectionem naturalem praeelegisset sequi suos superiores sibi visibiles quam solum se ipsum. Incredibile etiam est quod supra suos superiores sibi visibiles ab initio attentaverit [b] dominari. — Concesso igitur quod fuerit supremus, ad rationem subinductam dicendum quod ipse ab initio non elegit a societate beatorum angelorum recedere, sed elegit illos ad suum intentum trahere et cum illis et super illos regnum superbae gloriae sibi statuere. Et si omnia supradicta pensentur [c], non est incredibile nec impossibile quin visibilem gloriam et dominationem super omnia creata potuerit praeeligere invisibili gloriae ad quam habendam conditus erat.

Ad praedicta autem adhuc lucidius contuenda sciendum quod quae dicta sunt de lapsu eorum per vitiosum amplexum boni creati deserta affectione iustitiae et cum naturali sui amore in vitium pereffluendo possunt dupliciter intelligi: uno scilicet modo, quod nullus ibi retineretur color iustitiae, sed per aperta mala et vilia fieret turpis et aperta reiectio virtutum, sicut facit sanctimonialis virgo publice se prostituens omni transeunti; secundo vero modo, ut more [d] hypocritali servaretur a principio similitudo virtutum. Et hoc videtur verisimilius; tum quia secundum Apostolum, II Corinthiorum 11 [2], *ipse satanas transfigurat se in angelum lucis*, sicut ministri eius in [e] ministros iustitiae et pseudoapostoli in apostolos Christi; tum quia eius intellectualis et summa sublimitas huic modo labendi amplius attestatur, ut scilicet in intellectualissimis [f], vane tamen sumptis, fuerit inaniter [g] gloriatus et ut per peccata spiritualissima tanquam spiritus et spirituales effectus

---

[a] In ras. [b] V *attetaverit.* [c] Al. m. ex *posset.* [d] Ex *amore.* [e] Al. m. corr. ex *et.* [f] Al. m. corr. *i. i.* ex *intellectualissimis.* [g] In ras.

---

[1] Cfr. Isaias 14, 9sqq.; Matth. 12, 24. 26; Apoc. 13, 4sqq.; 17, 1sqq.; 18, 2sqq. [2] 2 Cor. 11, 13-15.

fuerit primitus depravatus; tum quia rectitudo virtualis quam in sua creatione acceperat longe plus refulgebat in suis exterioribus quam sanctitas christianae vel regularis professionis exterius refulgeat in christianis vel religiosis (a). Si autem non solum virtuosis, sed etiam pravis christianis est horribile subito contueri repentinam vel manifestam apostasiam ab omnibus insigniis religionis: verisimile (b) est quod non minus hoc horruissent (c) inferiores angeli qui postmodum secuti sunt primum, si talem et tantam mutationem repente in ipso vidissent. Praeterea, numquid saltem illas virtutes secundum quas debebat ordinari ad suos inferiores, sicut sunt veritas, fidelitas, pietas et consimilia, visus est ostendere eis? numquid etiam desideravit reputari ab eis sanctus et iustus potius quam perversus? numquid etiam potuit ipse sic simulare virtutes sicut potest unus pseudopropheta?

Sed hoc concesso tria restant dubia dissolvenda. Primum est (d), quia secundum hoc videretur quod angeli ipsum sequentes non peccassent, sed solum errassent aestimando ipsum sanctum. — Secundum est, quia secundum hoc potius peccavit per vitiosum amplexum boni proprii virtualis quam sui boni naturalis; quod videtur contrarium supradictis. — Tertium est, quia si primum peccatum eius fuit notabiliter magnum, ergo fuit apertissime contrarium suae iustitiae priori et ita non potuit videri simile illi.

Ad primum igitur dicendum quod hypocrisis potest dupliciter fieri; primo scilicet, ut homo fingat se solius Dei amorem et gloriam tam in se quam in aliis quaerere; secundo, quod homo totam suam spiritualem sapientiam et sanctitatem per quandam apertam vanificationem ad suam gloriam retorqueat et ab aliis sub conformi vanificatione sibi exiberi expectat. Et si hoc secundo modo fuit, tunc angeli ipsum sequentes inexcusabiliter peccaverunt. Quod autem hoc secundo modo (e) fuerit videtur; tum quia suum affectum ambitiosum omnino celando non ita alios ad se attraxisset et ideo eo ipso quod alios (f) ad se trahere voluit oportuit quod sub aliquo modo amicabili suum affectum eis aperuerit (g); tum quia erant ad invicem sic connexi et in se ipsis mutuo contemplandis sic perspicaces quod superior non po-

---

(a) Ex *religiosris.* (b) Sequitur ras. (c) Al. m. ex *horuissent.*
(d) Add. interl. al. m. (e) Sequitur ras. (f) Supra *alios* ras.
(g) V *aparuerit.*

tuit notabilissime evanescere, quin ab aliis aliquo modo deprehenderetur, saltem per aliqua signa; tum quia, sicut supra tactum est, huiusmodi evanescentia non fuit in absoluta conversione sui ad se, sed potius in relativa conversione sui ad se et ad alios (a), et ideo in illa conversione visibilius et infimius et materialius et, ut ita dicam, vitiosius (b) se protendit et exhibuit aliis. Sicut autem obiectum vane gloriosum primo angelo per simplicem intelligentiam praesentatum potuit ab ipso amari, sic idem obiectum in ipso iam realiter existens et aliis visibiliter oblatum potuit ab aliis amari.

Ad secundum dicendum quod aliud est amare virtutem et eius virtuosum obiectum, aliud amare vanam et apparentem gloriam et praecellentiam de ipsa habitam. Hoc enim secundum non procedit ex amore virtutis, sed potius ex amore sui ipsius et hoc non recto sed vano (c), et ideo spectat ad obliquationem amoris quo quis se ipsum absolute diligit.

Ad tertium dicendum quod aliquid potest esse alteri secundum rem contrariissimum (d), quod tamen secundum apparentiam erit sibi valde simile; et hoc de facili contingit in quibusdam vitiis quae in obiecto proprio conveniunt cum virtutibus sibi oppositis. Unde amor castitatis (e) propter gloriam assimilatur castitati quae est propter Deum, et fortitudo ex pertinacia voluntatis proveniens assimilatur fortitudini ex amore virtutis et a robore divino provenienti, et amicitia ad alios dulcis et hypocritalis caritati assimilatur. Quamvis autem non sic apparuerit eis similis (f) quin aperte viderent eius realem contrarietatem: nihilominus ex ipsa similitudine habuit quandam apparentem praecellentiam et (g) praecellentem apparentiam ex qua facilius poterant consentire in illam (h) quam in vitia nihil talis praecellentiae habentia. Pro quanto etiam intimus et immediatus ordo virtutum ad Deum fuit eis secundum se occultior quam ordo naturalis et quam ordo virtutum (i) inferiorum ad sua obiecta proxima: pro tanto visibilior fuit eis similitudo sui hypocritalis peccati ad iustitiam quam sua realis contrarietas. Et ideo voluntas, prout libere sequebatur aut sequi poterat suas affectiones naturales, de facili potuit ad hanc hypocritalem gloriam amandam deflecti.

(a) Sequitur ras. (b) In ras. (c) Sequitur ras. (d) Sequitur ras.
(e) Al. m. ex *castitis*. (f) Al. m. mg., del. *simul*. (g) Al. m. mg.
(h) Al. m. mg. (i) Al. m. mg. *ad ... virtutum*.

Sciendum autem quod si peccata hominum nobis visibilium quoad suas originales causas sunt nobis occulta, non est mirum, si primum (a) peccatum angelorum est nobis occultum; immo debemus advertere quod sicut primus status eorum est nobis omnino inexpertus et omnino transcendens nostrum intellectum (b), sic et lapsus eorum merito debet esse nobis occultus. Unde quicquid de eorum gloria vel culpa dicimus, per similitudines familiares ab inferioribus acceptas dicimus. Unde et quia in primo angelo fuit quasi incomprehensibilis magnitudo et multitudo aspectuum et affectuum et obiectorum: idcirco eius depravatio habuit quasi incomprehensibilem multiformitatem et profunditatem (c) vitiositatum. Propter quod Ezechielis 28 (1) optime de ipso dicitur: *In multitudine negotiationis tuae repleta sunt interiora tua, in iniquitate* (d) *et in multitudine iniquitatum tuarum et in iniquitate negotiationis tuae polluisti sanctificationem tuam.*

QUAESTIO XLIV.

Quinto quaeritur an daemones possint aliquid addiscere et oblivisci.

[Respondeo]

Ad hoc quidam dicunt quod sumendo addiscere pro acquirere aliquem habitum scientiae et sumendo oblivisci pro amittere aliquem habitum memoriae, sic nihil possunt naturam addiscere vel oblivisci, quamvis hoc possint omnipotentiam Dei. Quorum ratio est: quia secundum eis est omnis habitus scientiae cuius naturaliter sunt et hoc inseparabiliter.

Vero tenent quod quadrupliciter addiunt; primo scilicet, videndo de novo aliqua pote plures novos particulares effectus conquos prius tam in se quam in suis causis

(a) Al. m. corr. (c) Sequitur ras. (d) *I. i.* ex

(d) Ac
(e) V

ignorabant. Et est hic duplex addiscere secundum acquisitionem duplicis notitiae, scilicet actualis vel experimentalis et habitualis seu memorialis; nam id quod viderunt sciunt memoriter se vidisse. — Secundo, per coniecturas probabiles deducendo et concludendo aliquas novas opiniones seu suspiciones, iuxta quod de secretis cordium et de dubiis eventibus futurorum multiplices opiniones colligunt ex multis quae de nobis et de variis modis et effectibus divinae providentiae experiuntur. Et secundum quod argumenta ex experimentis sumpta sunt apud eos validiora, secundum hoc firmiores habent opiniones, et secundum quod debiliora, debiliores; et quando ad utrumque oppositorum habent argumenta apud eos aequivalentia, tunc aequaliter opinantur et dubitant de utroque. — Tertio, addiscunt aut addiscere possunt plures conclusiones scientiales ex suis principiis eis scientialiter seu intelligibiliter notis necessaria demonstratione seu consequentia deductas. Cum enim ipsi non habeant habitum vel actum scientiae infinitum in actu nec habitus actu infinitos, conclusiones autem et demonstrationes scientiales sint infinitae, sicut patet ex infinitate numerorum et figurarum de quorum proprietatibus possunt fieri demonstrationes et conclusiones infinitae: oportet quod in plurium conclusionum actualem et habitualem scientiam possint magis explicite et specifice deduci. Et idem est de infinitis modis quibus res varie possunt ad invicem componi vel commisceri; ex quibus consurgere possunt infiniti modi essendi et infiniti modi actualium effectuum vel proprietatum quos omnes simul impossibile est simul sciri nisi ab [a] habente habitum et actum scientiae infinitum. — Quarto, addiscunt et addiscere possunt plures revelationes [b] divinas et hoc sive per bonos angelos sive per scripturas propheticas sive per quamcunque communem vel particularem expressionem alicuius secretae voluntatis vel intelligentiae Dei quae aliquando per nova miracula aut per vias alias quasi sensibiliter se ostendit. Horum autem quaedam addiscunt certitudinaliter, quaedam vero coniecturaliter seu opinative; iuxta quod certitudinaliter didicerunt peccatum eorum non fuisse remittendum a Deo, hoc enim ante lapsum certitudinaliter nesciverunt. An etiam iste vel ille sit finaliter praescitus vel praedestinatus non semper sciunt certitudinaliter, usquequo per facti evi-

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. mg.

dentiam eis innotescit. Sic etiam ab initio nescierunt Deum pro redemptione humani generis humanandum; quod tamen nunc per facti evidentiam certitudinaliter sciunt. — Oblivisci etiam possunt tam aliqua quae scientialiter seu certitudinaliter sciverunt quam illa quae sola opinione tenuerunt; possunt etiam oblivisci non solum complexarum affirmationum et negationum, sed etiam aliquorum simplicium terminorum quos per simplices species in memoria habuerunt.

Quod autem non solum hoc sit possibile, sed etiam aliquando necessario futurum probatur ex naturali finitate et limitatione capacitatis suae intelligentiae et memoriae. Constat enim supponentibus eos esse finitos quod non possunt infinitos habitus vel species memoriales simul habere; constat etiam quod secundum successionem temporum plurium actuum et effectuum et temporum scientiam vel opinionem acquirunt et memoriter capiunt. Ergo aliquando per infinitam futuritionem temporum devenietur ad repletionem finitae capacitatis eorum. Ergo vel ex tunc sequentes actus non addiscent nec memoriter retinebunt, aut aliquorum priorum obliviscentur, amittendo scilicet aliquam memorialem speciem vel scientiam eorum.

Quod vero sit possibile probatur: primo, ex eo quod eorum potentialitati competit aliqua accidentia acquirere et amittere, sicut patet in eorum intrinsecis et transitoriis actibus et in amissione originalis iustitiae in qua sunt creati et in successione habitualis malitiae quam in se genuerunt. — Secundo, ex natura generabilium, quia qua ratione in aliquo subiecto substantialiter completo potest aliquod praeter necessarium accidens generari, eadem ratione potest et corrumpi, quantum est ex parte essentiae accidentis et ex parte subiecti et etiam ex parte efficientis et conservantis creati; quia aut illud generat et conservat plene libere et praedominative aut naturaliter. Si praedominative: ergo dominatur super illius corruptionem sicut et super generationem et conservationem. Si vero naturaliter: tunc per occasiones et dispositiones contrarias illis per quas aut sub quibus illud agens deductum est ad talem effectum noviter agendum et postmodum conservandum abducetur a tali actione et conservatione; ut verbi gratia, sicut nos per frequentes aspectus et visiones alicuius obiecti illud in memoria magis ac magis firmamus [a]: sic per longam et totalem cessationem ab

[a] *A. m. f.* ex *firmamus ac magis.*

istis et per assiduas applicationes mentis et memoriae ad alia magis ac magis illius obliviscimur. — Tertio, ex contrarietate accidentium susceptibilium. Subiectum enim unius contrariorum est in potentia ad aliud, nisi per aliquid sit inseparabiliter et necessario determinatum (a) ad primum; et sumo hic contrarium communiter ad contraria et privativa. Si ergo est dare opiniones et affectiones contrarias, et si error opponitur scientiae et etiam ignorantia, licet privative, et si amissio opponitur retentioni et oblivio reminiscentiae vel recordationi: ergo natura angelica erit ad has contrarietates, quantum est ex se, possibilis praeterquam in illis ad quorum alterum est per aliquid semper et necessario determinata; quod in pluribus praedictorum non est, saltem quoad daemones, dare. — Quarto, probatur hoc per locum a maiori: quia constat eorum voluntatem esse altiorem potentiam quam sit eorum memoria vel intelligentia; si ergo illa potest ab una affectione in contrariam variari, utpote a placentia in tristitiam vel displicentiam et a quieta voluntate in iram turbulentam et a timiditate in spem et e (b) contrario: nihil (c) inconveniens, si in eorum memoria (d) multiplex mutatio reperiatur.

Rursus, sumendo oblivisci non pro amittere memorialem speciem, sed pro non occurrere sibi ad votum, iuxta quod nos multa habitualiter et memoriter scimus quorum aliquando nullo conatu nostro possumus recordari: sic adhuc non est inconveniens eos plurium oblivisci, saltem aliquarum minutissimarum circumstantiarum de tot quasi innumerabilibus quae ab initio saeculi usque nunc sunt experti vel opinati. Licet enim sinus (e) memoriae eorum sit eis visibilis, sicut est corporale (f) spatium huius mundi oculo nostro: non mirum, si sicut multa visibilia huius mundi non semper pro libitu possunt visibiliter occurrere oculo nostro propter multas visibilium circumvolutiones et quasi innumerabiles minutias et circumstantias, sic suo modo contingere possit et eis.

Ad maiorem autem evidentiam huius positionis fiant argumenta aliqua contra ipsam.

1. Quorum primum sumitur ex causa effectiva oblivionis vel deletionis speciei. Oportet enim quod habeat (g) pro-

(a) Al. m. ex *terminatum*. (b) Add. interl. al. m. (c) In ras. (d) [illegible] m. corr. (e) Sequitur ras. (f) Al. m. (g) Ex *habeant*.

prium efficiens, oportet etiam quod eius efficiens sit contrarium speciei quae per eam corrumpitur; ergo non posset fieri oblivio vel deletio unius speciei nisi per speciem et notitiam (a) sibi contrariam, et tamen constat quod scientia et memoria unius contrariorum iuvat scientiam et memoriam alterius et quodam modo illam includit.

2. Secundum sumitur ex causa conservativa specierum memorialium ipsius angeli. Quamdiu enim illa eis adest, tamdiu conservantur; sed (b) causa conservans non est nisi retentiva virtus memoriae eorum, illa autem semper durat et semper eis adest; ergo et cetera.

3. Tertium sumitur ex termino et actu positivo in quo fundatur privativus terminus et actus oblivionis seu deletionis specierum. Omnis enim corruptio alicuius fundatur super aliquo positivo, id est, super generatione sui contrarii; ergo nullus posset aliquid oblivisci, nisi aggeneretur (c) in ipso notitia sui contrarii; quod est absurdum.

4. Quartum sumitur ex incorruptibilitate subiecti specierum. Nam in subiecto incorruptibili et immaterali non possunt fieri naturales corruptiones formarum fixarum, quales utique sunt species memoriales; nam aliter non possunt in eo (d) diu et firmiter durare in absentia obiectorum suorum.

5. Quintum sumitur ex capacitate subiecti earum. Licet enim subiectum earum respectu extensivae quantitatis sit simplex, nihilominus eius capacitas habet diversos sinus seu gradus in quorum uno recipitur una species et in alio alia; et sic una non habet aliam (e) expellere, cum non concurrant in eodem secundum idem, sed secundum sinus diversos. Nec videtur impossibile esse quin capacitas finita possit in infinitum plura (f) recipere prioribus non reiectis, quia potentia seu capacitas palmi vel cubiti est finita, et tamen potest in infinitum plures divisiones et existentias (g) divisas recipere prioribus divisionibus non ablatis. Nec potest dici quod huiusmodi divisiones vel existentiae divisae sint negationes vel privationes, cum partes per hoc assumant rationem totius et per se entis.

6. Sextum sumitur ex ratione delendi hanc speciem plus quam illam vel e contrario. Si enim post repletionem memoriae ex speciebus species adveniens habet aliquam repellere, magis repellet sibi vicinam quam aliam (h); sed vicinior

(a) Al. m. ex *notiam*. (b) Ex *ex*. (c) Al. m. ex *agneretur*. (d) V *ea*. (e) Ex *aliquam*. (f) Ex *plurea*. (g) Al. m. mg. *e. e.* (h) Al. m. corr.

sibi est illa quae immediatius ante illam fuit genita aut illa quae est sibi similior aut aliqua sibi contraria, pro quanto scilicet contraria habent fieri circa idem; constat autem quod per adventum novae speciei sive scientiae minus obliviscitur homo res paulo ante visas (a) vel res consimiles vel contrarias quam reliquas; ergo et cetera.

7. Septimum sumitur ex respectu ad habitus voluntatis. Nam hi sunt facilius mobiles quam habitus intellectus, pro quanto magis dependent a libero consensu et imperio voluntatis; sed hi sunt in angelis bonis et malis indelebiles (b); ergo multo magis omnes habitus cognitivi sunt in eis indelebiles.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum dicendum quod non omne corrumpens est simpliciter contrarium formae corruptae, sed sufficit quod quoad aliquid sibi repugnet; unde voluntas repellens aliquod corpus ab aliquo loco non est simpliciter contraria illi loco vel illi locationi. Rursus, non semper oportet quod causa corrumpens sit positiva aut positive aliquid efficiens, immo sufficit quod sit defectus causae conservantis esse illius quod corrumpitur; nam sola absentia vel defectio lucis solis est causa corruptionis sui radii. Et huiusmodi causa dicitur habere secundum quid rationem causae efficientis. Igitur in proposito potest dari duplex causa corruptionis speciei memorialis, una scilicet defectiva et (c) alia positiva. Defectiva quidem, quia sicut aqua calefacta desinit esse calida per solam diuturnam subtractionem ignis generantis et conservantis eius calorem: sic species memorialis deficit per solam diuturnam cessationem actualis recordationis vel visionis per quam species memorialis augetur et firmius radicatur in suo subiecto. Sicut enim impulsus seu inclinatio data lapidi proiecto non potest diu perseverare in absentia sui motoris, nisi iterum ac saepe et saepius impellatur: sic quaedam formae de potentia materiali (d) suorum subiectorum eductae non possunt diu conservari in ipso nisi per renovationem alicuius actionis, sicut patet de calore aquae calefactae. Quaedam vero sunt ita a creante radicatae et firmatae quod ad sui conversationem non egent alia actione. Si autem obicias quod qua (e) ratione potest per unam ho-

---

(a) Ex *vias*. (b) V *indebiles*. (c) Al. m. mg. (d) In ras. (e) Sequitur ras.

ram species memoriae conservari absque tali actione, eadem potest esse secunda hora et tertia et sic semper: dicendum quod in eductione huiusmodi specierum datur eis certa mensura essentiae et virtutis ad tanto tempore (a) perdurandum; et ex tunc habent deficere, nisi in suo subiecto renovetur aliqua motio seu actio consimilis illi per quam primo fuerunt eductae. Potest etiam dici quod statim cessante actione incipit paulative minui virtus et essentia talium specierum, quamvis eius diminutio sit a principio insensibilis (b). — Positiva vero causa corruptionis earum potest dari duplex. Prima est (c) motio subiecti earum repugnans earum conservationi et eductioni. Sicut enim cera figurae rotundae perdit suam rotunditatem per hoc quod movetur ad alias figuras: sic sinus memoriae perdit aliquas species per hoc quod movetur ad alias priorum conservationem non adiuvantes, sed potius impedientes. Secunda causa forsitan est naturalis reducibilitas seu refluxibilitas memoriae ad suum priorem statum. Sicut enim aqua calefacta vel in sursum levata habet ex se sola redire ad esse non calidum seu ad privationem suae calefactionis et ad suum locum priorem, dummodo cesset ab agente extrinseco calefieri et sursum agi: sic forte memoria habet naturaliter redire ad priorem informitatem specierum acquisitarum, dummodo desit earum efficiens vel conservans. Rursus, sciendum quod non solum deletio specierum inducit oblivionem, sed etiam earum confusio et involutio et occultatio per quam aciei seu aspectui cogitantis aut nullatenus occurrunt aut non distincte et inconfuse. Sicut enim exterior plica panni plicati occultat aliam (d) magis interiorem, aut sicut illud quod est infra sinum nostrum est nimis elongatum a recto vel faciali aspectu nostri visus: sic unus sinus nostrae memoriae cum suis speciebus sic suo modo spirituali stat ante alterum sinum quod velat illum nobis. Quidam etiam sinus eius sunt ita in eius abyssali voragine profundati et a recto aspectu (e) nostrae aciei elongati et quasi distorti quod raro et difficillime ei occurrunt.

Ad secundum dicendum quod per vim retentivam specierum potest intelligi sola passiva capacitas et susceptibilitas (f) memoriae; et tunc non dicit causam effectivam conservationis specierum, sed solum receptivam et subiectivam. Dicit etiam ultra hoc dispositionem formalem per quam in

---

(a) In ras. (b) In ras. (c) Corr. (d) In ras. (e) Al. m. ex *respectu*. (f) In ras.

memoria facilius recipiuntur et firmius radicantur. Iuxta quod cera per suam mollitiem facilius suscipit figuras; per suam vero siccitatem et soliditatem firmius radicantur in ea, pro eo quod illa soliditas prohibet eius refluxibilitatem ad informitatem oppositam figurae susceptae; quando autem (a) haec soliditas non est tanta quod semper supervincat praefatam refluxibilitatem aut quando per distractivas motiones dissolvitur, tunc non sufficit ad conservationem formae vel figurae susceptae. Si autem per vim retentivam intelligatur vis generativa vel augmentativa (b) specierum aut radicationis earum, tunc patet quod haec non semper adest eis; nam actio cognitiva suorum obiectorum est immediata causa praedictorum.

Ad tertium dicendum quod maior est falsa. Non enim omnis corruptio fundatur super positiva generatione sui contrarii, sicut patet de corruptione radii; si etiam Deus annihilaret aliquam creaturam, illa annihilatio super nullo positivo fundaretur. Potest etiam dici quod sicut caecitas praeter privationem visus dicit quandam dispositionem oculi repugnantem et incompossibilem visui: sic informis status memoriae carentis hac vel illa specie non dicit solam privationem ipsius speciei, immo (c) etiam ultra hoc aliquem modum existendi oppositum et incompossibilem ipsi speciei. Iste autem modus existendi non est speciei obiecti contrarii, quia nec memoriales (d) species contrariorum obiectorum sunt inter se contrariae, immo actus unius confert (e) ad actum alterius.

Ad quartum dicendum quod quidam per naturale vel physicum non intelligunt nisi sola illa quae sunt naturalia corporibus sensibilibus; reliqua enim vocant metaphysicalia seu supernaturalia. Sumendo autem sic stricte hoc nomen, tunc nihil quod sit vel fiat vel deleatur in angelis debet dici naturale. Si vero sumatur respectu omnis entis habentis in se veram naturam et naturalem essentiam, sic nihil inconveniens, si in angelis sunt naturales generationes et corruptiones aliquorum accidentium, ut naturale vocetur omne quod non est voluntarium vel a libera voluntate procedens (f). Quod autem dicitur quod in subiecto incorruptibili non potest fieri naturalis corruptio alicuius formae fixae falsum est et nulla solida ratione fulcitum. Unde enim sequitur quod si essentia

---

(a) In ras. (b) Ex *acmentativa*. (c) In ras. (d) V add. *obiectivae*, quod plane superfluum est. (e) *Unius confert* ex *c. u.* (f) Supra *procedens* ras.

materiae formis subiectae est incorruptibilis, quod ideo eius formae sint incorruptibiles? aut unde sequitur quod si substantialis forma subiecti est incorruptibilis, quod omnia eius accidentia in ipso fixa et radicata sint (a) incorruptibilia? Numquid enim, si caelum a Deo vel angelo non moveretur, haberet (b) fixum ubi seu firmum situm in suo loco? et tamen illud ubi posset semper corrumpi per localem motum, quamvis substantia caeli sit in se incorruptibilis. Qua etiam ratione originalis et habitualis iustitia daemonum ante lapsum potuit in eis corrumpi, eorum substantia manente incorruptibili et incorrupta: consimili ratione aliqui habitus intellectus et memoriae possunt in eis corrumpi, eorum substantia incorruptibili permanente.

Ad quintum dicendum quod quando ille sinus memoriae in quo stat aliqua species movetur et distrahitur ad aliam speciem aut motione repugnante conservationi primae speciei: tunc oportet illam primam speciem deleri aut diminui vel confundi. Sicut autem una pars continui, puta (c) ligni vel ferri, non solum movetur per impulsum sibi primo impressum, immo etiam per impulsum ceterarum partium quibus est colligata: sic est et in partialibus sinibus memoriae, quia non sunt minus ad invicem continuati quam sint partes corporis continui. Quamvis ergo una species non repellat aliam alterius sinus, motio tamen et species unius sinus repellit aliam eiusdem sinus ac per consequens et illae ad quas huiusmodi motiones sequuntur. — Ad illud quo probatur capacitatem finitam posse in infinitum recipere plura prioribus non reiectis dicendum quod aliud est de una potentia unius rei fieri simul plures res et hoc per eius plurificativam divisionem et aliud quod in ea ut manente una et unius rei recipiantur plures formae. Et ideo non sequitur quod si secundum primum modum possunt ex ea fieri in infinitum plures res in eodem tempore coexistentes, quod ideo secundum modum secundum possint in ea fieri in infinitum plures formae in ipsa tanquam in eodem subiecto in simul existentes. Primum enim non includit actualem infinitatem capacitatis in praedicta potentia; secundum autem includit ipsam. Nec mirum, quia primum fit descendendo de minori in minus in infinitum, secundum autem fit ascendendo seu crescendo de minori informatione et repletione ad maiorem et pleniorem in infinitum. Et istud ideo supponit in potentia receptiva

(a) In ras. (b) Al. m. corr. (c) Al. m. mg.

capacitatem infinitae magnitudinis [a] formalis, primum vero supponit tantum capacitatem ad minuitionem in infinitum currentem et descendentem. Quamvis autem existentiae divisae habeant rationem totius et per se entis, non habent hoc per realem additionem novae essentiae ad priorem essentiam partium unitarum, sed solum per ablationem unitatis seu continuitatis earum.

Ad sextum patet in parte ex dictis ad quintum et ad primum et ad secundum. Nam per aggenerationem novarum specierum et per applicationem animi [b] ad nova obiecta plus habent deleri aliae species et applicationes eiusdem sinus novis incompossibiles quam aliae [c]. Iterum illae species a quarum recogitatione seu actuali recordatione plus et diuturnius est cessatum habent plus auferre illas species quam alias a quibus minus est cessatum.

Ad septimum est triplex responsio. Prima est per interemptionem minoris. Quamdiu enim angeli non fuerunt irrevocabiliter beatificati vel damnati, habuerunt multos habitus voluntatis corruptibiles, unde et multi eorum non sunt modo in daemonibus, quidam etiam ex eis sunt in angelis beatis per gloriam evacuati, puta habitus spei et consimiles. Quamvis etiam radicales habitus vitiorum sint in daemonibus immobiles, nihil tamen inconveniens, si multas alias habituales affectiones ad hos vel ad illos habent mobiles. — Secunda est per interemptionem maioris. Non enim simpliciter oportet habitus voluntatis esse magis mobiles seu magis corruptibiles quocunque habitu intellectus, immo quanto voluntas est nobilior intellectu, tanto possunt in ea aliqui habitus potentius et nobilius radicari, sicut patet de habituali amore sui et suae beatudinis; pro quanto tamen posse peccare includitur in primo posse merendi, oportuit ab initio dari habitus virtutum mobiles, non tamen mobiles [d] in malos habitus nisi per proprium consensum. — Tertia responsio est ex speciali causa immobilitatis habituum volitivorum in damnatis et beatis quam non est dare in omnibus habitibus memoriae eorum. Nam eo ipso quo damnati sunt caritate et ceteris virtutibus irrecuperabiliter spoliati habent necessario se et alia quae amant amare non ad Deum nec propter Deum, sed solum propter se ipsos; et ex hoc oportet eos inseparabiliter habere illa vitia quae tali amori inseparabi-

---

[a] Ex *magnitudinem*. [b] Al. m. corr. [c] In ras. [d] Al. m. corr. *n. t. m.*

liter sunt annexa. Rursus, per immobilem impressionem status damnationis factam in eis a Deo habent necessario esse in immobili (a) et perpetua desperatione et in ceteris affectibus quae tali desperationi inseparabiliter connectuntur.

Ex praedictis autem causis non oportet eos nihil posse penitus oblivisci.

Amissio etiam vel carentia alicuius notitiae aliquorum praeteritorum vel futurorum non ita repugnat gloriae beatorum sicut amissio caritatis et ceterarum virtutum.

QUAESTIO XLV.

Sexto quaeritur an eorum habitualis malitia usque ad diem iudicii augeatur.

Et videtur quod sic.

1. Quia qua ratione ex priori actu malorum eorum aggenerata est in eis aliqua habitualis malitia, eadem ratione et ex secundo aequaliter malo aggeneratum est tantumdem, et sic deinceps.

2. Item, quanto specialius et magis explicite invehuntur contra aliquas rationes boni divini, tanto eorum malitia magis explicite contra illas (b) habituatur; sed per successus temporum, Deo diversa lumina et beneficia suae gratiae electis misericorditer dispensante et e contrario contra peccatores iusta iudicia irrogante, semper magis ac magis diversae rationes divinae iustitiae et misericordiae ac potentiae et sapientiae sunt ostensae; contra quas tanto plus exarsit malitia daemonum, quanto expressius illae eis per effectus suos apparuerunt; unde et in personam Unigeniti Dei humanatam et in suae redemptionis opera longe specialius et acrius (c) insaevierunt, ex quo ea de facto fieri perceperunt, quam antea insaeviissent.

3. Item, contra novos status populi Dei et contra novas et inusitatas gratias sanctorum nova excogitant tentamenta; quae excogitationes in eorum affectu et memoria habituali-

---

(a) Al. m. corr. *i. i.* ex *immobili.* (b) V *illa.* (c) Sequitur ras.

ter retinentur, nam et optime recordantur de illis et complacent sibi in illis; ergo saltem pro tanto crescit eorum habitualis malitia.

4. Item, quanto plures actus malos usque ad diem extremi iudicii faciunt, tanto maius supplicium promerentur et hoc ipsum bene sciunt; ergo tanto maiorem poenam indubitabiliter exspectant quam prius exspectarent; quae quidem exspectatio, quanto est maior et maioris poenae, tanto maiorem desperationem et cordis aggravationem habet secum annexam.

Contra: 1. Mox cum se irrevocabiliter damnatos esse sciverunt, totis viribus contra Deum et omnia eius opera facta et fienda insaevierunt, ita quod etiam vellent Deum non esse; sed ultra applicationem totius sui posse in malum et contra bonum non potest maior malitia [a] in eodem subiecto dari; ergo et cetera.

2. Item, si augetur, aut hoc fit necessario, ita quod datis talibus obiectis et opportunitatibus seu occasionibus non est in eorum potestate se ab augmento huiusmodi cohibere; aut hoc fit non necessario, ita quod possent se a tali augmento cohibere. Si primo modo: ergo totum illud augmentum erat radicaliter in sua causa ex qua necessitatem suae factionis habebat, et sic tota formalis malitia sua erat prius in causa illa; ex quo sequitur quod habitus malitiae non sit maior effectus. Si autem secundo modo: tunc aut se cohiberent, pro eo quod excrescentia mali displicet eis, ex eo quod est nimis mala et nimis virtuti et iustitiae contraria, aut ex eo quod est maioris poenae promeritiva. Primo autem modo est impossibile [b], nisi aliquis amor virtutis et iustitiae et aliquod [c] virtuale odium iniustitiae in eis remansisset, et hoc sic quod possent eo uti ad aliquam sui applicationem ad bonum; quod est contra statum damnationis desperatae, quia hoc spectat ad statum meriti ac poenitentiae et spei. Si ergo ex timore incrementi poenae se cohiberent: ergo eadem ratione se cohiberent [d] ab omnibus actibus malis, quia optime sciunt per eos reatum sui futuri supplicii exaugeri.

3. Item, qua ratione per continuationem malorum actuum augeretur nunc in eis habitus malitiae: eadem [e] ratione et post diem iudicii in aeternum, et sic haberent infinitam ca-

---

[a] V om.; *maior* ex *magis*. [b] In ras. [c] Al. m. [d] Al. m. mg. *ergo... cohiberent*. [e] Sequitur ras.

pacitatem ad augmentum malitiae infinitum; sequeretur etiam quod sicut semper cresceret malitiae habitus, sic semper in infinitum cresceret et poena.

[Respondeo]

Dicendum quod quantum ex argumentis hinc et inde factis colligitur, sicut arbor aliquando excrescit in ramis, stipite et radice secundum se non augmentatis: sic eorum habitualis malitia quantum ad suam radicem non excrescit, prout duae primae rationes secundae partis hoc probant; sed solum quantum ad (a) maiorem explicationem ramorum suorum, prout tres ultimae rationes primae partis hoc probant. Iuxta quod et de Christi matre creditur quod ex quo facta est mater, eius radicalis bonitas habitualiter in hac vita non creverit, quamvis ramificationes habituales explicatiores acceperit usque ad mortem. — Secundum hoc etiam poena radicali eorum malitiae debita habebit quandam radicalem principalitatem et totalitatem respectu poenae eorum malitiosae ramificationi (b) debitae; facile enim est Deo poenam culpae comproportionare et praemium merito.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum vero primae partis et ad ultimum secundae, quia nimis arguunt, respondendum. Non enim sequitur quod secundus actus, quamvis primo aequalis, tantundem habitus generet quantum primus, nisi subiectum esset ita susceptibile ulterioris et tanti habitus quanti erat tempore primi actus. Haec est enim una de causis quare per actus gloriae non ita aggeneratur novus habitus seu habilitas sicut fit per actus gratiae in hac vita; subiectum enim, postquam est habitualibus formis repletum et per eas positum in termino suae tendentiae et sui motus, non est ad ulteriorem formam ductibile, saltem ab agente creato non habente vires movendi ultra terminum illum. — Et eadem ratione non sequitur quod si habitus malitiae daemonum potest usque ad aliquod tempus per eorum actus augeri, quod ideo possit hoc in aeternum, aut postquam erunt a Deo tôtaliter et secundum omnem modum infixi in ultimo termino suae poenae in qua tota eorum culpa totaliter vertetur in poenam, non quod non sit culpa, sed quia sic arctabitur et agitabitur a poenis quod tota cedet daemoni ipsi in intolerabilem poenam.

(a) Al. m. mg. (b) Ex *ramificatione*.

QUAESTIO XLVI.

Septimo quaeritur an citra diem iudicii habeant aliquas complacentias et gaudia in [a] iis quae pro voto volunt et agunt; et an aliquando habeant intensiores actus irae et tristitiae seu alacritatis et complacentiae et astutiae, aliquando minores; quaero etiam an timor poenae retrahat eos ab aliquo malo quod alias facere volunt et possunt.

Videtur enim quod sic.

Quia quantum est ex horrore poenae, poenitet eos peccasse iuxta illud Sapientiae 5 [1]: *Dicentes intra se, poenitentiam agentes* [b] *et prae angustia spiritus gementes* et cetera; quod non esset, nisi plus horrerent poenam quam voluptatem vel commodum sui peccati; ergo horror poenae quam sciunt se ultra hoc acquisituros pro pluribus quae nunc agunt, et non acquisituros, si illa non agunt, habet eos retrahere ab illis malis peragendis.

[Respondeo]

Ad primum dicendum quod secundum dicta sanctorum ipsi complacuerunt et complacent sibi in honoribus idolatriae eis quasi deo exhibitis et in omnibus nocumentis quae per suas tentationes humano generi inferunt et in Dei iniuriis ex hoc subsecutis et universaliter in omnibus tentamentis quae ad votum explent.

Quod ex triplici ratione probatur. Primo scilicet, quia si nihil complacentiae in huiusmodi haberent, non tantopere studerent et conarentur ad illa callide prosequenda

---

[a] Corr. interl. [b] In ras.

[1] Sap. 5, 3.

et iuxta intentum explenda. — Secunda est, quia omnis voluntas et appetitus necessario complacet et delectatur, quando ad votum obtinet illud quod fortissime concupivit et concupiscit et ad quod obtinendum fortissime insudavit. — Tertia est, quia quamdiu voluntas non est sic ab acerbis doloribus et poenis absorpta quin possit cum multo conatu et studio pluribus sibi desideratis libere vacare, non omnino impeditur a complacendo sibi in illorum praesentia et obtentu; sed voluntas daemonum nos multiformiter tentantium non est sic absorpta a poenis quin in huiusmodi tentamentis sibi valde acceptis et desideratis et suae facultati usque ad certam mensuram a Deo concessis libere et multipliciter vacet.

Sciendum tamen quod huiusmodi complacentia non est mera, sed amaris et corrosivis faecibus turbulentae irae et invidiae et insatiabilis et furiosae concupiscentiae semper plus in infinitum famelicae quam satiatae, faecibus etiam indubitabilis expectationis omnimodae suae poenae semper est commixta. Et primae quidem tres faeces, scilicet irae, invidiae et insatiabilis semperque famelicae concupiscentiae malorum deteriorum, sunt simul culpa et poena; quarta vero est potius poena, quamvis pro quanto est ibi desperatio de Deo et desperativa elongatio ab ipso et ab omni eius bono, sit etiam culpa.

Ad secundum dicendum quod secundum [a] quod obiecta et cetera cooperantia sunt efficaciora ad hunc vel illum actum a daemonibus vel damnatis fortius et passionalius [b] eliciendum, secundum hoc habent fortiores et intensiores actus. Unde quando ad horam in infernum detruduntur [c] aut a tentando cohibentur aut a sanctis viriliter et triumphaliter expugnantur aut a Deo et eius sanctis angelis multiformiter deluduntur: utique amplius contristantur et irascuntur; quando vero iuxta votum de nobis triumphant, complacent sibi, et quanto amplius, tanto magis. Unde nunc per superbam complacentiam et praesumptuosam audaciam seu confidentiam ascendunt usque ad caelos, ac deinde per contabescentiam et desperatam diffidentiam praevalendi descendunt usque ad abyssos, propter quod continue sicut ebrii perturbantur.

---

[a] Al. m. mg. *q. s.* [b] Ex *passionalibus.* [c] Ex *detrudeuntur; i. i.* ex *infernum.*

Ad tertium dicendum quod timore poenae super eos mox et sensibiliter imminentis retrahuntur a multis quae alias facere vellent; poena enim sic imminens a pusillanimi formidantis affectu et sensu assumitur quasi praesens. Et ideo daemones saepe referuntur fugisse angelorum vel sanctorum ad aliquam terram adventum, tanquam sanctorum praesentiam eis terribilem formidantes nec tolerare valentes. Timore vero poenae ab eorum sensuali aspectu absentis, qualis est novissimi iudicii poena, non retrahuntur a malo, nisi solum pro quanto (a) ex eius expectatione indelectabilius et tristius perficiunt mala sua.

Causa autem quare propter hoc non retrahuntur est triplex seu ex triplici circumstantia conflata. Quarum prima est indubitabilis et immobilis expectatio illius radicalis et principalis et quasi totalis poenae quae eorum radicali et quasi totali malitiae debetur. Licet enim subsequentes ramificationes poenarum sint secundum se valde magnae, respectu tamen illius principalis sunt quasi nihil; et ideo ex quo de illa principali et quasi totali sunt desperati, quasi pro nihilo ducunt quicquid est superaddendum. — Secunda causa vel causae circumstantia est necessitas volendi omne illud ad quod eorum radicalis malitia ipsos necessario impellit. Radicalem autem malitiam, sicut iam supra dixi, voco totis viribus velle quicquid est contumeliosius Deo et suis. Ex hoc autem habent (b) postmodum necessario velle quicquid pro tempore in hoc vel illo particulari occurrit eis contumeliosius et damnosius Deo et suis. — Tertia est praeponderantia seu maioritas huius voluntatis super timorem poenae nondum super eos quasi sensibiliter irruentis; quando enim altera contrariarum causarum efficacius impellit ad agendum aliquod opus quam altera retrahat, tunc opus illud potius sequitur quam impediatur. Timor autem poenae eis nondum sensibiliter imminentis non tantum retrahit eos a faciendo mala sicut eos ad hoc eorum maligna voluntas impellit, et maxime quia sciunt quod poena plus debetur voluntati operandi quam operi exteriori. Voluntatem autem talium operum, quantum est ex sua malitia, necessario habent et se habere sciunt; et ideo propter carentiam exterioris operis sciunt se non minus aut paulo minus puniendos.

(a) Al. m. mg. *p. q.* (b) Al. m. mg., del. *sunt.*

[Solutio Obiectorum]

Ad obiectum vero dicendum quod displicentia vel dolor suae damnationis non facit eos simpliciter et in [a] omnem eventum nolle se peccasse, sed solum conditionaliter et comparative, id est, quod plus nolunt et odiunt suam damnationem quam velint et ament suam voluntatem malignam. Et ideo plus vellent non esse damnati quam in sua impia voluntate manere. Quod vero subditur quod eadem ratione horror poenae quam adhuc possunt acquirere per aliqua specialia mala sua debet esse efficacior [b] ad hoc quod citius nolint agere illa mala quam velint vel tolerent [c] illam poenam subire: sciendum quod non est simile propter supradictam triplicem circumstantiam sive causam.

Si vero quaeras quare saltem poena sensibiliter imminens eorum voluntatem retrahit ab agendo aliqua mala exteriora, cum e contra Apocalypsis 12 [1] dicatur: *Vae terrae et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*, et tamen quanto minus tempus se scit habere, tanto futuram poenam scit sibi vicinius imminere: dicendum quod sensibiliter et in aliquo particulari imminentia plus movent particularem et sensualem experientiam quam sola memorialiter cogitata et aestimata. Unde cum baculus vibratur ab aliquo super caput latronis absque percussionis contactu, plus facit latronem fugere quam faciat aestimatio suspendii sibi satis probabiliter imminens. Unde daemonis voluntas non retrahitur a peragendo simpliciter volitum suae facultati subiectum nisi per hoc quod eius particularis et sensualis seu [d] experimentalis aspectus et affectus praesentialiter afficitur ab aliquo terribili super eum actualiter vibrato sive inflicto. Praeterea, poena quae sic sibi imminet quod omnino desperat se eam evasurum potius generat in eo desperatum ad omnia mala praecipitium [e] quam timorem retractivum; poena vero quae sic sibi imminet quod subterfugiendo opus aliquod credat se evasurum illam potest sibi generare timorem retractivum ab opere illo.

---

[a] Add. interl. al. m.. [b] Ex *efficacor.* [c] Ex *tollerent.* [d] Al. m. ex *se.* [e] Al. m. corr.

---

[1] Apoc. 12, 12.

QUAESTIO XLVII.

Octavo quaeritur an decor et integritas universitatis angelicae hierarchiae sic fuerit per casum daemonum imminutus quod omnino eguerit [a] restaurari.

Et quod non videtur.

1. Quia quaelibet species numerorum habet suas speciales proportiones et praerogativas; et ideo numerus angelorum post casum daemonum ita potuit habere congruas condecentias [b] sicut et primus; et saltem Deus sic potuit permissive casum daemonum moderari quod angelica curia in congruo numero remaneret et in aeque [c] congruo sicut erat primus.

2. Item, si de magno acervo tritici aut lapidum vel arenae vel de populo unius regni subtrahantur aliqui pauci, non ex hoc multum deperditur decor vel ordo prioris populi vel acervi; unde nec iudicamus quod multum egeat restaurari; ergo a simili idem in proposito esse videtur.

3. Item, esse unius angeli non dependet ab altero sicut esse partis dependet ab aliis partibus eiusdem suppositi vel totalis naturae; ergo angelorum status et gloria quoad remanentes in nullo est laesus ex casu daemonum; ac per consequens nec eguerunt aliquo restaurante ruinam illorum.

[Respondeo]

Dicendum quod a doctoribus catholicis communiter tenetur quod eguit restaurari. Quod quidem ex Scriptura [d] sacra colligitur et nihilominus probabili ratione.

Ex Scriptura quidem: Quia Ephesiorum 1 capitulo [1] dicitur quod *Deus proposuit instaurare in Christo*

---

[a] Al. m. ex *evenerit*. [b] V *condescentias*. [c] Sequitur ras. [d] V *criptura*.

---

[1] Eph. 1, 9. 10.

omnia quae in caelis et quae in terris. Ex quo sequitur quod aliquid erat [a] instaurandum in caelis, quamvis Hieronymus in commentario super eandem epistolam dicat [1] quod verbum Graecum pro quo nos habemus « instaurare » proprie significat recapitulare. Unde secundum eum sensus est quod sicut bonus magister omnia diffuse dicta breviter in finali epilogo recapitulat, quod sic Deus omnium gratiarum et naturarum virtutem et summariam rationem in Christo collegit et quasi recapitulavit. — Trahitur etiam secundo ex Apocalypsis 3 capitulo [2] ubi angelo Philadelphiae dicitur: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Ex hoc enim verbo aperte innuitur quod numerus salvandorum [b] sic est a Deo praefixus quod si unus inde depereat [c], oportet alterum loco illius assumi. — Trahitur etiam tertio ex parabolis Christi de centum ovibus et decem drachmis [3]. Videtur enim quod non sine causa [d] Christus tales numeros proposuerit in quibus sic sunt duo primi limites numerorum quod quacunque unitate subtracta numerus qui remanet non habet limitem ita perfectum.

Deinde persuadetur hoc probabili ratione: Sicut enim ex dictis et expositis super librum *Angelicae hierarchiae* est diffuse monstratum, tota hierarchia mutuo se coadiuvat; unde et quilibet est perfectior ad agendum opera sibi debita et idonea ex aliorum nexu et societate quam esset sine illa. Constat autem quod unusquisque existens in hierarchia habet certam mensuram meriti et praemii et habituum tam naturalium quam gratuitorum sibi a Deo sub certa proportione praefixam. Si ergo ad illam mensuram implendam ministerialiter seu occasionaliter cooperatur tota societas aliorum: ergo si societas illa deficiat vel excedat a proportione praedictae mensurae, erit indecora et inordinata. Constat autem quod per casum daemonum fuit prima societas minorata; ergo tunc defecit a debita proportione virium et habituum uniuscuiusque remanentium in illa. — Rursus, secundum Dionysium [4], omnis hierarchia est ordinata a superiori per medios in infimos; et sicut in libro *Ecclesiasticae hierarchiae* [5] docet, tota virtus

---

[a] Al. m. mg. [b] Ex *salvandarum.* [c] Ex *pereat.* [d] Sequitur ras.

---

[1] *Comment. in ep. ad Eph.*, I, 1, vers. 10 (PL 26, 453 sq.). [2] Apoc. 3, 11. [3] Luc. 15, 3 sqq. [4] Pseudo-Dionysius, *De cael. hier.*, cap. III, § 1-3 (PG 3, 163 sqq.); cap. VII, § 3 (210); *De eccl. hier.*, cap. I, § 2-3 (371 sqq.). [5] Cap. I, § 3 (PG 3, 374).

et ratio hierarchiae est in hierarcha qui quodam modo se habet ad alios sicut caput ad membra. Constat autem quod illius virtus habet certam mensuram. Ergo et eius hierarchia exigit necessario certam mensuram mensurae illius proportionaliter correspondentem. — Rursus, ad hoc faciunt rationabiles et congruae similitudines quibus et Scriptura saepius utitur: Ecclesia enim tam militans quam triumphans aliquando assimilatur humano corpori cuius caput Christus et cuius membra sunt sancti [1]; aliquando vero templo vel domui [2], aliquando autem exercitui seu ordinatae aciei [3], aliquando vero choreae seu choro psallentium, et aliquando instrumentis musicis ac melodiis ex diversarum vocum multiformi consonantia constitutis [4], et sic de aliis. In quibus omnibus experimur quod unius solius partis defectus [a], et praecipue si sit de principalibus, non modicum [b] imminuit decorem et vigorem et harmoniam ipsarum et operationum suarum. Et certe, in universo corporali satis probatur et communiter tenetur quod si unum caelorum vel elementorum aut siderum deesset, multum deperiret integritati ipsius. Cuius ratio est: quia teste Sapiente [5]· sic *Deus disposuit omnia in numero, pondere et mensura* et sic ad invicem omnia sub miro nexu ligavit et comproportionavit quod defectus unius in omnia redundaret, nisi a Deo per modum alium suppleretur. — Amplius, ad hoc faciunt multae revelationes viris sanctis divinitus factae in quibus est aperte monstratum quod sancti migrantes ad caelos assumuntur ad loca angelorum qui inde sunt lapsi; sicut et de patre nostro Francisco sollemnis visio fertur [c] quod pro suae humilitatis excessu obtinere debebat sedem primi ac supremi capitis angelorum qui pro sua superbia ad infima ruit.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum igitur dicendum quod licet in quolibet numero possint dari aliquae pulchrae proportiones, in quibusdam tamen sunt longe pulchriores et perfectiores et ordini partium universi condecentiores; unde et senarius dierum

---

[a] Al. m. ex *fectus*. [b] Al. m. ex *moicum*. [c] Al. m.

---

[1] Cfr. 1 Cor. 12, 12 sqq.; Eph. 1, 22 sq. [2] Cfr. Matth. 16, 18; Eph. 2, 19 sqq.; 1 Timoth. 3, 15. [3] Cfr. Cant. 6, 3. 9. [4] Cfr. Psalm. 149, 1. [5] Sap. 11, 21.

primae conditioni universi fuit a Deo signanter electus propter quaedam insignia suae perfectionis, sicut Augustinus, libro *De civitate Dei* et libro *Super Genesim ad litteram* [1], bene ostendit. Praeterea, in numero rerum speciales naturas ac potentias et virtutes habentium potius attenditur proportio suarum virtutum quam sola proportio numerorum.

Ad secundum dicendum quod licet respectu [a] nostri sensualis iudicii ita sit, non propter hoc oportet quod ita sit secundum rem et veritatem. Praeterea, in ordine mutabilium et successivorum aliud exigitur quam in ordine stabilium et radicalium ac sempiternorum, quia variatio et successio seu successiva defectio et suppletio ad primum ordinem spectant; ubi tamen, si quod supplendum est, pro loco et tempore non suppleretur, eo ipso deformitas et deordinatio subsequeretur. Et hoc modo, pro quanto primus status angelorum et hominum fuit per culpam variabilis et variatus, fuit et tempore suo supplendus, et praecipue quantum ad illa quae ordo radicalium exigebat.

Ad tertium dicendum quod licet angeli non dependeant ab invicem quoad suum esse substantiale, dependent tamen quoad completionem sui bene esse, non tamen sicut a causa principali, quia sic dependent a solo Deo. De hoc autem in prima quaestione super librum *Angelicae hierarchiae* satis est tactum.

QUAESTIO XLVIII.

Nono quaeritur an ruinam angelicam decuerit ex hominibus reparari.

Et videtur quod non.

1. Primo, propter diversitatem specierum suarum [b]: diversae enim species diversas habent potentias et actus et proprietates et diversos exigunt status et ordines et connexiones.

---

[a] Al. m. mg. [b] Al. m. mg.

---

[1] *De civ. Dei*, XI, 30 (PL 41, 343 sq.); *De Gen. ad lit.*, IV, 2, 7 (PL 41, 296 saq.).

2. Secundo, propter disparitatem naturarum suarum: quia natura rationalis in hominibus longe inferior esse videtur quam in angelis et ideo non videtur assumptibilis ad ordines illorum.

3. Tertio, quia restaurans deperditum debet in fine esse simile et aequale ipsi deperdito: sed hoc non potuit in angelis fieri nisi per alios angelos [a]: ergo melius fuit novos angelos creari et per illos primum deperditum restaurari.

4. Quarto, quia angeli remanentes ex sua permansione potius meruerunt honorari quam in gloria minorari; sed si per inferiorem naturam hominum restaurantur, tunc in hoc videntur a sua priori dignitate minorati, et maxime quia tunc locum capitis eorum, scilicet Luciferi, non teneret angelus, sed aliquis homo, et ita homo praecesset remanentibus: cuius contrarium erat ante casum daemonum.

5. Quinto, quia homines qui essent ad sedes angelorum assumpti, quantum gauderent de huiusmodi assumptione, tantum, ut videtur, gauderent [b] de eo sine quo talem assumptionem non potuissent habere: et ita gauderent de casu daemonum a sedibus illis.

6. Sexto, quia si natura humana erat de se specialis ad integritatem universi, tunc specialis ordo et numerus hominum secundum proportionem integritatis primi universi erat sibi a creatore praefixus: ergo propter casum daemonum non erat numerus beatificandorum hominum augmentandus: sed huius oppositum dari oportet, si praeter primum numerum hominum est dare homines supplentes ruinam angelorum.

7. Septimo, quia secundum hoc homines supplentes loca eorum non fuerant de primo ordine nec de prima intentione et integritate universi: nisi dicas quod illi iidem, qui angelis [c] non cadentibus essent in alio [d] gradu gloriae, ob ipsorum casum sunt a suis primis gradibus ad gradus angelicos ordinati, et tandem in primo loco ipsorum alii homines subordinati, qui alias non fuissent creati: quod incongruam variabilitatem videtur ponere circa praedestinationem electorum et circa ordinem universi.

---

[a] V *repetit.* [b] Ex *gaudarent.* [c] Al. m. corr. s. q. c. [d] Al. m. corr.

[Respondeo]

Dicendum quod sancti doctores et etiam tota Ecclesia communiter tenet quod ex hominibus ruina angelica reparatur; ex quo oportet tenere quod hoc ipsum deceat et decuerit, quia Deus omnia opera sua decentissime facit.

Inter multas autem decentias huius operis relucent haec quatuor. Primo scilicet, maior confusio ruentium daemonum: quod scilicet homo qui sub ipso erat condendus et in sola infima corporali materia tunc materialiter conditus ad sedem eius sublimaretur merito humilitatis divinique timoris et virtute gratiae Dei. — Secundo, multiformior magnificatio divinae potentiae: sicut enim primo iam superabunde ostensa erat eius omnipotentia tam magna de nihilo creans, sic decuit quod occasione accepta monstraretur quomodo potest infima sublimare et summa deicere et quomodo potest personas unius status in loca alterius status congrue translocare. — Tertio, relucet hic ordo et potentia insertionis ramorum unius arboris in stipitem alterius speciei et ordo mutuae suppletionis; in quo partes universi sic sibi connecti et mutuo subservire noscuntur quod una sit apta et ordinata (a) vel ordinabilis ad supplendum alterius incrementum et decrementum (b). — Quarto, relucet hic sublimatio remanentium (c) angelorum: quia per hoc quod homines ad loca ruentium assumendi angelorum ministeriali cooperatione potuerunt quoad sua corpora propagari, nutriri et conservari et quoad mentes ad gratiam duci et promoveri, fuerunt ipsi angeli quodam modo reparatores sui deperditi et quasi fabricatores et architecti seu promotores et progenitores sui hierarchae qui sedem Luciferi obtineret, et sic de aliis qui ad loca aliorum levantur.

[Solutio Obiectorum]

Ad primum igitur in contrarium a diversis dupliciter vel tripliciter respondetur.

Quidam enim dicunt quod sicut lumen solare idem specie potest esse in caelo, aere, aqua et terra, quamvis haec sint

(a) Al. m. corr. (b) Al. m. mg. *e. d.* (c) Al. m. ex *remantium.*

diversarum specierum: sic idem lumen gloriae potest esse in mentibus angelicis et humanis, licet sint diversarum specierum. — Sed contra istos arguitur: primo, quia secus est de actibus et influxibus in quibus naturalis et consubstantialis potentia activa recipientis nihil agit, sicut utique est in praefato exemplo illuminationis solaris. Actus vero amoris et amativae fruitionis qui sunt principales in substantia gloriae veraciter efficiuntur a voluntate bonorum ut activa et libera et ut caritate nihilominus informata, actus etiam visionis vere fit ab intellectu glorioso. In talibus autem specifica diversitas potentiarum agentium non patitur specificam identitatem intrinsecorum actuum; in cuius signum est quod potentiae sensitivae nunquam possunt habere actus eiusdem speciei (a) cum intellectivis nec appetitivae cum apprehensivis. — Secundo, quia etiam habitus diversarum potentiarun non solum sunt diversi specie, sed etiam genere; unde voluntas non est susceptibilis alicuius habitus intellectus nec e contrario, quantumcunque illi habitus ponantur (b) fieri per simplices influxus. — Tertio, quia lumen solis dicitur in praedictis suscipi per uniformem potentiam passivam, quia tota materia corporalis omnium corporum est secundum se eadem specie et forte habet in se aliquas formas priores et materialiores; quae, quantum est ex se solis, sunt eiusdem speciei seu eiusdem rationis, licet forte differant secundum magis et minus. Et sic dicunt aliqui de perspicuitate caeli et aeris; non enim curant isti de positione Aristotelis (1) quae dicit quod caelum tanquam incorruptibile non habet aliquod unum genus cum elementis corruptibilibus. — Quarto, arguitur specialiter contra istos, quia ipsi non tenent quod mens angelica et humana differant specie tanquam duae naturae eiusdem generis, sed potius sicut quoddam particulare seu particulabile in diversis differt a quodam universali in se ipso manente. Et ideo oporteret quod habitus et actus et omnia accidentia illius mentis universalis differrent (c) consimiliter ab omnibus accidentibus mentis particularis seu particulatae.

Dicunt igitur secundo alii quod licet anima humana differat specie ab angelo, non tamen mens, scilicet pars intellectiva, unius a mente alterius. Dicunt enim quod eadem

---

(a) Al. m. mg. (b) Al. m. corr. (c) Al. m. ex *different.*

(1) *De caelo,* I, 3, 270a 12 sqq.

natura formalis potest in diversis entibus et materiis cum formis diversarum specierum ad constituendam tertiam naturam componi, sicut utique formae corporales corporis humani et forma partis animae sensitivae et forma intellectivae complent unam totalem formam hominis, unde tota connexio ipsarum in simul sumpta potest dici (a) forma humana. Sicut enim essentia materiae non contrahit in se diversitatem specificam ex formis diversarum specierum sibi supervenientibus: sic dicunt quod potest esse in formis. — Cum autem obicitur istis quod unibilitas quam in homine habet pars intellectiva ad sensitivam et ad corpus est ei consubstantialis, alias non constituerent unum secundum substantiam, constat autem quod huiusmodi unibilitas non competit parti intellectivae angeli: respondent ad hoc dupliciter. Primo scilicet, quod sicut naturae Christi humanae data est inclinatio et unio ad suppositum naturae divinae, ita quod substantialiter existit in illo nec per hoc differt specie a naturis ceterorum hominum, pro eo quod illa inclinatio et unio non est sibi adiuncta ad modum unius formae absolutae vel formalis differentiae quasi ad alteram speciem constituendam, sed solum respicit suum actuale existere, et ideo in solo illo facit differentiam specificam respectu nostri existere: sic dicunt quod Deus componendo naturam formalem mentis humanae cum natura hominis sensuali adiunxit sibi quandam inclinationem et unionem, quam et posset tollere sibi et dare sibi illum modum essendi quem habet mens angelica. Praedicta autem inclinatio et unio est quidem substantialis menti humanae eo modo quo plures partiales naturae unius totalis naturae sunt sibi consubstantiales, non autem aliter. In hoc autem differt modus iste a modo naturae Christi humanae: quia unio naturae Christi non est tanquam partis ad partem ad constituendam unam totalem naturam, sicut utique est ista. Sicut igitur materia per formas diversarum specierum dicitur differre specie non quoad suam essentiam, sed solum quoad suum esse formale: sic dicunt quod mens humana per huiusmodi unibilitatem et unionem differt specie a mente angelica non quoad suam essentiam absolutam, sed quoad diversa esse formalia quae recipiunt per sibi annexam. Et hoc modo calor animalis dicitur differre a calore igneo, quia primus per annexam sibi virtutem animae ultra suam propriam essentiam qua est calor ac-

(a) Sequitur ras.

quirit quoddam esse vitale. — Secundo respondent quod forma activa habet duplicem respectum, unum scilicet ad suum existere seu ad [a] suum informare et alium [b] ad suum obiectum seu ad suum agere. Et secundum primum differunt specie mens angelica et humana, non autem quoad secundum; alias nunquam possent Deum uniformiter videre et amare. Hoc autem secundum sufficit ad salvandum uniformitatem hierarchiae per assumptos homines restitutae. Quibusdam [c] tamen videtur quod nisi haec distinctio reducatur ad praecedentem, quod [d] contradictionem in se ipsa includat; quia si una forma ex sua absoluta essentia sic quoad suum informare [e] et existere differt ab altera quod una secundum quicquid est omnino se habet ad tale existere et informare, reliqua vero omnino ad oppositum disparatum: tunc impossibile est quod habeant eosdem specificos actus, quia tunc ipsa principia activa differunt secundum absolutam et totalem quidditatem suarum essentiarum.

Tertii ad principale respondent quod suppletio per insertionem facta non exigit univocam similitudinem, sed conformem [f] proportionem; ut si quis piro habenti [g] septem ramos cuius tres arefacti truncantur vice illorum inserat tres ramos pomi, sufficit quod ad eius piramidationem et debitum statum proportionaliter suppleant defectum trium priorum ramorum. Et idem est de corona regia habente plures gemmas sibi incastratas; de qua quibusdam cadentibus aliae alterius speciei, aequalis tamen decoris et valoris, iterum inseruntur. — Et hanc tertiam responsionem oportet prioribus addi, saltem quoad illa in quibus homines beati differunt ab angelis; sicut utique est, quia isti fuerunt peccato infecti et per Christum redempti et per gratiam redemptricem salvati et habebunt corpora quae non habent angeli.

Ad secundum dicendum quod quidam non indocte volunt quod mens angelica et humana quoad absolutam quidditatem suarum specierum simpliciter sint aequales, in suis vero individuis iuxta beneplacitum creatoris possunt accipere dispares gradus quantum ad substantialia et quantum ad accidentalia et quantum ad naturalia et gratuita. Unde et animam Christi quoad omnia credimus nobiliorem omni mente angelica. Quod igitur mens angelica a sua creatione

---

[a] Al. m. mg. *s. a.* [b] V *aliud.* [c] Ex *Quibudam.* [d] Sequitur ras. [e] Al. m. corr. [f] Ex *conformormem.* [g] Sequitur ras.

nobiliorem statum accepit quam natura humana factum est hoc quoad accidentia sibi inserta. Unde quod angelus clarius et altius et copiosius potuit omnia intelligere quam homo non fuit ex absoluta essentia intellectuum suorum, sed potius ex variis habitibus et habitualibus claritatibus et dispositionibus sibi annexis; quae pro tanto sunt naturales, tum quia ab initio [a] naturae acceptae, tum quia plures ex eis sunt eis inseparabiliter infixae, tum quia spectant ad debitum statum naturae. Quando autem, teste Christo, Matthaei 22 [1], *sancti erunt aequales angelis Dei in caelo:* tunc sanctus superioris ordinis praeabundabit angelo inferioris non solum quoad actus substantialis gloriae, sed etiam, ut a quibusdam probabiliter aestimatur, quoad omnes actus intellectus et voluntatis. Quod autem illud amplius posse habuerint angeli per accidentalia probant per verbum Apostoli [b] dicentis [2] quod *non sumus sufficientes aliquid boni cogitare ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est;* hoc enim non minus spectat ad angelos, quia natura eorum non minus eget gratia quam nostra. Nobilitas autem naturalis in mentibus sanctis ad imaginem Dei potius est attendenda per respectum ad gradus ascensionis in Deum quam ad quodcunque aliud; quia cetera omnia quasi nihil sunt respectu illius. Probant etiam hoc ex eisdem quibus nostrae intellectuales potentiae probantur egere accidentalibus habitibus et aspectibus. De quibus suis locis scripsi quod mihi est visum.

Ad tertium patet ex dictis. Si tamen quaeras quare per angelos de novo creatos non fuit prima ruina restituta, iam patent ad hoc aliquae rationes tactae in principali responsione. Sunt etiam aliae rationes ex stabili et integra perfectione primae creationis et fundationis universi acceptae. Quas in parte tetigi in tractatu de originali peccato et in lectura *Genesis* super principio eius.

Ad quartum patet ex supradictis: quia angeli permanentes sunt ex hoc plus honorati quam si [c] per alios angelos de novo creandos hoc fieret, quia non ita multiformiter potuissent cooperari illorum formationi ac gubernationi et iustificationi sicut possunt super homines. Praeterea, ita sunt unus

---

[a] V *iitio.* [b] In ras. [c] Add. interl. al m.

---

[1] Matth. 22, 30. [2] 2 Cor. 3, 5.

spiritus cum Deo quod quicquid est ad maiorem gloriam Dei habent et sibi ipsis pro gloria maiori. Cum etiam caritate aequali diligant aequaliter sanctos, quamvis secundum naturam sint speciei diversae, perinde est eis par beatificatio hominum sicut et angelorum.

Ad quintum dicendum quod eadem ratione posset argui quod anima Christi gauderet de peccatis quibus non praeviis non habuisset gloriam redemptoris, aut quod quidam sancti gauderent de peccatis commissis quarum occasione sunt humiliati et tandem salvati. Est igitur regula quod beati non possunt gaudere de aliquo malo, in quantum tali, nec mala quorumcunque habuerunt per se aliquam rationem causalem boni eorum, sed solum per accidens et quodam modo sub ratione contrarii seu termini a quo.

Ad sextum secundum aliquos posset dici quod si nulli angeli ruissent, natura humana non fuisset facta. Et videtur pro eis esse ratio: quia si angelica hierarchia fuit instar perfecti templi vel corporis in plena integritate formata, propter quod, ut in praecedenti quaestione dictum est, eius ruinam oportuit restaurari, quia alias praedictae integritatis detruncatio in quandam turpitudinem et invalitudinem redundaret, si, inquam, sic est edita integra et completa, tunc videtur quod homines non possent angelis in gloria consociari, quia tota eorum additio superflueret. — Verumtamen huius contrarium a doctoribus probabilius iudicatur; natura enim humana de prima integritate universi esse videtur. Quod primo colligitur ex ordine creationis, quia teste Scriptura [1] in primo initio mundi creavit Deus totam molem materiae corporalis, sub quadam tamen tenebra [a] et confusione; ex quo apparet quod creata fuit sub ordine ad aliquam finalem perfectionem, sicut et tandem comprobat ordo operum sex dierum. Constat autem quod finis eius est laus Dei a natura intellectuali contemplanda et extollenda, unde et ipsa intellectualis natura fuit finis molis illius. Moles autem haec corporalis non ita proprie aut directe aut necessarie confert utilitatibus angelorum sicut humanae naturae, cuius quoque una pars est corporea. Si igitur a principio, in creatione scilicet primae molis corporum, intenta est humana natura ut finis illius: ergo ipsa fuit de principali intentione et integri-

---

[a] Al. m.

---

[1] Gen. 1, 1. 2.

tate primae conditionis. — Secundo colligitur ex hoc quod Scriptura tradit de perfectione seu consummatione operum Dei quae fuit in septima die; in quo aperte Scriptura [1] innuit quod ante opus sextae diei, id est, ante creationem [a] hominis in utroque sexu non fuit opus primae conditionis integre consummatum. — Tertio colligitur hoc ex multis et miris proportionibus quae in creatione humanae naturae refulgent; quarum aliquas tetigi in tractatu de originali peccato. Si enim spiritus separati et corpora inanimata fuerunt de prima integritate universi [b], cur non et natura ex utrisque compacta? Quomodo etiam in ipsa ratio primi principii et ultimi finis et virtus divinae omnipotentiae innumera et permaxima in solo uno homine quodammodo creantis potuit refulgere tactum fuit ibidem et de se satis patet.

Ad illud autem quod contra hoc de prima integritate angelicae hierarchiae infertur potest multipliciter responderi. Primo scilicet, quod [c] consummata fuit quantum ad numerum personarum illius naturae, sed non quantum ad numerum alterius naturae sibi associandae. Qualiter autem esset tunc sibi associanda, an scilicet in quolibet ordine restarent gradus seu loca pro hominibus illic assumendis vel solum sub novem ordinibus angelorum collocaretur in caelis decimus ex hominibus ordo quasi decima drachma non est, quod sciamus, usque hodie revelatum. — Secundo, potest dici quod sicut corpus hominis in principio suae formationis habet integritatem partium radicalium, quae tamen usque ad certam quantitatem eius habet augeri per adventum materiae nutrimentalis: sic forte fuisset [d] in proposito, suo tamen modo. Aut sicut domus regia habens sua fundamenta et [e] parietes et tecta est quoad hoc integra, quamquam adhuc egeat vasis et varia supellectili, aut sicut vestis regia in suis partibus integra eget [f] adhuc pellibus variis aut quacunque nobili foltratura: sic per simile posset dici et [g] in proposito.

Ad argumentum igitur suprascriptum dicendum quod variabilium praedestinatio apud Deum est [h] fixa, quia ipse variabilia invariabiliter novit. Sed nihilominus ex parte

---

[a] Ex *creationis*. [b] Ex *universum*. [c] Al. m. mg. [d] In ras. [e] Add. interl. al. m. [f] Al. m. corr. [g] Al. m. mg. [h] Add. interl. al. m.

---

[1] Cfr. Gen. 1, 26 sqq.

humanae naturae fuit aliqua ratio propter quam potuit ex ipsa maior et minor numerus electorum praedestinari. Quia enim ex causis alibi dictis fuit ultimo condenda et quia ex uno fuit successive complenda: ideo potuit congrue ordinari tam ad ultimam consummationem caelestium hierarchiarum quam ad reparationem aliquorum angelorum, si contingeret ipsos labi; et maxime quia, ut ex Scripturis probabiliter conicitur, tempus confirmationis vel reprobationis angelorum fuit praefixum a Deo, ut scilicet fieret ante hominis creationem.

Ad septimum patet ex omnibus supradictis.

Nihil obstat.

Can. Isidorus Fanelli.

IMPRIMATUR

Florentiae, 27 Iulii 1922.

Can. Ioachim Bonardi, *Vic. Gen.*

Typographia Collegii S. Bonaventurae - AD CLARAS AQUAS

BIBLIOTHECA FRANCISCANA SCHOLASTICA MEDII AEVI

cura Patrum Collegii Sancti Bonaventurae

Tom. I. Fr. Matthaei ab Aquasparta, O. F. M., S. R. E. Cardinalis, **Quaestiones disputatae de fide et de cognitione.** — 1903. In 8, p. XVI, 480. **L. 14.**

Tom. II. Fr. Matthaei ab Aquasparta, O. F. M., S. R. E. Cardinalis, **Quaestiones disputatae selectae de Christo.** — 1914, p. XV, 227. **L. 10.**

Tom. III. Fr. Gulielmi Guarrae, Fr. Ioannis Duns Scoti et Petri Aureoli, O. F. M. **Quaestiones disputatae de Immaculata Conceptione B. M. V.** — 1904, p. XX, 157. **L. 8,50.**

Tom. IV. Fr. Petrus Iohannis Olivi, O. F. M. **Quaestiones in Secundum Librum Sententiarum** quas primum edidit ad fidem Codd. mss. Bernardus Jansen S. I. — Vol. I. Quaestiones 1-48. — 1922, p. XXIV, 764. **L. 40.**

Prelo parantur:

Tom. V et Tom. VI. Eiusdem auctoris **Quaestiones in Secundum Librum Sententiarum** (continuatio et finis). Tomus V statim prelo subicietur.

Fr. Matthaei ab Aquasparta: **Quaestiones de Gratia.**

Fr. Gulielmi de la Mare: **Correctorium Fratris Thomae.**

PETRI LOMBARDI

Libri IV Sententiarum

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

IN LUCEM EDITI

EDITIO SECUNDA

AD FIDEM ANTIQUIORUM CODICUM DENUO EMENDATA.

Tomi duo. — In 8, p. LXXXV, 1056. — **L. 50.**

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISCOPI CARDINALIS

OPERA OMNIA

EDITA STUDIO ET CURA PP. COLLEGII A S. BONAVENTURA

AD PLURIMOS CODICES MSS. EMENDATA

ANECDOTIS AUCTA PROLEGOMENIS SCHOLIIS NOTISQUE ILLUSTRATA.

1882-1902. In folio.

TOM. I-IV. **Commentarios in IV Libros Sententiarum.** Tom. I, p. LXXXVIII, 870; Tom. II, p. XII, 1026; Tom. III, p. X, 905; Tom. IV, p. VIII, 1067; Indices in IV Libros Sententiarum, p. 502. **L. 500.**

TOM. V. **Opuscula Theologica,** p. LXIV, 606; TOM. VI. **Commentarii in sacram Scripturam,** p. XXVII, 640 cum uno facsimile; TOM. VII. **Commentarii in sacram Scripturam,** p. XVIII, 857; TOM. VIII. **Opuscula mystica et ad Ordinem spectantia,** p. CXXIV, 757; TOM. IX. **Sermones,** p. XXIV, 752; TOM. X. **Dissertationes de scriptis et de vita S. Bonaventurae,** p. VIII, 279. **L. 600.**

Pretium totius Operis **L. 1000.**

De humanae cognitionis ratione, Anecdota quaedam Seraphici Doctoris S. Bonaventurae et nonnullorum ipsius discipulorum. — In 8, p. XXIV, 250. **L. 7.**

P. FIDELIS A FANNA, O. F. M.

Ratio novae collectionis Operum omnium S. Bonaventurae

In 8, p. XV, 320. **L. 5.**

ANTONIUS M. A VICETIA et IOANNES A RUBINO, O. F. M.

LEXICON BONAVENTURIANUM PHILOSOPHICO-THEOLOGICUM

In 8 gr. p. 337. **L. 12.**

P. MARIANUS FERNANDEZ, O. F. M.

Lexicon Scholasticum Philosophico-Theologicum,

in quo termini, definitiones, distinctiones et effata seu axiomaticae propositiones philosophiam ac theologiam spectantes a B. Ioanne Duns Scoto Doctore Subtili atque Mariano O. F. M. exponuntur, declarantur. In 4, p. LIV, 1060. **L. 50.**

B. IOANNIS DUNS SCOTI, DOCTORIS SUBTILIS AC MARIANI, Tractatus **De Primo Rerum omnium Principio.** In 8, p. XCVI, 723. **L. 20.**

— **Commentaria Oxoniensia** ad IV libros Magistri Sententiarum. Tom. I. In I. Libr. Sententiarum. In 8, p. XXV, 1317. **L. 28.** Cum ligatura in dimidia pelle **L. 38.**

Tom. II. In II. Libr. Sentent. In 8, p. 940. **L. 20.** Cum ligatura in dimidia pelle **L. 30.**

— **Vitae compendium.** In 16, p. 88. **L. 2.**

— **Grammatica speculativa.** Nova editio. In 16, p. XXXV, 194. **L. 2.**

208.5
O1 4

26750

OLIVI, PETER JOHN, O. F. M.
Quaestiones In Secundum Lib. Senten
quas primum ad fidem codd. MSS.

TITLE
Vol. I
Quaestiones 1-48

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL

26750